SEPTIMII MARIAE VECCHIOTTI

TRACTATUS CANONICUS

DE MATRIMONIO

EX OPERE

CARDINALIS IOANNIS SOGLIA

EXCERPTUS

ET AD USUM PAROCHORUM ET CONFESSARIORUM

ACCOMMODATUS

Additis Appendicibus

DE IMPEDIMENTIS CIVILIBUS MATRIMONII

DE FORMULIS SUPPLICUM PRECUM

AC DE CAETERIS SACRAMENTIS

ALMA COLLEGE
348.741
LIBRARY
V 491
Alma, California

TAURINI

EX TYPIS HYACINTHI MARIETTI

MDCCCLXVIII

5638

PROPRIETAS LITTERARIA

TRACTATUS CANONICUS

DE MATRIMONIO

Totus hic tractatus de Matrimonio agit, quo quidem nullum arctius vinculum aut sanctius inter homines esse potest. Nam ex Apostolo Sacramentum hoc magnum est, quo non solum coniunctio Christi et Ecclesiae significatur, sed coniugibus etiam ex ipsius Christi meritis atque institutione gratia confertur, per quam naturalis amor perficitur, et indissolubilis unio confirmatur.

Ita fit honorabile in omnibus coniugium et torus immaculatus, filiorum educationi prospicitur, et dulcissimi propinquitatis nexus in humana societate colliguntur. Ex quibus satis intelligitur in hoc Sacramento tractando et exponendo omne studium nostrum ponendum esse. Sunt autem in eo quam plurima et ad fidem, et ad mores, et ad ius Canonicum forumque ecclesiasticum pertinentia. Et ea quidem quae ad fidem et mores pertinent, vix attingemus, haec enim iure suo a Theologis, et etiam a Scriptoribus Iuris publici Ecclesiastici

traduntur et propugnantur. Nos reliquis ad ius Canonicum privatum et ad iudicia forensia pertinentibus operam dabimus, atque agemus: I. de Sponsalibus: II. de Matrimonii ipsius natura; III. de Impedimentis; IV. denique de proprietatibus et effectibus Matrimonii. Unamquamque autem disputationem in capita et quaestiones distribuemus, ut eorum nihil praetermittamus, quae in hoc amplissimo argumento graviora sunt, et cognitu utiliora. Triplicem addimus appendicem: in prima est sermo de impedimentis civilibus Matrimonii, in secunda formulae pro dispensationibus obtinendis subnectuntur, in tertia de caeteris Sacramentis agitur.

CAPUT I.

DE SPONSALIBUS.

§ 1.

De nomine et natura Sponsalium.

Sponsalia a *spondendo* seu sponte promittendo nomen habent. « Nam mos fuit veteribus stipulari et spondere sibi uxores futuras, unde sponsi sponsaeque appellatio nata est. » L. 2 et 3 ff. de Sponsal. Itaque sponsalia definiuntur « futurarum nuptiarum promissio » can. 3, caus. 30, quaest. 5, sive, ut habet Iurisconsultus lib. 1, ff. eod., « mentio et promissio futurarum nuptiarum. » At Sponsalium nomen latiori sensu accipiunt Canonistae, eoque intelligunt etiam Matrimonium ratum, sive consensum in praesens Matrimonium, quam loquendi rationem ex usu Scripturarum profectam esse non ambigimus. « Recordare consuetudinis Scripturarum, quod sponsi viri, et sponsae vocentur uxores » inquit Hieronymus in Matth. cap. 1. Vide Huberum observ. Iur. l. 2, c. 8. Hinc, vitandae ambiguitatis gratia, Sponsalia aut de praesenti, aut de futuro esse dicuntur, et ita quidem ut nomen Sponsalium de praesenti ad significandum Matrimonium ratum, nomen autem Sponsalium de futuro ad solas dignoscendas futuri Matrimonii promissiones usurpetur.

Sponsalia de futuro nuptiis praemitti debent, non quidem ut valeat Matrimonium, sed ut cau-

tius et ordinatius ineatur, quemadmodum magnitudo rei omnino postulat. Namque Matrimonia sine praeviis sponsalibus, sine prudenti consideratione et iudicio, sed potius casu, vel impetu quodam effraeni contracta non bene solent prospereque succedere, cum « difficile sit ut bono peragantur exitu, quae malo sunt inchoata principio, » can. PRINCIPATUS caus. 1, q. 1. Praeterea, eadem Matrimonia carent debita in Sacramentum reverentia, tum quia sponsi in iis vel motibus cupiditatis, vel angustiis temporis, vix et ne vix quidem possunt ad gratiam suscipiendam se disponere, tum quia Sacramentum ipsum periculo nullitatis obiiciunt, cum spatium non suppetat inquirendi, num adsit forte impedimentum, quo Matrimonium dirimatur. Quamobrem Tridentina Synodus praecepit, ut Matrimonium antequam contrahatur, tribus festivis diebus publice in Ecclesia denuntietur, quemadmodum infra dicemus.

§ 2.

De forma seu modo contrahendi Sponsalia.

Sed uberius explicandum est, quomodo sponsalia contrahantur. Sponsalia, ut dicebamus, nihil aliud sunt, quam futuri Matrimonii promissio. Igitur oportet, ut per verba *promitto, spondeo, fidem meam obligo*, vel alia aequipollentia, animus promittentium exprimatur. Quamobrem, si dicatur *volo, cupio, expeto te in virum*, vel *in uxorem accipere*, sponsalia non sunt, cum ea verba, aut huiusmodi alia simplex propositum, desiderium,

voluntatem ineundi Matrimonium, non veram promissionem contineant, et *velle contrahere* non est *contrahere*, uti merito tradit Sotus laudatus a Sanchez de Matrim. lib. 1, disputat. 18.

Itemque Sponsalia non erunt, si dicatur: *libensne me in virum*, vel *in uxorem acciperes?* aut huiusmodi aliud, quia talibus verbis interrogamus, animumque alterius exploramus, non Matrimonium pollicemur. Verum si interrogationem sequatur responsio per modum stipulationis, veluti si quis feminam roget: *vis me in virum habere?* et illa respondeat: *volo*, *spondeo*, sponsalia contracta sunt, namque interrogatione illa et responsione mutuam obligationem induci plane constat ex natura et vi stipulationis; quod ius exhibent Iurisconsulti de verbo obligationis agentes: exstantque passim apud Comicos talium stipulationum exempla. Sic Lysiteles apud Plautum in Trinumo stipulatur: « Sponden' ergo tuam natam uxorem mihi? — Spondeo. » Si postulanti Matrimonium, femina reponat « Contenta sum, consentio, vel cupio tecum Matrimonium inire » verba haec *per se* nudi propositi, vel simplicis desiderii declarationem continent, quae ad sponsalia non sufficiunt. Fieri tamen potest, ut, attentis circumstantiis, vim promissionis praeseferant. Vide S. C. C. 24 Nov. 1781.

Sponsalia interdum promittuntur per verba exceptiva, aut negativa, uti *promitto non aliam ducturum nisi te*, vel *praeter te*, vel *quam te; nunquam te relinquam pro alia: non contraham cum alia matrimonium*. Controversia igitur est, an isthaec promissio obligationem inducat? Sanchez de Sponsal. et Matrim. lib. 1, disput. 19, n. 3

existimat eas promissiones nec esse Matrimonium, nec sponsalia, sed promissiones conditionatas, vi quarum promittens tum demum illam, cui sic promisit, in uxorem ducere tenetur, si Matrimonium inire voluerit, non tamen adstringitur ad nuptias contrahendas, et caelebs manere potest. Nam promissiones negativae eo sensu accipi vulgo solent, veluti si dicatur: *nulli domum meam vendam nisi tibi*, nec domus venditur, nec obligatio ad eam vendendam ex iis verbis plane oritur, sed tantum obligatio conditionata tibi vendendi, si promittens vendere voluerit, Arg. L. Si sterilis 21, § 5, ff. de action. empt. Haec sententia recepta et probata est a S. C. C. in una *Ventim. spons.* 1 Iunii 1709, in qua ex Sponsalium syngrapha per virum et mulierem subscripta, et his verbis exarata: « Ego infrascriptus dico et promitto non aliam ducturum, nisi Benedictam infrascriptam, quemadmodum ipsa promittit et iurat, » declaravit, « non constare de Sponsalibus absolutis, et promittentes non esse cogendos ad contrahendum. » In eumdem modum decrevit S. C. in Mediol. 14 Aprilis, et 13 Iul. 1725.

At vero si verbis negativis affirmatio seu promissio adiecta sit, puta *non aliam, sed te ducam*, sponsalia erunt, quod satis perspicuum est. Generatim autem, quoties verba sunt dubia, pro regula sit, verba dubia in foro quidem conscientiae obligare iuxta contrahentium intentionem, quia vis omnis et potestas verborum ad pariendam obligationem ex interno consensu manat, in foro autem externo standum non esse contrahentium intentioni, nam Ecclesia non iudicat de internis, sed potius sensui, quem verba secundum loci con-

suetudinem, et communem acceptionem habere solent.

Quod si post diligens examen de verbis, aut signis externis non satis constet, plerisque Canonistis videtur iudicium pro libertate ferendum esse, cum sponsalia multis nominibus dissolvi possint, et iura sint promptiora ad liberandum quam ad obligandum, lib. 47 de O. et A.: atque etiam nemo ad celebrandum matrimonium cogendus est, propterea quod matrimonia coacta solent funestos et tristes habere exitus, cap. 17, hoc tit.

Haec autem ad sponsalia pertinent; nam de matrimonio aliter sentiendum est, quoniam, ut ait Sanchez de Matrim., lib. 1, disputat. 18 «in dubio num sit matrimonium, nec ne, in matrimonii favorem sententiam ferendam, quia matrimonii favor multus est, ut constat ex cap. Ex LITTERIS de probation., ubi deciditur, exsistentibus probationibus paribus, iudicem absolvere debere, praeterquam in liberali causa, ubi Glossa verb. *In liberali*, ait, *ut in matrimonio :* et cap. fin. de sent. et re iudic. decidit textus, duobus iudicibus ordinariis diversas sententias proferentibus, praeferri semper sententiam in favorem rei, nisi in causa favorabili matrimonio. » In quam sententiam plures doctores nominat, deinde sequitur : « idem dicit Beroius, quando opinio favet causae piae, et opinionem faventem matrimonio, vel causae piae praeferendam esse docet etiam Navarrus, et probatur ex cap. LICET EX QUADAM in fine de test. et attest. »

§ 3.

De necessaria in sponsalibus deliberatione.

Promissio Matrimonii ut valeat, quinque postulat qualitates, quas breviter exponemus. Primo debet esse *deliberata*, hoc est facta cum plena et integra advertentia, ut scilicet promittens et quid agat, et ad quid se obstringat advertat. Si enim ex qualibet promissione non oritur obligatio, nisi adsit plenus consensus promittentis, consensus enim huiusmodi sine plena deliberatione nec esse, nec intelligi potest, consequitur in sponsalibus, quae adeo gravem obligationem pariunt, plenam deliberationem requiri. At vero quantam esse advertentiam oporteat, ut deliberatio plena sit, disputant Canonistae: « nihilominus dicendum est, ait Sanchez l. 1 de Matrim. disp. 8, n. 3, eam deliberationem sufficere et exigi, quae in materia lethalis culpae sufficit, ut consensus sit mortalis: unde si quis ira, aut alio passionis motu subito percitus sponsalia contrahat, si tanta est passio, ut rationis iudicium obtenebrarit, et deliberationem ad peccatum mortale requisitam impedierit, adeo ut si illo subito motu hominem interimeret, non esset mortale, tunc sponsalia non erunt valida ob defectum deliberationis; si autem non ita impedierit deliberationem, quin homicidium illud tunc admissum esset culpa lethalis, sponsalia erunt valida. » Ex qua sententia, quae magis inter Doctores recepta et probata est, duo praesertim consequuntur: et 1. invalida, nulliusque effectus esse sponsalia ab amentibus, furiosis, e-

briis, mentecaptis celebrata, sive ipsi inter se, sive cum aliis ratione utentibus contraxerint, carent enim rationis usu, et proinde, quae ad peccandum in primis requiritur , facultate deliberandi. Verumtamen si ad sanam mentem redierint, vel lucida habuerint rationis intervalla, valebunt eo tempore sponsalia, quae contraxerint. Deinde consequitur II sponsalia a ratione utentibus contracta, nisi aliud obstiterit, rata esse, etiamsi aut ira, aut aliqua perturbatione incitati iniverint. Namque in iis animi motibus semper quidem , aut saepius agunt sine consilio et prudentia, non tamen sine advertentia et deliberatione, cum probe intelligant quod agunt; unde meriti et demeriti capaces sunt, modo tamen animi motus et perturbatio tanta non sit, ut usum rationis adimat.

Quamquam vis et metus, etiam gravis, advertentiam rationis et libertatem , atque adeo deliberationem non perimat, eam tamen vitiat, et idcirco facile assentior iis qui putant sponsalia vi , seu metu iniusto inita, nec iure naturali, nec canonico consistere ac nullum proinde effectum, nullamque obligationem parere, siquidem in promissionibus coactis, licet consensus adsit, nullitas contractus, inspecto iure naturali, profluit ex parte cogentis, qui ex tali promissione nullum consequi ius potest. Qui enim vim intulit, aut metum incussit, ius seu titulum acceptandi, quod datur vel promittitur, consequeretur propter vim aut metum , quo promittentem iniuria affecit , sicque ex proprio delicto lucrum reportaret, quod iniquum est. Hac de causa promissio facta latroni de pecunia solvenda, vel facta foeneratori de solvendis usuris , naturali iure non valent , et ideo foenerator et

latro promissam pecuniam nequeunt recipere, receptamque restituere tenentur, non quod consensus simpliciter voluntarius in promittente defuerit, sed quod latroni ac foeneratori defuit ius seu titulus eam pecuniam accipiendi retinendique. Promittens etiam non tenetur reddere, quod facturum, vel daturum promisit, nisi forte iuraverit se soluturum, idque ob vinculum Religionis, cuius relaxatio peti sine alterius iniuria potest. Consonat ius Canonicum; namque Alexander III can. DEBITORES de Iureiurando: « Debitores ad solvendas usuras, in quibus se obligaverint, cogi non debent. Si vero de ipsarum solutione iuraverint, cogendi sunt domino reddere iuramentum. Et cum usurae solutae fuerint, creditores ad eas restituendas sunt ecclesiastica severitate, si necesse fuerit, compellendi. »

At ubi vis metusque gravis et iniustus iniectus a quodam sit, non colludente eo, cui nuptiae promittuntur, si non iure naturali, at certe iure canonico sponsalia irrita sunt, aut saltem irritari possunt. Pontifex enim generatim edicit: « quae metu et vi fiunt, debent in irritum revocari » cap. 2 de iis quae vi metusque causa fiunt; et rursus: « quae vi metusve causa fiunt, carere debent roboris firmitate » cap. 4 eod. tit.

Denique deliberationem in sponsalibus tollit error circa personam, vel qualitatem eius substantialem; error enim aufert cognitionem obiecti, sine qua esse nequit deliberatio, aut ullus voluntatis consensus. Caeterum de vi, metu, et errore plura dabimus, ubi matrimonii impedimenta exponemus.

§ 4.

De certa persona in sponsalibus designanda.

Dein in Sponsalibus requiritur, ut promissio sit certa et determinata: sponsalia enim sunt via ad matrimonium, et quaedam ipsius inchoatio. Igitur consistere nequeunt, nisi cum una, eaque certa et determinata persona contrahantur, secus enim matrimonium non inchoarent, quod individuam unius viri et mulieris societatem continet. Illud etiam accedit, quod a sponsalibus indeterminatis impedimentum publicae honestatis non oritur, uti Bonifacius VIII declaravit cap. unic. de Sponsal. in 6: hoc autem manifeste probat huiusmodi sponsalia non consistere; namque satis exploratum ex omnibus ratis sponsalibus illud impedimentum proficisci. Ex quibus sponte fluit non contrahi vera sponsalia, si quis tribus puellis, ex. g. tribus sororibus, spondeat sese unam ex eis in uxorem ducturum, et illae promissionem acceptent et repromittant.

Sed quaeres, an ulla ex his promissionibus obligatio enascatur? Nullam plane gigni existimat Schmier Iurispr. Can. Civ. lib. 4, tract. 1, cap. 4. Sed communior sententia est ex eo mutuam obligationem oriri, non vi sponsalium, quae nulla sunt, sed ratione mutuae promissionis. Quamobrem tenetur promittens unam ex tribus eligere quam maluerit, nam ipsius est electio, ex cap. 70 de Reg. iur. in 6: « In alternativis debitoris est electio, et sufficit alterutrum adimpleri, » et vicissim electa tenetur in futuras nuptias consenti-

re; quo facto statim sponsalia, quae prius incertitudinis vitio nulla erant, redduntur certa et valida, et impedimentum publicae honestatis pariunt.

§ 5.

De animo se obligandi.

Tertio requiritur, ut promissio sit vera, non simulata, quia simulatae nuptiae nullius momenti sunt, ut loquitur L. SIMULATAE 30 ff. de ritu nuptiar. Non enim verba, seu sonitus verborum, sed internus consensus, et animus sese cum effectu obligandi obligationem inducunt, cap. TUA, 26 de Sponsal. et Matrim. Enimvero obligatio quaelibet a lege non dimanans, oriatur oportet ex privata hominis voluntate, qui libere velit obligationem ipsam suscipere: ex quo fit ut, deficiente animo suscipiendae obligationis, obligatio non exoriatur, estque in iure certum et exploratum « actus agentium non operari ultra intentionem eorumdem. » Obligatio autem in sponsalibus non a lege sed a voluntate libera promittentis proficiscitur. Nulla igitur erit obligatio ineundi matrimonii, quando in promittente defuit animus et voluntas sese obligandi. Vide P. Ioseph Pauwels de Sponsal. c. 2, § 381. Simulator autem peccat graviter, quod in re gravi mentitur et alterum decipit, ac insuper ratione fraudis et iniuriae illatae tenetur ad fictionem tollendam, seu ad consensum ex animo praestandum, aut saltem ad damna compensanda, si quae pars decepta passa fuerit.

Verum haec in foro conscientiae. Nam quod

pertinet ad forum externum, ubi constet de promissione, praesumitur promittentem ex animo se obligandi promisisse, adeoque nisi probet se locutum esse per iocum, qui ex verbis aut circumstantiis perspici potest, omnino cogitur promissis stare, fidemque praestare; tum quia ex L. Labbeo ff. de Supellect. leg. « nemo existimandus est dixisse, quod non mente cogitaverit ; » et leg. 13, Cod. de num. Pec.; tum quia facile quis posset vim sponsalium eludere, propriam fictionem allegando : fraus autem et dolus nemini debet patrocinari.

Obvia quaestio hic est, quanam obligatione teneatur qui sub ficta promissione matrimonii virginem defloraverit ? In hac quaestione non omnes sentiunt unum atque idem. Plures affirmant defloratorem obstringi ad dotandam et simul ducendam defloratam, non quidem vi fictae promissionis, quae nullam obligationem inducit, uti hactenus dictum est; neque ratione damni et iniuriae illatae, qua de iniuria et damno illato deceptor poterit satisfacere per dotis constitutionem , aut aliam compensationem; nec demum ratione contractus innominati « *facio ut facias*, » quatenus virgo sui corporis copiam fecit, ut alter vicissim futuras nuptias promitteret, quia pacta turpia, seu ob turpem causam inita, nullius momenti sunt, L. 26 ff. de verb. oblig., quae ita enuntiatur : « Generaliter novimus turpes speculationes nullius esse momenti ; sed eam obligationem oriri volunt ex Lege, seu cap. 1 de Adulter. et stup., ubi ita sancitum est : « Si quis seduxerit virginem dormieritque cum ea , dotabit eam et habebit uxo rem. » Ex hoc autem capite autumant satis aper-

tum esse defloratorem duplici ea poena *copulative*, ut aiunt, mulctari, nec fas esse particulam canonis *copulativam* in disiungentem ita torquere, ut defloratoris arbitrio relinquatur aut ducendi, aut dotandi, tum quia nulla subest causa eius disiunctionis faciendae, tum quia usus tribunalium ecclesiasticorum est, ut deflorator tum ad dotandam, tum etiam ad ducendam mulierem condemnetur. Vide Thes. S. C. C. Neapol. 17 Dec. 1722, Lycien. 18 Dec. 1728, 12 Martii 1729, Melphit. 26 Iun. 1841, et 9 Septemb. 1843, Uxentiae Spons. 29 Nov. 1862. Contra plerique sentiunt verba eius Canonis non *copulative* sed *disiunctive* esse sumenda, ut sensus sit, « vir qui seduxerit virginem, dormieritque cum ea dotabit eam, *aut* habebit uxorem » quod in iure novum non est, nam ut habetur L. 53 ff. de Verb. signif.: saepe ita comparatum est, ut coniuncta pro disiunctis accipiantur. » Quare deflorator aut dotet, aut nubat necesse est, ipseque poterit alterutram poenam eligere, quia « in alternativis debitoris est electio » cap. 7 de Reg. Iur. in 6. Haec autem interpretatio nititur tum hodierna consuetudine Tribunalium magis recepta, tum etiam cap. Pervenit eod. tit., ubi videtur praefati capitis rigori derogatum esse; namque constituitur, ut deflorator virgini stupratae nubat, sin minus corporali poena afficiatur. In hac vero sententiarum disparitate forte aequius tutiusque est, ut quaelibet ecclesiastica tribunalia receptam in eis consuetudinem usumque consectentur. Cl. Cosci de Spons. fil. ait: « alternativa recepta est in omnibus tribunalibus, tam ecclesiasticis, quam laicalibus nostrae Italiae, et similiter in Germania . . . in terris Ele-

ctoratus Saxoniae . . . in Gallia . . . in Hispania.» Interim apud omnes utriusque sententiae patronos haec certa sunt: 1° praedictum caput primum de adult. et stup. praestituere poenam positivam, quae rei cognitionem et sententiam condemnatoriam postulat. 2° cessare obligationem ducendi et dotandi, quum puella non erat virgo, aut virgo deflorata fuit sine ulla promissione matrimonii, nam duplex poena et dotis dandae, et matrimonii contrahendi ei tantum irrogatur, qui «seduxerit virginem, dormieritque cum ea;» 3° eamdem obligationem cessare, quum puella ex verbis aut aliis apertis coniecturis facile potuit fallacem animum promittentis perspicere. Nam caput loquitur de seductione; tum enim vero non videtur seducta, sed voluntarie fraudi consensisse, quandoquidem dum animadvertit, aut potuit animadvertere promissioni subesse dolum, et tamen sui copiam facit, non id facit seducta promissione matrimonii, quam fictam esse sufficienter intellexit, sed voluntate sua, veluti si vir promittens nobilitate generis, vel divitiis insigniter ab ea distaret. Ob tantam enim inaequalitatem illud merito praesumitur, quod mulier potius se deceptam finxerit, quam reapse decepta sit. In huiusmodi autem casibus videtur deflorator ad reparationem damnorum, si quae mulier passa est, obligari, non quidem ita integre, quemadmodum decipiens teneretur, sed prudentis arbitrio, considerato ex una parte damno, quod illatum est, ex altera vero feminam sua sponte deceptam esse; de quo confer Zech de Iudic. crimin. § 412.

§ 6.

De mutua promissione.

Quarto requiritur, ut promissio Matrimonii sit mutua, hoc est a viro et muliere vicissim facta et acceptata. Sponsalia enim definiuntur « *mentio et promissio futurarum nuptiarum:* » qua de re ubi non est utriusque promissio et acceptatio, non sunt sponsalia. Igitur promissio unius nihil efficit, nisi alter vicissim ratihabeat et spondeat; et promissio poterit a promittente revocari, antequam alter acceptaverit et repromiserit, namque contractus non est, quamdiu contrahentes in idem placitum non consenserint. Quaeritur autem, an promissionis acceptatio vim habeat repromissionis, ita ut acceptans quamvis expresse non repromittat, virtualiter tamen repromittere seseque obligare intelligatur? Negativa sententia plerisque placet, et optimo quidem iure: siquidem sponsalia non sunt gratuita et liberalis promissio, sed contractus onerosus, *facio ut facias*. Igitur natura sua implicitam conditionem habent mutuae obligationis et repromissionis, adeoque acceptatio sponsalitiae promissionis suapte natura acceptationem conditionis seu repromissionis futuri matrimonii desiderat, dum praesertim futurae nuptiae promittuntur non gratis, et per modum liberalis promissionis, sed respective per modum contractus ultro citroque obligatorii, velut si promittens dicat « *promitto tibi, si tu repromittas,* » vel aliis verbis, aut apertis indiciis animum suum prodat contrahendi vera sponsalia, quibus uterque obstringatur. Unde

si quis promissionem huiusmodi acceptaret sine animo repromittendi, et se vicissim obligandi, tunc promissio et acceptatio nihil operantur, et neuter obstrictus manet; non promittens, quia eius promissio non fuit liberalis, nec absoluta, sed conditionata, adeoque conditione non impleta, seu altero non repromittente nulla oritur obligatio: non acceptans, quia ipsi defuit voluntas se obligandi : actus enim agentium non operantur ultra intentionem eorum, L. Non omnis, ff. de reb. cred.

Sed aliter sentiendum est, quando promissio fiat *gratis* et *liberaliter;* tunc enim acceptatio promittentem ligat, etiamsi acceptans nec repromittat, nec obligetur. Promissio autem liberalis et gratuita est, cum in alterius arbitrium et favorem unice conferatur. Tunc siquidem acceptatio non habet vim et effectum repromissionis, sed solus promittens, non vi sponsalium, quae claudicare non possunt, sed vi promissionis acceptatae obstrictus manet, donec puella intra congruum vel praefinitum tempus animum suum aperuerit. Itaque si puella repromittat, sponsalia tunc erunt; si repromittere renuat, promittens a vinculo promissionis absolvetur.

« Refert autem multum, uti ad rem observat Sanchez lib. 1, de Sponsal. disput. 5, n. 8, an promissio haec obliget vi sponsalium, an vi simplicis promissionis, cum priori casu oriatur impedimentum publicae honestatis, posteriori autem minime. Dicis autem, prosequitur idem Auctor cit. loco, num. 15, quando censebitur per modum contractus, et quando gratis promittere? » Respondet autem « promittentis intentioni standum esse; quod si de ea minime constet ex coniecturis

desumptis, ex antecedentibus deprehendetur. Si enim de Matrimonio inter eos contrahendo tractabatur, manifestum est promissionem non esse gratuitam ; si autem de hoc nullatenus sermo erat, sed ob aliquod beneficium acceptum, quasi se gratum exhibens, promisit, censetur ex gratitudine ac benevolentia promisisse, et non per modum contractus respectivi : in dubio autem censetur iuxta sponsalium naturam, quae est ut sit contractus mutuus et respectivus, promittere; quare altero non repromittente, minime tenebitur. »

§ 7.

De externa manifestatione promissionis.

Quinto tandem requiritur, ut promissio futuri Matrimonii sit externa, videlicet ut voce, aut scripto, aut aliis externis signis proferatur, cum intentio mente retenta nihil in humanis contractibus operetur, L. Cum in plures 60, §. *Locator* ff. Locati. Itaque contrahendis sponsalibus impares sunt visu, auditu, et loquela destituti, qui nempe simul muti, surdi, et caeci sunt: isti neque verbis, neque signis possunt iura et obligationes sponsalium edoceri, neque valent aut proprium consensum exterius significare, aut alterius consensum sufficienter percipere et acceptare. Contra autem mutus vel surdus tantum, aut etiam mutus simul et surdus valide contrahit sponsalia vel Matrimonium, *cum quod verbis non potest, signis valeat declarare*, ut inquit Pontifex cap. Cum apud 23, hoc tit. Disputatur autem, num silentium ad oblatas sibi nuptias sufficienter exprimat consen-

sum, locumque hic habeat regula Iuris 43, in 6, *qui tacet consentire videtur?* Sit ex. gr. puella, cui a viro paris conditionis offerantur nuptiae, atque etiam promittantur ; ipsa vero, quamvis interius consentiat, exterius tamen nec verbis, nec signis ullis animum suum aperiat, sed tantum sileat. Iam vero communior sententia est, solam taciturnitatem adminiculis aliis destitutam satis non esse ad inducendam sponsalium obligationem; silentium enim per se in contractibus ineundis nihil efficere posse videtur, dum contrahentium animum nec probat, nec manifestat, sed quid medium est inter expressionem consensus et dissensus, iuxta regulam Iuris 44, in 6, *qui tacet non fatetur, sed neque negare videtur*. Itaque prior regula *qui tacet consentire videtur* ex magis recepta interpretatione locum habet in actibus favorabilibus, qui nullum onus et gravamen afferunt tacenti ; nam quisque praesumitur velle, quod sibi bonum est atque utile, non autem in illis, quae onus adnexum habent, aut damnum afferre possunt, ut in sponsalibus aliisque contractibus onerosis, L. 8, ff. de Procurat. « invitum accipere debemus non eum tantum qui contradicit, verum eum quoque, qui consensisse non probatur. » Sunt autem duo casus in quibus tacens habetur pro consentiente et contrahente. I. Si tacens aliquo facto indicium praebeat, ex quo animus contrahendi prodatur. II. Si filius taceat, dum ipsius nomine sponsalia a parentibus contrahuntur. Et quod primum spectat, tria potissimum sunt indicia seu signa, quibus consensus tacentis in sponsalibus explicatur. Primum est subarrhatio, hoc est immissio annuli eiusque receptio, ubi tamen ex parte immittentis annulum

praecesserint verba consensum in futuras nuptias exprimentia: tunc enim altera pars, etiamsi taceat, consentire censetur facto ipso, dum annulum recipit. Secundum est arrharum et donorum acceptatio, quando nempe, habito inter amicos tractatu de Matrimonio contrahendo, sponsus misit arrhas vel iocalia, aut annulum, aut etiam pecuniam nomine doni sponsalitii, et mulier haud ignara praecedentis tractatus acceptavit. Illis enim muneribus datis vicissim et acceptis veluti confirmatur, ratumque habetur quod ab amicis ea de re gestum fuit. Tertium est porrectio manuum, porrectio enim dexterae indicium est datae fidei. Num vero sponsalia sint, dum femina non ultro porrigit dexteram, sed a viro offerenti nuptias apprehensam non retrahit, vide Pontium de Matrim. lib. 2, cap. 11. Interim Canonistae communiter monent, quoties oporteat animum contrahentis ex signis et indiciis colligere, consuetudinem loci in primis spectandam esse.

Quod attinet ad secundum, hoc est ad sponsalia, quae parentes pro filiis praesentibus et tacentibus ineunt, praestat hoc loco in medium proferre decisionem Bonifacii VIII in cap. unico de Desponsat. impub. in 6, ubi haec habentur: « Porro ex Sponsalibus, quae parentes pro filiis puberibus, vel impuberibus plerumque contrahunt, ipsi filii, si expresse consenserint, vel tacite si praesentes fuerint, neque contradixerint, obligantur. » Itaque dum filii praesentes sunt, atque intelligunt ipsorum nomine a parentibus sponderi nuptias, vel si absentes fuerint, postmodum ea de re certiores ab ipsis parentibus facti tacuerint, neque verbis aut signis ullis contradixerint, censentur parentum

facta approbare, rata et grata habuisse. Ex silentio namque consensus iure merito praesumitur; in casu, si parentum suorum factum sibi displiceret, mentem suam aperire tenerentur, ne parentum dicta, aut acta contemnere viderentur, eosque in periculum aliquod adducerent, aut aliorum odiis exponerent. Porro decisio Bonifacii VIII. locum sibi vindicat tam respectu filiorum, quam filiarum; sive puberes, sive impuberes, sive emancipati sint, sive non; loquitur enim generatim et absolute sine sexus, aut conditionis distinctione *pro filiis puberibus et impuberibus*. Itemque ea potestas valide contrahendi pro filiis attribuenda est non solum patri, sed etiam matri, tum quia in cit. cap. Bonifacii VIII. de parentibus sermo est, quo vocabulo uterque parens designatur, tum quia decisio Pontificis nititur tam reverentia, quae parentibus naturali iure debetur, quam paterno amore, quo parentes recte filiis consulere praesumuntur: quae quidem rationes in matribus quoque militant. Nonnulli Doctores putant ea iuris dispositione contineri etiam tutores, curatores, et alios qui parentum loco sunt, ut videlicet tutor pro pupillo, curator pro minore praesente et non contradicente valide sponsalia contrahant. At sententia multo probabilior contendit, illud esse praecipuum et speciale in parentibus, quod filios possint sine eorum mandato, aut expressa ratihabitione ad futuras nuptias obligare, tum quia citatum caput Bonifacii VIII. de solis parentibus verba facit, tum quia tutoribus aliisque non eadem reverentia debetur ac parentibus, tum demum quia alius est amor et providentia parentum erga filios, ac tutorum et curatorum.

§ 8.

De Sponsalibus per epistolam aut Procuratorem initis.

Sponsalia contrahi possunt tam inter praesentes, quam inter absentes, per litteras, per internuntium, aut per procuratorem: itemque pure in diem, vel sub conditione, adiectis etiam pactis, uti perdendae arrhae, si una pars sine iusta causa resilierit.

Iam vero per litteras, aut internuntium, vel procuratorem sponsalia celebrari posse statuitur in L. final. ff. hoc tit., ubi diserte Ulpianus ait: « In Sponsalibus constituendis parvi refert per se et coram, per internuntium, vel per epistolam an per alium hoc factum est. » Iure etiam Canonico, et praesertim cap. ult. de Procurat. in 6, probatum est, ut vicaria alterius opera consensus in nuptias edi possit. Itaque operae pretium est, ut in primis explicemus, quemadmodum per epistolam vel procuratorem sponsalia valide contrahantur. Iam vero sponsalia rite per epistolam ineuntur, dum quis litteris datis futuras nuptias alteri promittit, et vicissim persona quae litteras accipit, vel rescribendo, vel coram aliis ad eam rem convocatis animum suum declarando, promissionem acceptat et repromittit, idque promittenti significatur. De caetero consensus simultaneus ad sponsalium validitatem non postulatur, sed satis est, ut, quemadmodum in reliquis contractibus obtinet, qui prior consentit, in voluntate perseveret, donec altera pars in idem placitum consentiat. Internun-

tius autem vel procurator ut rite contrahat, instructus sit oportet speciali mandato ad contrahendum, et quidem non indefinite cum qualibet persona, sed cum certa et determinata, ore vel litteris eidem procuratori designata. Constat ex L. gen. 34 ff. de ritu nupt., ubi « generali mandato quaerendi mariti filiaefamilias non fieri nuptias rationis est : itaque personam eius patri demonstrari qui matrimonio consentit, ut nuptiae contrahantur, necesse est. » Huic legi consentit glossa in cap. fin. de Procurator. in 6. Item glossa in Can. Nec illud 30, q. 5 affirmat matrimonium non posse inter absentes contrahi, nisi se invicem, si non facie, at saltem fama, vel alia ratione noverint, cum in eam personam, quae prorsus ignoratur consentire haud possimus, unde tritum sermone proverbium *ignoti nulla cupido*. Praeterea internuntius, aut procurator per se ipsum exsequi mandatum debet, nec vices suas alteri committere potest, nisi facultas substituendi specialiter in ipso mandato contineatur, quia ob negotii gravitatem personae industria censetur electa. Denique observandum est nullius momenti sponsalia esse, si quo tempore internuntius vel procurator contrahit, mandatum revocatum sit, quamvis revocatio lateat procuratorem et alterum sponsum. Hoc enim ex cap. final. de Procurat. in 6 speciale est in sponsalibus et matrimonio; nam in caeteris contractibus revocatio mandati actum non infirmat, nisi procurator, vel is cuius interest, de revocatione certior factus sit; cuius sane discriminis ratio est, quod in iis quidem ius possit supplere consensum, non autem in sponsalibus et matrimonio.

§ 9.

De conditionibus contractui Sponsalium adiectis.

Sponsalibus non secus ac caeteris negotiis conditiones possibiles ac honestae adiici posse certi iuris est, veluti promitto nuptias, si tantum dotis intuleris, si pater aut alius consenserit. Quoniam vero conditiones suspendunt negotia, quibus adiiciuntur, ita sponsalia sub talibus conditionibus inita non aliam obligationem pariunt, quam ut eventus conditionis exspectetur. Cum vero sponsalia de futuro mutuo partium consensu possint dissolvi, profecto sequitur, utraque parte consentiente, etiam ex intervallo, et post datam fidem, sponsalium obligationem de absoluta in conditionatam converti. Impleta vero conditione sponsalia pura fiunt, et ad nuptias contrahendas obligare incipiunt, quae eadem obligatio oritur, si ille in cuius gratiam conditio adiecta est, eam vel expresse, vel factis ipsis remittat. Conditioni appositae renuntiatum censetur, dum, illa adhuc pendente, sponsi iam copulam exercuerunt, cap. PER TUAS 6 de Condit. apposit.

Verum si conditiones turpes eaeque substantiae matrimonii repugnantes sponsalibus adiiciantur, sponsalia nulla sunt: conditiones autem turpes, quae substantiae matrimonii non repugnant, aut quae impossibiles sunt sive natura, sive facto, an in favorem sponsalium pro non adiectis habeantur, disputatur. Quoad conditiones impossibiles tum natura, tum facto, Sanchez L. 5 de mat. disp. 17, licet fateatur adeo concordem esse omnium doctorum sen-

tentiam, qui opinantur huiusmodi conditiones vitiari, ut nullo pacto ab ea sit recedendum, tamen non denegat urgentes esse rationes, quae contrariam sententiam sustentant. Ratio praecipua ex eo desumitur, quod cum in iure nil statutum reperiatur circa has conditiones, idem de sponsalibus ac de caeteris contractibus debet esse iudicium, ac proinde sicut hae conditiones in caeteris contractibus non vitiantur, sed eos penitus vitiant, et irritos efficiunt, Leg. 3 de action., ita et hoc ipsum in sponsalibus est affirmandum, dummodo tamen conditio concepta sit affirmative, puta, si coelum ascenderis, aut digito tetigeris. Si enim negative concipiatur, v. gr., si coelum non ascenderis, sponsalia, quemadmodun caeteri contractus, non vitiantur; sed censentur pure celebrata, ac si ea conditio non fuisset apposita; L. Impossibilis 7 de V. O. § 10 Inst. de inst. stipul. Cum enim affirmativa conditio sit impossibilis, proinde eius negativa erit necessaria, vera et praesens, quae statim inest.

Quoad conditiones turpes, quae non repugnant matrimonii substantiae, non pauci contendunt eas nec vitiari, nec vitiare sponsalia, ita ut licet sponsalia, antequam impleatur conditio, neutiquam obligent, attamen valent, et obligant, postquam impleta fuerit, perinde ac si honesta conditio sponsalibus adiecta sit, ac impleta. Contra hanc sententiam, quam Reiffenstuel tuetur lib. 4, decret. t. 5, n. 58, illud argumentum adducitur, quod in iure conditiones turpes, tamquam impossibiles reputantur, L. Filius 13 ff. de V. O., ideoque idem dicendum de conditionibus turpibus, ac de conditionibus impossibilibus. Verum de iis plura

dabimus, ubi de conditionibus matrimonio appositis sermo erit. Huc unum observandum remanet. Sponsalibus dies certus, ut si dicatur ad kalendas ianuarias ducam te, vel incertus adiici potest, ut si dicatur ducam te ad mortem patris tui. Si dies certus vel incertus adiiciatur per modum termini *a quo*, ita ut matrimonium, quoad suos effectus pro contracto habeatur dumtaxat a tempore existentis diei, ipsa dies vim habet conditionis suspensivae, et efficit ut antequam dies advenerit, nulla nascatur obligatio matrimonialis. Si dies certus vel incertus adiiciatur tamquam terminus *ad quem*, ut existente die matrimonium desinat obligare, dies ipsa vim habet conditionis resolutivae, ideoque sic contractum statim non valet, cum istud per resolutivas conditiones utpote eius substantiae contrarias, penitus vitietur.

§ 10.

De pactis sponsalitiis.

Inter pacta, quae contractui sponsalium adiici solent, illud frequentissimum est, quod respicit habitationem in certo loco. Omnes, si unum vel alterum exceperis, convenire videntur doctores, eiusmodi pactum, imo et poenam illi firmando adiectam obligare, si habitationem in certo loco non perpetuam, sed temporariam contineat; at in oppositas abeunt sententias, si perpetua in certo loco habitatio in pactum deducatur. Verum in hoc etiam casu huiusmodi pactum validum esse et obligatorium ex eo argumento videtur suaderi, quod sponsalia, et ipsum quoque matrimonium,

contrahi possunt quibusvis pactis, quae a iure non sint reprobata, et naturae sive sponsalium, sive matrimonii non sint contraria. Profecto pactum, quod ad perpetuam adstringit habitationem in certo loco, non est iure reprobatum, nec naturae aut sponsalium, aut matrimonii ullo modo contrarium. Et re quidem vera non reprobatur iure naturae, seu divino, quia per huiusmodi pactum libertas non adimitur, sed aliquo dumtaxat modo, et spontaneo propriae voluntatis consensu restringitur. Non reprobatur iure civili; hoc enim iure cautum reperitur, quod quis fundo alieno adscribi et iure curiali constitui potest, ita ut nec fundo alieno adstrictus toto suae vitae tempore ab eodem fundo, sine licentia domini, queat recedere, nec sine licentia praesidis deserere curiam possit ille, qui inter curiales fuerit adscriptus, L. Originarius 11, et L. cod. de Agricolis et censitis; L. 1, 18, 20 cod. de Decurionibus. Non denique reprobatur iure canonico, siquidem ne vestigium quidem huius reprobatae pactionis in toto iure canonico reperitur. Quod vero hoc pactum perpetuae habitationis in certo loco naturae sponsalium aut matrimonii nullo modo sit contrarium, ita res clara est atque explorata, ut vel minimam difficultatis umbram nequeat admittere.

Hac retenta sententia, illud non inutiliter inquiritur, an uxor a loco convento recedere et maritum alio se conferentem sequi obligetur? Obligationem hanc in muliere quidam agnoscunt ea ratione, quod omne pactum legi divinae cedere debeat. Haec autem uxorem ad sequendum maritum certo certius adstringit. Praeterea illud addunt, quod mulier, inspecto etiam iure civili,

domicilium mariti sui sequatur. Nobis tamen melius sentire videntur illi, qui in hoc pacto sic distinguendum arbitrantur. Vel enim maritus a loco convento contra fidem datam discedit iniuste, nulla scilicet interveniente legitima causa, atque in his circumstantiis virum ita decedentem sequi non tenetur uxor, imo ille ab ista vindicari aut recuperandae possessionis remediis repeti ac compelli potest, ut ad ipsam uxorem revertatur: vel maritus a loco convento discedit iuste, quia nova et quidem legitima causa emerserit recedendi; puta si aëris intemperies valetudinem eius in discrimen adducat, vel ob capitales inimicítias non possit tuto eo in loco commorari, atque in his aliisque circumstantiis uxor sequi virum debet, perinde ac si pactum non fuisset appositum. Vir enim, discessu suo, uxori iniuriam non intulit, eamque iure suo non spoliavit, secus quando iniuste a loco convento discessit, quod dictum est. Id locum habet etiam, licet pactum iuramento firmatum esset: cum enim iuramentum sit accessorium pacto, induit conditionem ipsius pacti, cui adiicitur. Pactum vero hoc implicitam continet conditionem, nisi nova iusta recedendi causa supervenerit. Quod profertur a primae sententiae patronis, facile solvitur, quia lex divina ac humana tunc solum obtinet, cum vel nullum pactum habitationis fuit appositum, vel eo apposito vir iusta ac legitima causa superveniente recedat.

§ 11.

De arrhis sponsalitiis.

Nunc breviter de arrhis dicendum est. Arrharum nomine veniunt res, quas unus ex sponsis, vel uterque alteri tradit in contractorum sponsalium tesseram, et in pignus matrimonii ineundi. Plane cuius generis, quantitatis, aut pretii res sint, nihil refert, quum legibus permittentibus arrhas nulla praescripta sit rei qualitas aut quantitas. Sequuto matrimonio, arrha restituenda illi est qui tradidit, quemadmodum pignora in contractibus reddenda sunt, statim ac res praestita, aut promissio impleta est. Item restituenda arrha si matrimonium absque ulla contrahentium culpa, puta alterius morte, celebrari non potuerit: « arrhis sponsalium nomine datis, si interea sponsus, vel sponsa decesserit, quae data sunt, iubemus restitui, » ita L. 3 cod. de Sponsal. et Arrh. Concinunt etiam Doctores omnes, arrham non amittere, qui ex iusta causa resilit a sponsalibus, veluti si religionem ingrediatur: non enim mulctandus est poena qui nihil deliquit, nec ulli iniuriam facit, dum utitur iure suo. Denique perspicuum est arrhas reddi oportere, dum sponsalia mutuo consensu dissolvuntur. At vero si ob culpam unius ex contrahentibus, altero rationabiliter invito, matrimonium non sequatur, tunc violator fidei et suas arrhas perdit, et acceptas reddere tenetur. Quod si nullas ipse tradiderat, non solum acceptas restituere, sed aliud tantumdem ex proprio patrimonio, seu earum aestimationem adiicere

cogitur; nullam siquidem pateretur poenam, si illud tantum, quod acceperat, restitueret. Quin imo si contrahentes de duplo, aut triplo, aut quadruplo reddendo pactionem fecerint, pacta servanda sunt, sed pactum de restituendis arrhis ultra quadruplum nullas vires habebit, cum in contrahendis nuptiis libera potestas esse debeat, uti loquitur citata Lex 3 cod. de Sposal. et arrh.

Haec tamen aliquas subeunt limitationes, quarum prima est, consuetudines locorum, aut provinciarum retinendas esse, si quae adversus ius commune invaluerint. Sane plures canonum interpretes testantur moribus multarum gentium receptum esse, ut arrhae, sequuto matrimonio, non reddantur. Altera est, minorem annis viginti quinque, etiamsi citra legitimam causam a sponsalibus recesserit, tantummodo ad id, quod accepit, reddendum teneri, hoc est ad acceptas arrhas restituendas, suas autem, si quas dederit, non amittere. Tertia est, parentes, qui sponsalia nomine filiorum contracta, datis vel acceptis arrhis, confirmarunt, eximi a poena perdendae arrhae, vel alienae in duplum restituendae, si filii datam ab ipsis parentibus fidem praestare nolint, dummodo parentes nullam eius infidelitatis causam dederint, sed curaverint, ut sponsalia, sicuti par erat, implerentur. Nam huiusmodi promissiones alieni facti, iuxta ius commune, et magis receptam Doctorum sententiam, resolvuntur in obligationem faciendi, curandique, quoad eius fieri poterit, ut promissio compleatur, L. final. ff. ad L. Rhodiam de Iactu, Sanchez de Matrim. lib. 1, disput. 25 et 26.

§ 12.

De poena sponsalibus adiecta.

Arrhis valde affinis est poena conventionalis, seu pactio sponsalibus adiecta, qua contrahentes sese invicem obstringunt ad poenam, seu certam pecuniam solvendam, si promissis non steterint. In hoc tamen differunt, quod arrha actualiter traditur, et poena promittitur, quodque communiter arrha in exigua quantitate, poena autem in maiori constituitur, cum quisque sit ad promittendum pronior quam ad tradendum. Iam vero si poena sive gravis sive levis ita sponsalibus apponatur, ut ab eo etiam qui ex iusta causa resilit, solvenda sit, nemini dubium est, quin naturae et indoli matrimonii per se repugnet, cum matrimonia libera sint oportet. Sic Gregorius IX in cap. Gemma de Sponsal. et Matrim.: « Cum libera matrimonia esse debeant, et ideo talis stipulatio propter poenae interpositionem sit merito improbanda, mandamus, si ita est, eumdem B. ut ab extorsione praedictae poenae desistat, ecclesiastica censura compellas.» Ea poenae appositio iure etiam civili vetita satis aperte videtur, L. Titia ff. de V. O., et L. Libera cod. de inutil. Stipulat. Hinc S. Thomas in 4 distinct. 27, quaest. 2 a. 3, ad 4 haec habet: « Quandoque autem apponitur conditio pecuniae per modum poenae, et tunc quia matrimonia debent esse libera, talis conditio non stat, nec potest exigi poena ab eo qui non vult matrimonium complere. » Et S. Antoninus 3 part. Summ. Theolog. tit. 1 cap. 18, ait:

« Licet sponsalia possint contrahi sub conditione promissae pecuniae, non tamen potest pecunia amitti per modum poenae, et si promissa fuerit, non tenet promissio, nec peti potest. » Nihilominus canonistae recentiores hinc inde pugnant, an idem ius obtineat, si poena saltem modica ita fuerit sponsalibus adiecta, ut solvi ab eo debeat, qui iniuste et perfide recessit. Aliqui enim contendunt, hanc quoque appositionem poenae nullam esse atque irritam, tum quia per citatas leges canonicas et civiles omnis poena in sponsalibus generatim et indistinctim reprobatur, nullo facto discrimine, an poena modica sit, an magna, tum quia poena sponsalibus adiecta semper officit libertati matrimonii; proclive enim est, ut matrimonium non amore potius, sed metu poenae convalescat, et ob eam causam infelicem exitum sortiatur. Alii contra sentiunt adiectam in eum poenam, qui sponsalium fidem iniuste et perfide violaverit, nullo iure improbari, irritamque decerni, non iure civili, quod adductae leges per novellam Constitutionem 18 Leonis Imperatoris emendatae sunt vel antiquatae; non iure canonico, quod citatum cap. Gemma plane loquatur de sponsalibus, quae ob defectum aetatis a puella septennio minori contracta nullomodo valebant, vel saltem huius indolis erant ac naturae, ut puella pubertatem adepta iuste potuerit ab iisdem resilire, unde immerito poena adiecta fuerat; non iure divino, quia in SS. LL. nusquam cavetur, ne poena contractui sponsalitio roborando adiiciatur: non denique iure naturali, quatenus huiusmodi poena ad actum per se honestum impellit, scilicet ad fidem praestandam, nec ullo pacto contrahentium libertas lae-

ditur, nam qui iustam non habet causam resiliendi a sponsalibus, iam libertate caret, atque ipse ut stet promissis, cum leges iubeant, tum etiam per censuras ecclesiasticas compelli potest.

Urgent etiam a paritate cum conventione, seu pacto de arrhis, quae in duplum aut quadruplum ab eo, qui iniuste resilierit, iure civili ac canonico restitui debent. Illud denique addunt, quod iniuste resiliens a sponsalibus, si compelli potest ad fidem servandam per excommunicationis poenam, quae omnium, quas Ecclesia habet, gravissima est, non videtur posse in dubium revocari, quod in eodem casu ad poenam persolvendam adigatur. Frustra autem obiicitur, quod ratio dubitandi, quam Pontifex subiicit in cap. GEMMA, adeo generalis sit, ut quaelibet poena, sive magna sive modica, sive in eum, qui legitime, sive in eum, qui iniuste resilit, constituta, improbari plane videatur. Nam ratio illa decidendi ad casum, de quo agebatur, referri debet; casus porro respiciebat puellam iuste resilientem.

§ 13.

De personis ad ineunda Sponsalia idoneis.

Sponsalia rite contrahunt qui natura, vel lege non prohibentur. Vetantur autem natura ipsa amentes, furiosi, aliique rationis usu carentes, itemque destituti sensibus ad percipiendum, vel consensum exprimendum, quemadmodum supra diximus; pueri septem annis minores, ex sententia Iurisconsultorum, quam Pontifices sequuti sunt, quia rationis usu non pollent, et ea proinde

aetate contrahendis sponsalibus inepti sunt. Ad rem S. Thomas in suppl. quaest. 43, a. 2: « Primus hominis status est, cum quis neque ipse intelligit per se, neque ab alio capere potest. Et hunc statum obtinet homo ante primum septennium, et proinde illo tempore nulli contractui aptus est, et ita nec sponsalibus. » Igitur aetas septennii completi ad sponsalium validitatem tum lege, tum natura definitur. At si cui usus rationis citius adveniat, et prudentia aetatem suppleat, hoc est, si quod agit, et quam suscipit obligationem, satis percipiat, tum et naturali et ecclesiastico iure sponsalibus ineundis aptus erit. In foro tamen externo non rata sponsalia habentur, nisi illud dilucide comprobetur, quod reipsa quidem consilium praevenerit aetatem, Glossa in cap. Iuvenis ad verb. *dubia* de Sponsal. et Matr., et plerique Doctores consentiunt; qua in re Episcopi est iudicium. Contra autem impuberes quicumque septennio maiores, quod communiter intelligunt, et in futuras nuptias possunt consentire, et Romanis legibus, sacrisque Canonibus sponsalia recte contrahunt. Quoniam vero lubricum et fragile est impuberum consilium, a sponsalibus contractis licite et valide possunt resilire, sed tum solum cum ad legitimam aetatem, seu ad pubertatem pervenerint, ita tamen ut qui prior pubertatem adipiscitur, resilire statim pro libitu valeat, nec alterum, donec pubescat, expectare teneatur. At si pubes cum impubere sponsalia ineat, non aequo iure utrinque consistunt; nam pubes a fide data numquam potest resilire, bene vero impubes, cum ad pubertatem pervenerit, sponsalia rescindere pro arbitrio poterit. Hanc autem rescissionem impuberes pubertatem

adepti exsequi et declarare statim debent, id est intra triduum, ex quo pubertatem attigerint; in iure enim statim fieri aliquid dicitur, si intra triduum peragatur: computatur autem triduum a die, quo et adeptam pubertatem, et privilegium resiliendi cognoverunt. Ni fecerint, rata firmaque sponsalia evadunt, cum ad valorem et confirmationem prioris obligationis non expressa ratihabitione, neque novo consensu opus sit, cap. De illis 7 de Desponsat. impub. Praeterea ius illud rescindendi sponsalia adimitur, si ante pubertatem adeptam, videlicet ante expletum in viro annum quartum decimum, et in femina duodecimum, carnalis copula inter eos perfecta fuerit, malitia supplente aetatem, cap. 8 eod. Probabilius est etiam non licere amplius a sponsalibus resilire, si impuberes pubertati proximi, nimirum doli capaces, servaturos sponsalia iuraverint, cap. Ex litteris 10, de Sponsal. et Matrim., ubi Alexander III eam rationem affert « quod periculosum est contra suum iuramentum venire. » Sed aliquibus haec sententia non arridet, tum quia videtur Decretalis Alexandri per posteriorem Decretalem Lucii III in cap. Requisivit 27 eod. abrogata esse, dum Lucius decrevit mulierem, quae sponsalia iuraverat, monendam esse, non cogendam, tum quia explorati iuris est iuramentum additum contractui sortiri easdem contractus conditiones; sponsalia autem impuberum conditionem tacitam habent, nisi facti puberes resiliant. At priorem sententiam diximus probabiliorem esse, quia Decretalis Alexandri III satis perspicua est, ipsius autem abrogatio est valde dubia; imo Doctores numero plures et auctoritate praestantes existimant utramque Decretalem in eo

tantum dissentire, quod Alexander III edixerit nolentes servare iuramentum per censuras Ecclesiasticas cogendos esse, Lucius autem senserit monendos potius esse quam cogendos, quod coacta matrimonia infelices exitus habere solent.

At praeter aetatem, in qua sola est discrimen inter matrimonium et sponsalia, cum ad illud contrahendum aetas pubertatis requiratur, generatim tenendum est inhabiles ineundis sponsalibus esse, qui matrimonium inter se celebrare vetantur. Omnia itaque impedimenta matrimonii, etiam quae solum impediunt et non dirimunt, illicita sponsalia et irrita faciunt. Non enim valet promissio rei, quae iure impleri non possit; contrahens vero sponsalia, si dirimenti impedimento laboret, rem impossibilem spondet, matrimonium scilicet, quod constare non potest; si impedienti tantum impedimento laboret, rem illicitam spondet, cum matrimonium contrahere prohibeatur. An autem promissio matrimonii inter impeditos licita et valida sit, si non absolute fiat, sed sub aliqua conditione, qua posita impedimentum tolleretur, hoc loco inquiri solet. In primisque certum est, si impedimentum temporale sit, non perpetuum, rite recteque contrahi sponsalia sub tacita vel expressa conditione ineundi eo tempore matrimonium, quo impedimentum abierit. Qui igitur ex. gr. ad annum voto castitatis aliove temporali impedimento obstricti sunt, ii valide sponsalia contrahunt, attamen suo tempore adimplenda. Praeterea, cum amotio impedimenti pendeat a voluntate contrahentis, sponsalia valida sunt sub conditione ipsius impedimenti amovendi, uti si fidelis promittat matrimonium infideli, apposita conditione, si con-

vertatur. Sic docet S. Thomas in 4 distinct. 39, q. 1, a. 1 ad 3 his verbis : « Dicendum quod eadem est habitudo praesentis ad praesens, et futuri ad futurum , unde sicut quando matrimonium in praesenti contrahitur, requiritur unitas cultus in utroque contrahentium, ita ad sponsalia , quibus fit sponsio futuri matrimonii, sufficit conditio apposita de futura unitate cultus. »

In eo igitur tota vertitur difficultas, an quando impedimentum perpetuum est, et eius generis, ut a solo Pontifice per derogationem iuris communis, seu per dispensationem auferri possit , sponsalia licita sint , et valeant sub conditione *Si Pontifex dispensaverit?* Tres invenio sententias: prima docet, eam promissionem esse omnino nullam , ac proinde contrahentium utrique licere ante, atque etiam post impetratam a Pontifice dispensationem, altero invito , resilire , nisi post dispensationem ipsam ratihabitio, aut novus consensus accesserit. Potissimum huius sententiae fundamentum est in L. 83, et L. 137 ff. de V. O., in quibus promissio rei, quae iure impleri non potest, nullius momenti habetur, etiamsi sub conditione in pactum deducatur.» Nec ad rem pertinet, inquit citata Lex 137, quod ius mutari potest, et id quod nunc impossibile est, potest possibile fieri; non enim secundum futuri temporis ius, sed secundum praesentis aestimari debet stipulatio. » Id habetur etiam L. 69 ff. de Stipul. Servorum « Quod si sub conditione stipuletur? Nec eo casu valet stipulatio, quia ex praesenti vires accipit stipulatio, quamvis petitio ex ea (conditione) suspensa sit. » Hanc sententiam tradunt Ioannes , Andreas , et Panormitanus in cap. SUPER EO de Condit. appos., eam-

que vero probabilem vocant Ledesma, Sanchez, de Luca, Giraldi, Berardi, Zallinger, Revue Théolog. sér. 1, pag. 75, Mélanges Théol. sér. 2, p. 592, et « Acta ex iis excerpta, quae apud S. Sedem geruntur etc. » fascic. II, mense Aug. 1865, innixi quibusdam S. C. C. decisionibus, ex quibus inferunt huic sententiae adeo esse inhaerendum, ut ab ea recedere nulli amplius permissum sit. Secunda praecipuum auctorem habet Guttierez, eamque exponit Sanchez de Matrim. lib. 5, disp. 5, n. 11 his verbis: « Secunda sententia docet talem contractum et promissionem obligare; at esse revocabilem, posseque alterutrum contrahentem, altero invito, resilire ante et post dispensationem impetratam, nisi ea impetrata ratificetur consensus, sicut sponsalia impuberum rata sunt et obligatoria, revocabiliter tamen, cum possit uterque pubes factus resilire, ut diximus. Dicitur revocabilis quia non est dicendum ita firmum et irrevocabilem esse hunc consensum praestitum a personis inhabilibus sub conditione, si Princeps dispensaverit, ac quando personae sunt habiles. » De hac sententia ita censet idem auctor cit. loco n. 13: « Secundam autem hanc sententiam minime percipio. Non enim video qualiter stare possit aliquem esse obligatum, et semper posse resilire; si enim potest resilire, ergo non est obligatus. Nec confert simile de sponsalibus impuberum : quia impuberes non semper resilire possunt, sed statim ac pubertatem nacti fuerint ; at iuxta hanc sententiam possunt semper contrahentes resilire, nisi obtenta dispensatione novam obligationem ineant. » Tertia denique sententia, quam praeter Engel, Pirhing, Reiffenstuel, de Iustis amplexati sunt S. Alphonsus

de Ligorio l. 4, n. 650, l. 6, n. 843, 859, Scavini, Gury n. 1438, et auctor Theol. mor. ad usum Semin. Mechlin. 1861, docet sponsalia sub conditione dispensationis Pontificiae nullius roboris et effectus esse, ubi promittentes eo ligentur impedimento, in quo Pontifex non soleat dispensare, aut nequeat, aut etiam si nulla adsit iusta causa dispensationis obtinendae. At vero si contrahentibus subsit iusta causa dispensationem petendi, et impedimentum eius generis sit, in quo Pontifex facile et frequenter dispensat, hoc in casu censet sponsalia rata firmaque esse, ex iisque irrevocabilem obligationem oriri tum dispensationem Pontificis comparandi, tum, ea impetrata, matrimonium contrahendi. Haec autem sententia caeteris, ni fallimur, probabilior est et ferme certa. Namque explorati iuris est ex contractu conditionato, modo conditio honesta et possibilis habeatur, veram obligationem induci, adeo ut cum semel exstitit conditio, conventis standum est « perinde ac si eo tempore, quo stipulatio interposita est, sine conditione facta esset » L. Potior 11, ff. Qui potior. in pignor. At conditio, de qua disputamus, honesta est; versatur enim circa obiectum honestum, scilicet matrimonium post obtentam dispensationem ineundum; est etiam possibilis, ubi impedimentum ecclesiastici iuris sit, nec desit causa, ob quam Pontifex soleat facili negotio dispensare. Praeterea huiusmodi sponsalia duplicem obligationem involvunt, alteram petendi dispensationem, alteram, dispensatione obtenta, contrahendi matrimonium, quod quidem utrumque honestum et possibile est. De his plura dabit Sanchez cit. loco, et S. Alphonsus de Ligorio, cuius haec sunt verba: « quia omnis contractus, licet pro

tempore impedimenti non sit validus, potest tamen esse validus respectu ad tempus quo impedimentum aufertur: actus enim factus tempore inhabili valet iuxta iurisprudentiae axioma pro tempore habili, ad quod refertur. » De septimo praec. dec. de restit. n. 650.

Dixi doctores primae sententiae quam maxime inniti auctoritate S. C. C. Reapse 1° affertur decisio in Burgens. Sponsalium 26 Ian. 1709, ubi haec habentur: « Per litteras speciales huic S. C. transmissas refert Episcopus Burgens. quod Vincentius Scevoli, filius Matthaei et Magdalenae, filia T. B. Scevoli, ambo de parochia Braxii, et invicem coniuncti duplici quarto consanguinitatis gradu, contraxerunt sponsalia de futuro coram testibus et eorum propinquis, parentibus et amicis, et sub conditione, quod Vincentius sponsus apostolicam dispensationem super tali impedimento impetrare debuisset, quodque post aliquod temporis poenituerit Vincentium dictorum sponsalium, a theologis et doctoribus instructum sese nullo pacto teneri ad eorum observantiam, utpote initorum inter personas impedimento dirimente obnoxias: viceversa Magdalena sponsa, perstans in eorumdem sponsalium firmitate et observantia, recursum habuit ad eumdem Episcopum, qui tamen anceps in huiusmodi dubii resolutione, humillime exoravit EE. PP. pro eius declaratione, quod sane propositum in anteacta congregatione iussum fuit, ut illud poneretur in folio. Hinc parendo mandatis, hodie proponitur; an sponsalia sustineantur in casu. S. C. C. respondit: Negative. » 2° Adducitur decis. in Ian. 12 Dec. 1733; en casus. Post sponsalia inter duos quarto consanguinitatis gradu die

18 Martii eiusdem anni celebrata, et biduo post confirmata tum iurisiurandi religione, tum promissione, quae priori chirographo deerat, impetrandae dispensationis, vir cum alia contraxit sponsalia. Prior sponsa promissionis exequutionem adurgebat, eo vel magis, quod veniam a S. Sede obtentam praeferebat. Proposito dubio, an sponsalia sustineantur, S. C. C. reposuit « negative et amplius. » Huic similis est triplex eiusdem decisio, seu Sypon. resol. spons. 2 Maii 1857, Milevitana 22 Feb. 1862, et Bonaventura imped. Spons. 27 Ian. 1863, ubi eamdem quaestionem propositam esse, eodemque sensu resolutam affirmare iidem auctores non reformidant.

Verum haec documenta non adeo momentosa sunt, ut impediant, quominus tertiae sententiae adstipulemur. Etenim decisiones allatae dubio respondent: « An sponsalia in casu sustineantur? » Porro aliud est inquirere, an sponsalia sub conditione, si Papa dispensaverit, licita sint, et obligationem absolutam in se inducant petendi dispensationem, et exspectandi conditionis eventum; aliud est quaerere, an sponsalia sustineantur. Aliud est dicere sponsalia nulla esse, aliud ea non sustineri. Haec duo valde diversa, ac disparata inter se sunt. In priori casu agitur de quaestione iuris, seu de intrinseco sponsalium valore; in secundo quaestio facti proponitur, seu de agendi modo inquiritur, qui a pluribus rerum adiunctis dependet. Ubi decernitur sponsalia non esse licita, prono alveo, ac legitima consequutione descendit ea non sustineri. Verum e contra ubi statuitur sponsalia non sustineri, non inde infertur nec licita ullo modo ea esse aut valida, quandoquidem licet con-

stet de validitate sponsalium, adeoque de obligatione, qua uterque obstringitur a fide data haud resiliendi, fieri tamen potest, ut quaestio practica submoveatur, num sponsalia, omnibus perpensis facti adiunctis, sustineri debeant, vel potius dissolvi. Neminem namque latet, alienum esse a S. C. C. praxi coactionibus uti, *quae difficiles solent exitus frequenter habere:* adeoque in materia sponsalium in moris habere, ut pars invita, ad ea, quantumvis valida, implenda nullo modo adurgeatur, ubi ex matrimonio coacto, magna exinde dissidia, ac scandala pertimescenda facile sibi persuadeat. Quae cum ita sint, iam pluribus opus non est, ut quisque facile sibi persuadeat, citatas decisiones alio spectare, adeoque quaestionis, de qua agitur, nodum nullomodo praecidere. Quod ut clarius innotescat, non abs re erit pauca de singulis decisionibus satius animadvertere, quam disputare. Ad primum porro quod attinet, attenta vel ipsa dubii formula, nil vetat quominus dicamus S. C. C., missa quaestione iuris, decrevisse sponsalia, de quibus disputabatur, non sustineri, sive quod nulla iusta aderat causa petendae obtinendaeque dispensationis, sive quod sermo erat de duplici consanguinitatis gradu, in quo tunc temporis tam facile dispensari non solebat, sive quod praevidebatur matrimonium, si pars renuens ad contrahendum adurgeretur, infelices exitus habiturum, sive demum quod alia aderant rationum momenta, quae exposcebant, ut pro bono pacis prudenti, ac opportune procedendi modo provideretur, ipsumque ius, si quod esset quaesitum, licet valida essent sponsalia, auferretur. Idem profecto dicendum est in secundo casu, ubi duo praeterea accedunt notatu

valde digna. Alterum est, quod sponsalia die 18 Iunii simpliciter et absolute celebrabantur, et nonnisi biduo post conditio petendae dispensationis adiungebatur. Alterum est, quod, inscio viro, ut ipse asserit, supplices preces multo ante porrectae, et apostolicae dispensationis litterae, ante ipsa sponsalia, obsignatae fuerant. Quibus rebus sic se habentibus, nemo est, qui statim non videat, planeque intelligat haud agi in casu de quaestione, an sponsalia valida sint, sed potius quaeri, an dispensatio, a momento, quo signata fuit, impedimentum sustulerit, ita quidem ut sponsalia postmodum inita aeque valida dicenda essent, ac si inter personas contracta, quae nullo amplius canonico impedimento ad nuptias celebrandas detinerentur. Quum huic quaestioni negativum responsum dandum sit, «eo quod dispensatio non tollit statim impedimentum, sed mandatum dumtaxat praesefert ad dispensationem indulgendam » adeo ut impedimentum perseveret, usque dum litterarum Apostolicarum exsequutio illud non sustulerit, iam facile intelligitur, cur S. C. C. sponsalia non sustineri in casu reposuerit. Facili pariter modo explicari possunt tres adductae nuperrimae decisiones. Nam in prima agitur de sponsalibus pure et simpliciter initis, quippe quod de dispensatione obtinenda serius actum est, quando nempe impedimentum consanguinitatis, quo sponsi detinebantur, post primam solemnem denunciationem detegebatur, eodemque ferme momento quo vir, mutato consilio, sponsalia cum alia conciliavit, causam praetexens, quod mulier ipsa iuri suo renuntiaverit, eiusque parentes fidem non praestiterint in tradenda dote, quam promiserat.

Cum itaque dos promissa non sit soluta, et dispensationis litterae non modo transmissae, sed neque obsignatae sint, mirum non est, quod sententia Episcopi, quae validum esse impedimentum decreverat, virumque ad datam fidem servandam obstrinxerat, infirmata fuerit. In secundo casu nil omnino reperitur, quod evincat conditionem petendae dispensationis certo et ineluctabili modo contractui fuisse appositam, quin imo ex actis apparet patrem dumtaxat preces ad S. Sedem porrexisse, ut filiae nuptias facile conciliaret. Accedit sermonem esse de secundo consanguinitatis gradu, super quo difficilior dispensatio esse solet. In tertio tandem casu, vel dicendum est non constare de contractis sponsalibus, cum ex una parte vir animi potius votum, quam veram promissionem cum intentione sese obligandi emiserit, et ex altera vel nulla mulieris repromissio deprehendebatur, vel si de promissione mutua nubendi cum obligatione obtinendae dispensationis dubitari nequiverat, adhuc tamen dubium supererat, an adiecta conditio « Si Caia se honestam servasset, » ex actis iudicialibus, impleta fuisset, unde ad dubium: «An et quomodo sustinendum, vel removendum sit impedimentum sponsalium in casu?» iure merito responsum est: « Negative ad 1 p., affirmative ad 2. Quibus sic positis, ac disputatis, concludendum cum clar. Scavini Tract. de Mat. l. 2, c. 2, q. 4; *Non obstare videntur leges et decisiones S. C. C., quia, ut notat Alasia, intelligendae sunt de casu, in quo aut non solet Papa dispensare, aut non adest dispensandi causa: aut alia occurrunt specialia rerum adiuncta, quae promissionem illam infirmant.*» Nec aliter se res ha-

bere posse videtur: nam si *ex adductis decisionibus manifestum esset , S. C. censuisse nulla sponsalia inter consanguineos inita non ex alia ratione esse, quam ex consanguinitatis impedimento , quod inter sponsos intercedebat , nullo pretio habita conditione , si Papa dispensaret* , ut asserit auctor op. Acta ex iis excerpta etc. append. 4, p. 121, sequeretur profecto huiusmodi sponsalia eodem modo, eademque ratione nulla esse ac irrita, ac illa, quae cum impedimento simpliciter et absolute contrahuntur. Quo posito, unde, sciscitor, fit, ut in hoc secundo casu sponsalium obligatio prorsus evanescat, et liberum sit parti utrique, suo lubitu et absque iudicii strepitu , datam fidem infringere , dummodo in illo primo casu sponsalium impedimentum ad statum liberum , saepe opponitur, mandatum de non nubendo pronunciatur, pro impedimenti remotione non raro iudicialiter agitur et etiam quaestio agitatur , an exinde impedimentum publicae honestatis oriatur? Id porro explicatu difficile est, si nullum inter utrumque casum , ex praxi S. Cong. C. , discrimen admittatur. Restat itaque , ut dicamus ex citatis decisionibus propositae quaestionis nodum solutum adhuc non esse.

§ 14.

De sponsalibus filiorumfamilias.

Restat ut dicamus, utrum filiifamilias, sine parentum consensu et auctoritate, habiles sint licitis et validis sponsalibus ineundis. Quaestio est de solis sponsalibus ; nam quod matrimonium spectat, ipsius validitas a contrahentium consensu o-

mnino pendet, nequaquam vero a nutu eorum, sub quorum dominio vel potestate constituti sunt; quod generatim Sacris Canonibus sancitum est, et definitum a Concilio Trid. sess. XXIV, cap. 1 de Reform. Matrim. ubi anathemate percutit, « qui falso affirmant, matrimonia a filiisfamilias sine consensu parentum contracta irrita esse, et parentes ea rata vel irrita facere posse. » De huiusmodi filiorumfamilias matrimoniis sermo inferius redibit. Porro filiifamilias, insciis aut rationabiliter invitis parentibus, matrimonia contrahentes, peccant graviter, quod in re tanti momenti tum ecclesiasticas leges, tum ipsum violant naturale et divinum praeceptum de parentibus honorandis. Praeterea, nemo prudens nescit quot gravia mala, scandala, iurgia et inimicitiae, lethales etiam et diuturnae, inter parentes aut consanguineos ex huiusmodi male auspicatis connubiis oriri soleant, cum maxima familiarum et reipublicae ipsius perturbatione. Iam vero si tales nuptiae tot tantisque peccatis et periculis plenae sunt, procul dubio sponsalia seu promissiones earumdem admodum illicitae et nefariae habendae sunt, cum nequeant sine peccato et iniuria parentum adimpleri: « impia est enim promissio, quae scelere adimpletur, » quod habetur Caus. In malis 22, q. 4. Vide Muscettula in dissertat. theolog. legal. de sponsalibus et matrimonio, quae a filiisfamilias contrahuntur, parentibus insciis, vel iuste invitis, cum notis Mazzocchi. Romae 1766.

De his autem cum Doctoribus controversiae nihil est, sed disputatio copiosa et valde anceps, quam hoc loco instituimus, eiusmodi est, utrum

filii, parentibus insciis vel repugnantibus, si non licite, at saltem valide sponsalia contrahant? Igitur disputatio in primis est de sponsalibus, quae insciis parentibus contrahuntur, quando scilicet filii, clam parentibus suis, sibi mutuam dant fidem ineundi matrimonii. Fieri autem potest, ut filius non peccet, inscio patre, sponsalia ineundo, si nimirum prudenter putet patrem ea rata habiturum, quemadmodum Tobias, inscio patre, uxorem duxit. Itaque in his casibus sentiendum est, haec furtiva sponsalia habere implicitam conditionem, si parentes consenserint, nam omnis actus eo modo interpretandus est, ut liceat, nedum valeat. Igitur erit in potestate parentum ea rata facere vel irrita, aut certe iuxta Doctores omnes dissensus parentum legitimam causam praestabit eius generis sponsalia dissolvendi. At vero si filii, non insciis, sed scientibus vel invitis iure merito parentibus, sponsalia ineant, tunc huiusmodi sponsalia procul dubio illicita sunt et peccaminosa; quin et irrita nullaque prorsus esse recentiores aliqui Doctores vehementer contenderunt. Namque ex communi Canonistarum sententia, ut ipsi aiunt, quovis impedimento etiam impediente ligati, nec licite, nec valide sponsalia faciunt, quia certi iuris est sponsiones turpes, seu quae impleri sine peccato non possunt, nullius esse roboris. Igitur sponsalia filiorumfamilias, dum parentes rationabiliter inviti sunt, irrita et nulla habenda erunt, quia matrimonium quod spondetur, sine peccato contrahi non potest. Ex qua sententia illud consequitur, quod sponsalia illicita continuo invalida sunt, quia dum prohibentur, ne fiant, etiam facta vitiosa sunt, et robore carent; contra quam

accidit in matrimonio, quod potest esse validum, quamvis non licitum. Cuius quidem discriminis ratio in eo posita est, quod sponsalia a nuptiis differant non solum nomine, sed etiam natura, fine, et effectibus; siquidem sponsalia perficiuntur pactione, seu promissione, de futuro matrimonio, nuptiae praesenti traditione, cohabitatione, et individua vitae societate; matrimonium est Sacramentum, sponsalia non item; illud est irrevocabile et indissolubile, sponsalia revocari et dissolvi possunt.

Verum huic opinioni non penitus assentimur. In primis *quae contra ius fiunt, debent pro infectis haberi* regula generalis est, quae ad actus tum revocabiles, tum etiam irrevocabiles pertinet, eiusque sensus est, eos actus, qui contra legem prohibentem simul et irritantem admittuntur, nullius momenti et roboris esse, perinde ac si numquam gesti fuissent. At vero actus, qui aguntur contra legem tantum prohibentem, sed non etiam irritantem, nullos et invalidos esse, neque regula explicat, neque apud Doctores compertum est, cum adhuc in dubio positum sit, utrum actus, qui lege prohibiti sunt ob eam causam irriti haberi debeant. Iure quidem civili, et praesertim L. 5 cod. de Leg. haec leguntur: « Ea quae lege fieri prohibentur, si fuerint facta, non solum inutilia, sed pro infectis etiam habentur, licet Legislator fieri prohibuerit tantum, nec specialiter dixerit inutile esse debere quod factum est. » Verum haec lex, quae interpretes vexat, a Iure canonico correcta est, dum Innocentius III, cap. 16 de Regul. diserte pronuntiaverit: « Multa prohibentur, quae si facta fuerint roboris obtinent firmitatem.» Igitur sponsalia, invitis parentibus, facta, cum a

legibus prohibeantur, sed non irritentur, illicita quidem, valida tamen erunt. Insuper ad probandam huiusmodi sponsalium validitatem maxime facit tribunalium ecclesiasticorum praxis, in quibus eadem sponsalia, iniussu parentum, facta pro ratis habentur, neque filii ab eorum vinculo solvuntur, nisi ministerio Iudicis, et causa cognita. At vero si res foret de sponsalibus indignis, quibus tota propinquitas iniuria et dedecore afficeretur, certum est consensum genitorum non sufficere, ut huiusmodi sponsalia honesta et licita redderentur. Cum enim totius familiae honor et decus in discrimen adducitur, profecto ad ea impedienda nedum parentibus, verum et caeteris consanguineis ius esse nemo nescit. Sane in dubio positum est, utrum homo adeo sit suae famae dominus, ut eius possit pro libitu iacturam facere? Sed doctores consentiunt id minime licere, si infamia in alios vergat, puta in filios, in fratres, in familiam, in religionem, in patriam. Ad rem Raphaël Anversa de Sacram. Matrim. quaest. 7, sect. 7: « Si inirent indignum aliquid matrimonium cum notabili dedecore et ignominia familiae, quamvis cum consensu parentum, peccarent adhuc filii contrahendo et parentes consentiendo, quando matrimonium esset cum dedecore aliorum de familia. » Itaque ex his, quae nobis visa sunt probabiliora, compertum habetur filiosfamilias graviter delinquere, si parentibus rationabiliter invitis sponsalia ineant, sponsalia autem rata et valida esse. Qua tamen in re quoties parentes dissentiant, vel scandala, iurgia, dedecus familiae, aliave gravia mala prudenter timeantur, integrum est parentibus atque etiam consanguineis, quorum

intersit, ecclesiasticum Iudicem adire, ut matrimonium interdicatur. Certum etiam est, sponsalia invitis parentibus inita dissolvi posse, licet iuramentum intercesserit, uti tradit Benedictus XIV Instit. Eccles. 46.

§ 15.

De effectibus sponsalium.

Duo praecipui sunt sponsalium effectus, alter generalis et omni contractui communis, videlicet obligatio praestandi, quod promissum est, cum nihil tam fidei humanae congruum sit, quam ut pacta serventur et adimpleantur, cap. 1 et 2 de pactis; L. 1 ff. de Pact. Alter effectus sponsalium est impedimentum publicae honestatis inter sponsi et sponsae consanguineos, de quo infra sermonem habebimus. Iure quoque veteri sponsalia, quibus commercium ipsum carnis accesserat, in matrimonium transibant, cap. 15 et 30 de Sponsal. et Matrim., quod tamen per Syn. Trid. sublatum est.

Primo itaque ex sponsalibus obligatio oritur ad nuptias contrahendas cum persona desponsata, eaque obligatio non ex sola virtute fidelitatis profluit, ut aliqui doctores sentiunt, sed ex iustitia commutativa, cum sponsalia ob speciale nomen sint verus contractus nominatus, aut certe contractus innominatus, *facio ut facias;* ex quovis autem contractu nascitur stricta obligatio iustitiae, et grave est fidem fallere. Neque vero huic sententiae quidquam officit, quod iure civili desponsatis permissum sit poenitere et alteri nubere; id

namque iure canonico improbatum est, quod vult promissiones nuptiarum ratas et firmas esse , et non suadet modo, sed minis etiam urget, ut sponsalibus satis fiat, de quo paulo infra. Imo veteri Romanorum iure ex sponsalium stipulatione actio *ex sponsu* dabatur, et solummodo perditis Romanae Civitatis moribus repudiorum licentia irrepsit; quod Hottomannus de cestis et incestis nuptiis part. 3 et 4 aliique observant. At vero si nuptiarum promissioni iuramentum addatur, tunc vinculum sponsalium fortius et sanctius fit, et qui fidem fregerit, non modo iniustus, sed etiam periurus habendus erit; neque enim homini soli iniuriam facit, sed interpositam ipsius Dei auctoritatem contemnit.

Cum in sponsalibus nulla dies aut terminus promissioni implendae praestitutus est, matrimonium cum primum poterit, iniri debet ex L. In omnibus 14 ff. de R. I.: « In omnibus obligationibus in quibus dies non apponitur praesenti die debetur; » et L. Eum qui 41, § *quoties* ff. de V. O.: « Quoties in obligationibus dies non ponitur, praesenti die pecunia debetur. » Saltem matrimonium ineundum est, quando alteruter contrahentium postulat promissionem impleri, quam sententiam tuentur Sanchez, aliique plures ob eam rationem, quod creditor conscius ac memor sui iuris, et potens commode petere quod sibi debitum est, nec tamen petit, censetur dilationi consentire, nisi forte propter pudorem vel timorem non audeat petere, uti contingere in feminis solet natura verecundis; tunc enim sponsa, quamvis actu non petat, interpretative tamen videtur petere, et sponsus in mora constituitur. Verum Docto-

rum omnium una sententia est, admonendos esse sponsos, ut citius matrimonium contrahant, dum ea res in posterum dilata libidinum et peccatorum occasio esse soleat. Si quis autem citra causam iustam detrectet matrimonii celebrationem, monendus prius est, et si adhuc renuat, per censuras, aliasque poenas compellendus, praesertim si sponsalia iureiurando confirmaverit. Id constat ex cap. LITTERIS de Sponsal. et Matrim., cui quidem capiti, ut supra diximus § 13, Lucius III, cap. REQUISIVIT non videtur consentire ; nam vult nolentes servare sponsalia monendos potius esse quam cogendos, ex quo perspicuum est praedicto capiti LITTERIS nonnihil derogatum esse. At vero Lucius quidem vult contrahentes moneri potius quam cogi, hoc est monitionibus utendum in primis esse, sed tamen compelli non vetat omnino. Verum in hoc negotio vel levissima causa habetur pro rationali, quamobrem a censuris temperandum est, quia coactio hac in re difficiles exitus habere solet. Hinc prudentem neminem reperies acerbe nimis censuris abuti ad sponsos urgendos, ut fidem praestent. At si contrahentes stupro etiam se contaminaverint, res alio iure procedit, ex iis de quibus supra disputavimus in § 6.

§ 16.

De sponsalium dissolutione ob mutuum consensum.

Universalis ratio in omni promissione est eam dissolvi, si consentiat ille cui facta est, aut si quid accidat, propter quod incipiat promissio inutilis esse, sive nóciva, sive etiam impossibilis,

aut certe quod si adfuisset, quando promissio fiebat, iure merito impedivisset, quominus promitteretur. Hinc igitur praeter mortem naturalem, quae omnia solvit, doctores colligunt decem praecipuas causas, propter quas sponsalia dissolvuntur.

Prima causa est mutuus sponsorum consensus, quia «omnis res per quas causas nascitur, per easdem et dissolvitur.» cap. 1 de R. I.: « et obligationes quae consensu contrahuntur, contraria voluntate dissolvuntur; » § ult. Institut. Quibus mod. tollant. obl. Idemque iuris est, etiamsi sponsalia iusiurandi religione firmata sint, siquidem iuramentum non immutat naturam actus, cui accedit, et idcirco quemadmodum simplex promissio matrimonii, ita etiam iurata promissio consensu mutuo solvi potest. Controversia in illo est, utrum iurata sponsalia, consensu mutuo, dissolvi possint, quando iuramentum non modo in confirmationem sponsalium, sed principaliter, ut aiunt, in partis favorem emissum est? Iam vero certum est et exploratum, horum sponsalium dissolutionem voluntate contrahentium fieri recte posse. Etenim iuramentum sequitur naturam et conditionem actus, cui fuit adiectum, arguunt regulae accessorum 42 in 6. Quemadmodum itaque simplex promissio, ita et iurata matrimonii promissio mutuo dissensu potest dissolvi. Ea etiam accedit ratio, qua omni iuramento tacita conditio inest, « si is, in cuius favorem praestitum est, voluerit illud servari. » Tota igitur disputatio ad eum casum redigitur, quo iuramentum principaliter in honorem Dei emissum comperiatur, prout esset, si quis puellae pauperi, intuitu et amore Dei, iuret

se eam in matrimonium ducturum? Non pauci sponsalia haec iurata dissolvi mutuo consensu posse inficiantur, et citant S. Thomam 2, 2, quaest. 89 a. 9 ad 12, ubi inquit: « Homo potest alteri promittere aliquid sub iuramento dupliciter. Uno modo quando promittit aliquid pertinens ad utilitatem ipsius, puta si sub iuramento promittat se serviturum ei, vel pecuniam daturum, et a tali promissione potest absolvere ille, cui promissio facta est: intelligitur enim iam ei solvisse promissum, quando facit de eo secundum eius voluntatem. Alio modo promittit aliquis alteri, quod pertinet ad honorem Dei, vel utilitatem aliorum, puta si aliquis sub iuramento promittat alicui, se intraturum religionem, vel aliquod opus pietatis facturum. Et tunc ille, cui promittitur, non potest absolvere promittentem, quia promissio non est facta ei principaliter, sed Deo, nisi forte sit interposita conditio, ratione cuius possit, scilicet si illi videbitur, cui promittitur, vel aliquid aliud tale.» At potiori iure, ni fallimur, sponsalium dissolutio eodem in casu ab aliis admittitur. Huiusmodi quippe iuramentum Deus non videtur acceptare, nisi in utilitatem puellae, quae proinde potest promissionem factam sibi remittere. Qui hanc sequuntur sententiam mentem S. Doctoris ex posterioribus citatis verbis ita explicant, ut res iuramento promissa remitti et condonari ab homine nequeat, quando in eius utilitatem tota non cedat, uti si quis alteri iuraret se religionem ingressurum, vel Ecclesiam aedificaturum, quae proprie iuramenta sunt, sive vota. Contra autem si promissio, etiam intuitu Dei facta, omnino vergat in utilitatem eius, cui iuratum est, poterit ab

eo remitti et condonari; iuri enim suo quilibet renuntiare potest, et quamvis religio in Deum causa fuerit, cur promissio facta sit, res non Deo tamen, sed homini promissa est. Haec tamen accipias de sponsalibus puberum, nam quod ad impuberum sponsalia spectat, supra diximus.

§ 17.

De dissolutione ob lapsum temporis.

Secunda est lapsus temporis ad finiendam sponsalium obligationem a contrahentibus constituti, nam, ex regula Iuris 85 in 6, « Contractus ex conventione legem accipere dignoscuntur. » Igitur sponsalia ob conditionem non impletam obligare desinunt: interest tamen nosse, utrum matrimonium stato tempore celebratum non sit culpa utriusque, an alterutrius, an neutrius. Si uterque nuptias inire neglexerit, utrinque solvitur obligatio; mutuo enim consensu eisdem videntur renuntiasse. Si ex parte unius tantum culpa intercessit, tum is a sponsalium obligatione solvitur, per quem « non stetit, quin ad statutum terminum matrimonium consummaverit, » id est contraxerit, uti perspicue habetur in cap. Sicut de Sponsal. et Matrim. Is autem, qui in culpa fuit, a vinculo sponsalium non liberatur; nemo quippe debet ex propria iniquitate commodum reportare. Quod si per neutrum stetit, quominus nuptiae celebrarentur, sed uterque legitimo impedimento non potuit praestare fidem, Sanchez lib. 1 de Matrim. disp. 53, n. 8, aliique Doctores sponsalia dissolvi docent, propterea quod, expleto tempore, cui obli-

gatio alligata est, eadem obligatio desinit: « actus quippe agentium non debent operari ultra eorum intentionem, » L. Non omnis ff. Si certum pet. At vero si tempus constitutum sit non ad finiendam, sed ad implendam obligationem, cum scilicet in sponsalibus tempus praestitutum est, intra quod obligatio ineundi matrimonii implenda sit, non exstinguenda, veluti si sponsi nuptias sibi promitterent intra annum contrahendas, expleto anno, obligatio non exstinguitur. Hoc enim in casu, quasi duo contractus sunt, alter ineundi matrimonii, alter certo tempore ineundi; qua de re prior obligatio semper manet, etiamsi contrahentes suo tempore non impleverint; perinde atque debitor pecuniae certo tempore solvendae a facienda solutione non eximitur, etiamsi pecuniae dies venerit, nec eam solverit. Interdum etiam perficiendis sponsalibus terminum Iudex constituit, cap. Ex publico, de convers. coniug., quo elapso, ille per quem non stetit, aliud matrimonium inire potest, quia terminus praestitutus censetur obligationi finiendae, ne scilicet diutius cum periculo fornicationis nuptiae protrahantur.

§ 18.

De dissolutione ob alterius sponsi absentiam.

Tertia est diuturna alterius Sponsi absentia. Aliquando contingit ut, sponsalibus rite contractis, sive vir sive mulier alio abeat, altero inscio vel invito. Ius quidem Romanum, si causa absentiae sit necessaria, veluti si sponsus ob defensionem patriae, iussu Principis, profectus sit, aut si infirmi-

tate correptus, aut ab hostibus captus reverti non possit, decernit expectandum a sponsa per triennium, quadriennium, et adhuc diutius arbitrio Iudicis, L. 17, ff. de Sponsal. Absens vero ex causa voluntaria, si intra provinciam commoretur, per biennium, L. Si is 2 Cod. eod., si extra provinciam, per triennium expectandus est, L. Liberum 2 Cod. de repudiis. Verum Alexander III cap. De illis hoc tit. sic pronuntiavit : « De illis autem, qui praestito iuramento promittunt, se aliquas mulieres ducturos, et postea eis incognitis dimittunt terram, se ad aliam terram transferentes, hoc tibi volumus innotescere, quod liberum erit mulieribus ipsis, si non est amplius in facto processum, ad alia vota se transferre. » Quare iuxta leges canonicas ad Episcopum confugiendum erit, et tempus absenti praefiniendum, intra quod, nisi redierit, alter sponsus ab omni exemptus vinculo declaretur, eique facultas fiat, ut quamlibet vitae rationem amplecti, aliaque, si velit, sponsalia inire possit.

§ 19.

De dissolutione ob matrimonium cum alia initum.

Quarta est, cum sponsalia solvuntur per matrimonium, quod sponsus cum alia muliere, aut sponsa cum alio viro contraxerint. Hic autem tria sunt apud omnes certa et explorata : I. Eum qui matrimonium contrahit, graviter peccare, quod in re gravi fidem frangit, et iniuriam alteri facit, qui ius ad matrimonium ineundum ratione sponsalium adeptus erat ; quin etiam eum, qui fidem fefellit,

teneri praestare damna, si qua pars innocens passa est. II. Matrimonium sic contractum validum esse; fortius enim est vinculum matrimonii, quam sponsalium. « Si aliquis alicui mulieri fidem fecerit pactionis, ait S. August. in cap. 1 de Sponsa duor., non debet aliam ducere ; si aliam duxerit, poenitentiam debet agere de fide mentita: maneat tamen cum illa quam duxit, non enim rescindi debet tantum Sacramentum. » III. Priora sponsalia ipso iure dissolvi, nec amplius obligare saltem respectu partis innocentis, cui fas est ad alia vota transire, tum quia frangenti fidem fides frangi potest, L. Convenerit ff. pro socio, L. Proponas cod. de pactis, tum quia matrimonium cum alia contrahens ostendit se priori contractui renuntiare. Verum in dubitationem venit, an sponsalia dissolvantur, dum alter matrimonium contrahit, alter vero innuptus manet, nec iuri suo renuntiat? Probabilius videtur obligationem sponsalium, ex parte eius, qui contra ipsorum fidem nuptias inivit, non penitus exstingui, sed manere suspensam, quousque durat matrimonium, ita ut si coniugis morte dissolvatur, prior obligatio reviviscat. Nam obligatio parti innocenti ex sponsalibus quaesita per alterius matrimonium iniuste contractum penitus auferri non potuit, cum « non debeat alteri per alterum iniqua conditio inferri; » et « factum cuique suum non adversario nocere debeat, » Reg. 75, et 198 ff. de R. I. Praeterea prior sponsalium obligatio aut ex iuris dispositione, aut ex ipsa natura rei ob secutam potiorem fortioremque obligationem exstingueretur. At vero non extinguitur ex iuris dispositione, quia Canones, qui contra adduci solent, non id plane definiunt; neque

etiam ex ipsa rei natura, quia priori vinculo, dum fortius vinculum supervenit, eique impedimento est, quominus impleatur, vis prioris vinculi non exstinguitur, sed durante impedimento suspenditur, veluti cum quis votum religionis emisit et postea matrimonium contraxit, consumatque, non exstinguitur voti obligatio, sed soluto matrimonio teneretur ingredi religionem, Argum. cap. 3 de convers. coniug.

§ 20.

De dissolutione ob posteriora sponsalia inita.

Quinta est, si quis, primis sponsalibus validis et adhuc integris, non quidem matrimonium, sed secunda sponsalia iniverit; nam ex certa et communi Doctorum sententia posteriora sponsalia irrita et nulla sunt, nec ullum ex eis publicae honestatis impedimentum oritur. Neque etiam secunda sponsalia, si iuramento firmata sint, officiunt prioribus; siquidem posterior promissio, cum sit illicita, eo quod in praeiudicium alterius, et adversus legem primae desponsationis facta, nullam vim ex iuramento mutuatur, quia iuramentum esse nequit vinculum iniquitatis. Nec demum posteriora sponsalia valent, etiamsi secunda femina priorum sponsalium ignara decepta sit, et violata sub spe coniugii, quoniam iniuria illata posteriori feminae non aufert ius suum priori: hanc tamen caritate et aequitate quadam iuri suo renuntiare debere opinantur passim Canonistae, quando ipsa leviter laederetur, contra autem deflorata grave damnum magnamque honoris iactu-

ram pateretur. In locis autem, ubi nondum Tridentinum publicatum est, secunda sponsalia vincunt, si copula carnalis intercessit, quia ex hac copula in foro externo contrahitur perfectum omnino matrimonium, ut decisum est c. 30 de Spons. et Mat. Huc spectat decisio S. C. de Propaganda Fide 5 Martii 1816 ad dubium «An sponsalia, quae copula carnalis pluries subsequuta est, censeantur transiisse in matrimonium indissolubile in locis, ubi lex Concilii Tridentini publicata non est, etiam quando sponsus et sponsa asserunt se in actu copulae nihil aliud intendisse, quam ut naturali suae invicem inclinationi et passioni indulgerent. » S. C. reposuit: « Affirmative, iuxta caput 5 qui de Sponsalibus et Mat. » Eodem die et anno, eadem Sacra Congregatio ad dubium septimum a R. D. Ioanne Guérard Provicario Generali Vicarii Apostolici Tunkini occidentalis respondit: « quaecumque copula, modo vera, et in vase debito peracta (etiamsi per accidens sit ad generationem inepta) efficit, ut sponsalia transeant in verum matrimonium, dummodo in ea regione concilium Trid. non fuerit publicatum. » Non possum hic silentio praeterire instructionem, quam 17 Ianuarii 1821 eadem S. Congregatio ad omnes Episcopos Vicarios Apostolicos in Imperio Sinarum eique adiacentibus regnis atque Provinciis misit, qua continetur responsum ad tria sequentia Dubia. «*Dubium Primum.* An in Chinae, Cochinchinae et Tunkini utriusque Regionibus, in quibus Tridentinum de Matrimonio Decretum nondum promulgatum est, Copula sponsalia subsequens verum Matrimonium inducat, etiamsi sponsi inter coëundum non maritali affectu, sed libidine moti, exi-

stiment se in illicitum ac fornicarium actum irruisse, matrimonio iusto constituendo imparem, ac propterea non sibi ereptam facultatem existiment ad alia vota transeundi, cum haec apud eas gentes persuasio vigeat? *Dubium Secundum.* Quale consilium dandum Missionariis earum Regionum circa modum servandum, praesertim in Poenitentiae Sacramenti administratione, cum iis fidelibus, qui post sponsalia et copulam habitam cum una muliere, nuptias publice cum alia contraxerunt, quas ipsi bona fide iustas existimaverunt, validasque? *Dubium Tertium.* Vicariis Apostolicis ac Missionariis remedium flagitantibus aptum ad cohibenda coniugia clandestina, et avertenda damna ex iisdem funestissima suboritura, quid consilii dandum, aut praescribendum sit? » Sacra congregatio respondit ad « 1^m Si in praefatis regionibus, ubi publicatum non fuit decretum S. Concilii Tridentini, duo sponsi carnalem inter se deinde habeant copulam, eam tamen non ex affectu maritali, sed affectu illicito ac fornicario; haec eorum copula minime transire facit praecedentia eorumdem sponsalia in verum matrimonium coram Deo, seu in foro conscientiae, liberi manent; atque poterunt, si praedicta eorum sponsalia ex aliqua legitima causa dissoluta fuerint, nuptias alias licite inire; nihilominus si eorum copula in foro externo et iudiciali probetur, poterunt iidem, ex praesumptione *Iuris et de Iure*, contra quam non admittitur probatio, per Ecclesiasticam potestatem adigi ad sese habendos tamquam veros coniuges, quibus, vivente consorte, quodvis connubium interdictum sit ex capite 30, de Sponsalibus et Matrimonio. Ad 2^m: Si quis fidelium post

sponsalia et copulam dein habitam cum una muliere, cum altera muliere publice matrimonium contrahat, atque in hoc statu ad Missionarium aliquem in tribunali poenitentiae accedat, debebit eum interrogare, an copulam istam cum illa prima muliere habuerit ex affectu maritali, an vero ex affectu illicito et fornicario. Si alterum hoc respondebit, nullum de validitate praesentis sui matrimonii dubium ei movebit. Sin autem primum respondebit, graviter ipsum commonebit, eum maritum esse non secundae sed primae mulieris, ad eamque redire omnino debere. Additur vero ad eorumdem Missionariorum Instructionem, quod si forte homo iste probare non valens in foro externo carnalem copulam ab se habitam cum prima illa muliere, cogeretur hinc per Ecclesiasticam potestatem cum altera muliere remanere, qua cum publice matrimonium contraxit, deberet is poenam quamlibet, ipsamque excommunicationem humiliter potius sustinere, quam cum altera hac muliere carnale commercium exercere non sine lethali culpa, *ex Capite 44 de sententia excommunicationis*. Ad 3^m^ Sacra congregatio censuit, « si id Sanctissimo Domino nostro placuerit, ut quibus in locis id expedire maturo consilio iudicaverint, in iis concilii Tridentini de Matrimonio Decretum integrum rite promulgandum curent Episcopi Vicarii Apostolici, aut saltem quoad fieri licuerit, iuxta regulas traditas a Benedicto XIV. Pontifice Maximo in opere de Synodo Dioecesana *libro XII, Capite V*, § 8, 9, 10 *et* 11, et in constitutione ET SI PASTORALIS § 8 *de Matrimonio* 1. « Quamobrem eadem sacra congregatio decernit quod sequitur; « Omnia et singula matrimonia quae posthac ce-

lebrari contigerit apud Sinas, ut valida nominentur et sint, ineunda erunt coram Parocho, aut Missionario, aut alio quovis legitime designato, ac duobus vel tribus testibus, iisque quoad licuerit, Christianis. In iis vero locis in quibus integrum non possit promulgari Decretum, vel si promulgatum sit, Parochus tamen, vel alius rite designatus absit, vel facilis ad eumdem aditus non sit, iniri quidem possint coniugia etsi absque Parocho, coram duobus saltem testibus, iisque, si fieri possint, christianis, ita tamen ut contrahentes, ne Sacramenti dignitas vilescat, obligentur lege sistendi se coram Missionario vel Parocho, quandocumque reduci, ut rite ab eo benedictionem recipiant. Missionarius autem vel Parochus redux, quando sibi de consensu coniugum constiterit, antequam coniuges benedicat, eos commonefaciat, eiusmodi benedictionem ad ritum unice, non ad validitatem pertinere coniugii, ac propterea non committet ille, ut rursus consensus per nova verba exprimatur. Tandem ne decreti Tridentini memoria, iusque obsolescat, cupit sacra congregatio ut quoties se dederit occasio, Missionarii illud popularibus sibi commissis explicent, ac iuxta regulas modo expositas declarent. Expedit enim, ut ipsae maxime adolescentulae virgines id perceptum habeant, ne in fraudem induci, et occultis, vimque nullam habituris nuptiarum promissis se ad ullam pelli turpitudinem patiantur. »

Quam sacrae congregationis sententiam sanctissimus Dominus Noster Pius Papa VII die 14 Ianuarii 1821 benigne approbavit, et omnino servari iussit. Verum enimvero, cum Vicarii Apostolici exposuerint gravissimas difficultates ex publica-

tione decreti Conc. Trid. inde exoriri, eadem S. C. prudenter uniuscuiusque Vicarii Apostolici consilio publicationem huiusmodi committendam esse existimavit, suadens ut ab illa abstineat, ubi eam in destructionem corporis Christi potius quam in eius aedificationem esse videbitur. 23 Iunii 1830.

§ 21.

De dissolutione sponsalium ob professionem religiosam.

Sexta causa dissolvéndi sponsalia est professio religiosa, tum quia ex iuris dispositione spondens censetur alteri se obligare hac tacita lege, « nisi Deus me ad religiosum vitae statum elegerit, » tum quod solemnis votorum nuncupatio matrimonium ratum dirimit; quo magis ergo per solemnem professionem sponsalia dissolventur? An vero per solum religionis ingressum sponsalia solvantur, discordes sententiae sunt. At rectius sentire videntur qui putant, remanentem in saeculo solvi quidem obligatione in se suscepta, tum quia religionem ingressus satis declarat se sponsalia renuntiare, tum quia ex parte ipsius notabilis fit mutatio, et in saeculo manenti grave nimis foret totum probationis tempus non sine incontinentiae periculo exspectare, et alias interim connubii occasiones negligere, aut dimittere; quin etiam probrosum esset discedentem a religione in maritum vel in uxorem recipere. Contra autem sentiunt non ex integro liberari alteram partem, ideoque e religione egredientem ad sponsalia obligari, cum

ex iure positivo ea obligatio exstinguatur per solam professionem, tamquam per mortem spiritualem: religio enim est quaedam mors spiritualis, qua aliquis saeculo moriens vivit Deo. Nemo autem « intelligitur mortuus saeculo per religionis ingressum, quousque professionem emiserit, » ait S. Thomas in suppl. 3 p. quaest. 61 a. 3 ad 2. Ea autem conditio « nisi me Deus ad religiosum statum elegerit » ad eum religiosae vitae statum pertinet, qui perpetuus sit, qualis non est certe quidem ingressus in religionem, et assumptio religiosae vestis, quae postera die dimitti potest.

§ 22.

De dissolutione ob impedimentum dirimens.

Septima causa solvendi sponsalia est, si impedimentum dirimens, ex. gr. affinitatis, Ordinis sacri, sponsalibus initis, superveniat, vel detegatur. Tunc enim matrimonium evadit impossibile; impossibilium vero nulla est obligatio. Consulto autem susceptio Ordinis sacri, quae sponsalia sequatur, hoc loco recensita est, quia, secundum sententiam probabiliorem, Ordo sacer sponsalibus superveniens non ea dirimit ex dispositione iuris, sed ratione impedimenti, quo ordinatus fit perpetuo inhabilis matrimonio contrahendo. Nam ex iuris dispositione sponsalibus inest tacita conditio: « nisi religiosum statum elegero. » At nullo iure probatur sponsalibus etiam inesse hanc conditionem: « nisi Ordinem sacrum suscepero. » Ex quo recte infertur sponsum, qui invita sponsa sacro Ordini initiatus est, dum non rite a sponsalium

obligatione se expediat, seque implendae obligationi inhabilem perpetuo reddat, omnino teneri ad expensas et damna praestanda, si qua ratione et spe matrimonii sponsa sustinuit. Non autem per susceptionem Ordinum minorum sponsalia dissolvuntur prius contracta, quia minores Ordines ne impediunt quidem, quominus matrimonium licite iniri possit. At vero si quis, sponsalibus initis, votum simplex emittat servandae in saeculo castitatis, aut sacri Ordinis suscipiendi, tunc ex utraque parte dissolvi vinculum sponsalitium, etsi iuramento firmatum, nonnullorum sententia est, qui aiunt, tacitam conditionem sponsalibus semper adiectam esse « nisi statum perfectiorem elegero: » et proferunt auctoritatem S.C.C. in Bamberg. Spons. quam refert Monacelli form. leg. pract. p. 1, t. 8, tom. 10, 24. Verum e contra non utrinque sponsalia solvi plures Canonistae docent. Nam ex eorum sententia vovens tacite renuntiat iuri suo, aut saltem ob fidem violatam praebet alteri parti iustam causam resiliendi a sponsalibus, si velit. Sed ipse vovens a sponsalium obligatione non eximitur, quia non potest mutare sententiam in praeiudicium alterius partis, nec videtur Deus acceptare promissionem rei, quae alteri ex iustitia debetur. Obstringitur tamen ipsius voti religione in sui praeiudicium, hoc est si sponsa fidem datam remittat, aut mortem obierit, aut ex alia legitima causa sponsalia solvantur, vovens tenetur servare castitatem. Confirmant sententiam decreto Alexandri III in cap. 5 Qui clerici vel voventes, ubi feminae, quae post inita sponsalia continentiae votum emiserat, iniungitur poena *de fide mentita;* ex quo perspicuum est, non obstante voto, obligationem

sponsalium perstitisse, et votum illicitum emissum esse, namque aliter mulier *de fide mentita* non puniretur. At S. Thomas, supp. q. 33, a. 1 ad 1 docet per votum simplex sponsalia dirimenda, propterea quod, ubi duae concurrunt obligationes, potior est praeferenda. Ad argumentum desumptum ex tacita conditione « si statum meliorem elegero » respondetur hanc conditionem neque ex dispositione iuris inesse sponsalibus, neque ex natura rei; decisio S. C. C. alio spectat, quum agat de sponsalibus initis post iuramentum suscipiendi ordines et iam mutuo consensu solutis.

§ 23.

De dissolutione ob fornicationem.

Octava causa solvendi sponsalia etiam iurata est subsequens alterutrius fornicatio. Discrimen hic fieri solet ab aliquibus, an sponsus lapsus sit in fornicationem, an sponsa, cum putent libidinem feminae turpiorem esse quam viri. Verum haec non videtur iusta causa, cur ad imparia iudicentur, nec honesta mulier in eum casum se obligasse censenda est, ut cum viro de fide coniugii servanda graviter suspecto matrimonium inire teneatur. Solvuntur autem sponsalia intuitu solius innocentis, quippe reo malitia sua patrocinari non debet. Quod si propter fornicationem corporis sponsalia dissolvuntur, dubitandum non est, quin propter fornicationem spiritualem, haeresim scilicet, apostasiam, et schisma dissolvi possint.

An antecedens viri fornicatio, ubi detegatur post sponsalia, tribuat sponsae resiliendi ius, quaesi-

tum est, et pro negativa sententia affertur argumentum, quod sponsus non fit notabiliter vilior, nec ulla nota aut ignominia est feminae virum ducere, qui aliam cognovit, ut ait Sanchez. Verum sententia affirmativa quae asserit, sponsam in foro conscientiae non peccare, si resiliret, magis iustitiae consentanea videtur, tum quia notabilis mutatio in viro detecta est, et nullum est discrimen inter notabilem mutationem et circumstantiam, quae sponsalibus supervenit, et eam quae prius exstiterit, sed fuerit ignorata, tum quia honesta virgo non aeque intendit nubere viro impudico, ac pudico. Vide Van der Velden Princ. Theol. mor. l. 2, n. 247 et quae habentur § sequenti.

§ 24.

De dissolutione ob mutationem animi, corporis, vel fortunarum.

Nona causa est mutatio animi, corporis, vel fortunarum, veluti si sponsus aut sponsa comitiali morbo, lepra, paralysi, aut alia gravi et incurabili infirmitate corripiantur, si notabili deformitate, veluti si utriusque vel unius oculi iactura mulctentur, si latrociniis, ebrietatibus, rixis, et similibus vitiis se dederint, aut demum si ex parte bonorum fortunae ad interitum properaverint. Omnibus nempe pactionibus natura sua inest conditio « rebus ita stantibus; » multo magis id valere debet in sponsalibus, quae mutuo amore sustinentur. Non solum autem mutatio notabilis eveniens et non praescita, sed omnes quoque circumstantiae antea incognitae, quae matrimonium

reddant difficilius multoque molestius, quaeque prius cognitae eius conditionis homines ab ineundis sponsalibus retraxissent, quamquam ipsa sponsalia praecesserint, causam tamen iustam exhibent a sponsalibus recedendi, quum primum innotuerint. In Iure namque paria sunt, non esse et non apparere, L. duo sunt 30 ff. de test. tutela; paria etiam in Iure sunt supervenire, et praecedere, sed ignorari lege, leg. ff. de cont. empt. Atque hoc ad sponsalia etiam iurata recte extenditur, siquidem iuramentum includit omnes conditiones contractus cui adiicitur, Leg. fin. Cod. de non num. pec., atque idcirco relaxatio iuramenti in huiusmodi casu, ut exposcatur, non est necesse. In causa autem particulari quaenam mutatio superveniens, aut circumstantiae detectae sponsalia dissolvant, legitimus Iudex pronuntiabit.

« Notandum tamen, ait Van Espen Iur. Eccles. univers. part. 2, tit. 12, cap. 2, non sufficere ad solutionem sponsalium, quod superveniat aut detegatur talis circumstantia, quae si praescita fuisset, sponsalia non inita fuissent, quia certum est multa posse sufficere, ut contractus nondum initus iniri non deberet, nec iniri conveniret, quae nullatenus tamen sufficiunt, ut contractum dissolvant, eo quod contractu nondum inito, plena sit libertas non contrahendi ; quae libertas non subest, postquam contractus fuit perfectus. Itaque ut iudicetur, an ob supervenientem, aut detectam aliquam circumstantiam sponsalia censeantur esse soluta, ipsique sponsi, aut alteruter eorum ab obligatione soluti, expendendum, an tales personae secundum prudens iudicium talibus verbis, et in talibus circumstantiis consen-

sum antea datum censeantur extendisse ad casum, quo talia superveniunt. Si censeantur ad eiusmodi casum extendisse, sponsalia non solvuntur; si non censeantur extendisse, dicendum est quod solvantur. »

§ 25.

De dissolutione per dispensationem.

Denique solvuntur sponsalia per dispensationem, quae tamen a solo Pontifice Romano conceditur. Sponsalia enim sunt ius tertio quaesitum, quod nullus praeter Supremum Principem auferre potest. Haec autem potestas explicatur a Pontifice ob causas duntaxat iustas atque graves; quin, si sponsalia iuramento munita fuerint, gravissimae causae, quae bonum publicum respiciant, ad dispensandum postulantur.

§ 26.

De auctoritate iudicis in sponsalium dissolutione.

Unum superest inquirendum, an scilicet ad solvenda sponsalia ob causas expositas sententia et auctoritas Iudicis necessaria sit? « Generaliter dici potest, ait Navarrus Manual. cap. 2, n. 28, quod in nullo casu, in quo causa solvendi sponsalia est manifesta, tam quoad veritatem, quam quoad iustitiam, praedicta Ecclesiae auctoritas requiritur, quia talia ab ipso iure dissolvuntur. » Ab hac regula generali Doctores, qui sentiunt cum Navarro, excipiunt casum, quo prudenter timeatur,

ne dissolutio, privata auctoritate facta, scandalis occasionem datura sit, itemque si Dioecesum consuetudo ea sit, ut dissolutio sponsalium ante causam ab Ordinario cognitam et probatam non permittatur. Contra S. Thomas in 4 sent. dist. 27, q. 1, a. 3 haec tradit: « In duobus casibus, scilicet cum quis ad Religionem confugit, et cum alter coniugum cum altero per verba de praesenti contrahit, ipso iure sponsalia dirimuntur, sed in aliis casibus dirimi debent secundum iudicium Ecclesiae.» Huic sententiae videntur favere Canones. In cap. De illis 7 de Desponsat. impub. cautum est, « ut impuberes, qui adveniente pubertate reclamant, iudicio Ecclesiae separentur, nisi, ut ait Glossa ibid., fortius vinculum superveniat, puta matrimonium cum alio, vel votum solemne, quia tunc ipso iure soluta sunt: » itemque in cap. Duo pueri 12 eod. poenitentia cuidam imponitur, qui, iudicio Ecclesiae non requisito, a sponsalibus recessit. Idem confirmari etiam potest argumento ducto a paritate cum matrimonio ; quamvis enim in matrimonio causa recedendi, seu divertendi liquida sit, recessus tamen, seu divortium privata auctoritate non permittitur. Verum his non obstantibus, prior sententia magis arridet : habent enim sponsalia conditionem inditam, si res in eodem statu permaneant, seu quod idem est, nisi iusta et a iure probata causa non accedat. Itaque eiusmodi interveniente causa, et conditione illa deficiente, sponsalium obligatio evanescit. Causam autem notoriam iure certam et expressam esse oportet; ubi enim de veritate vel sufficientia causae dubium sit, propria privata auctoritate non licet sponsalia solvere, cum uterque sponsus vi con-

tractus sponsalitii sit in possessione iuris acquisiti, ut promissio impleatur ; in dubio autem nemini fas est propria et privata auctoritate alterum de possessione sui iuris deturbare, sed Iudicis auctoritas postulatur. Ad Canones, qui contra proferuntur, respondet Sanchez lib. 1, disp. 59, n. 11 : « Canon Duo Pueri loquitur de matrimonio de praesenti, a quo alter coniux recesserat absque causa, ut clare constat ex textu. Ad Canonem De illis dico, nolle textum, esse necessarium Ecclesiae iudicium, sed tantum iubere, ut Ecclesiasticus Iudex, si coram ipso impubes adepta pubertate reclamaverit, eum separet. » Comparatio autem sponsalium cum matrimonio nihil facit ad hanc rem, quia matrimonium natura sua perpetuum et indissolubile est. Quamobrem expedire non videbatur, ut in potestate contrahentium esset arctissimum illud vinculum proprio marte abrumpere; maius etiam in matrimonio periculum est abusuum et scandalorum.

§ 27.

De bannis, seu denuntiationibus Matrimonii.

Sponsalia sequuntur proclamationes seu denuntiationes, quae banna etiam appellari consueverunt, eaque voce, quae Gallorum propria est, publica edicta nuncupantur, quae propiorem matrimonio viam parant. Denuntiationum originem in Ecclesia antiquissimam esse nemo dubitat; quin imo ipsarum vestigia nonnulli sibi visi sunt invenisse apud Tertullianum de Pudicitia c. 4. Vide Iueninum diss. 10 de Mat. q. 5, c. 2. Concilium Latera-

nense IV denuntiationes matrimonio praeire omnino iussit, eiusque decretum refertur in cap. final. de Clandest. Desponsat., cuius haec verba sunt: « Specialem quorundam locorum consuetudinem ad alia generatim prorogando statuimus, ut cum matrimonia fuerint contrahenda, in Ecclesia per Presbyteros proponantur competenti termino praefinito, ut intra illud qui valuerint et voluerint, legitimum impedimentum exponant. » Ex qua generali lege consequitur unam saltem denuntiationem in iis quoque parochiis requiri, ubi Concilii Tridentini decretum publicatum non est. Dominicus Soto testatur hanc disciplinam ubique sua aetate receptam non fuisse, praesertim vero in Hispania, ea praecipue ratione, quia per proclamationes, quibus impedimenta caveri curantur, obstacula potius obiicerentur, ne matrimonia celebrentur. Verum Trid. Syn. sess. XXIV de Ref. Matr. cap. 1 sancivit, « ut in posterum antequam matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium Parocho, tribus continuis diebus festivis, in Ecclesia inter Missarum solemnia publice denuntietur, inter quos matrimonium sit contrahendum. » Cum finis denuntiationum sit, ut impedimenta occulta detegantur, et invalida matrimonia, multaque peccata praepediantur, dubium non est, quin fideles omnes ad impedimenta detegendá, si quorum conscii sint, licet iudicialiter forte probare nequeant, obstringantur. Cuius quidem officii populus graviter admonendus est, « ne alioquin ex silentio et occultatione reus reddatur omnium malorum, quae ex matrimonio cum impedimento, praesertim dirimente, contracto nota sunt oriri, » ut recte inquit Van Espen. Iur. Eccl. univ. p. 2, t. XII, c. 3.

Praeterea statutum opportune est, ut antequam proclamationes fiant, Parochus « tum sponsum, tum sponsam seorsim caute, et ut dicitur, ad aures exploret, an aliquod et cuius generis impedimentum inter eos intercedat » et si quid nuptiis obstare deprehendat, dilatis proclamationibus, id ad proprium antistitem deferre tenetur, qui prout res expostulaverit, pro auctoritate, munerisque sui debito providebit.

Porro ex eodem denuntiationum fine satis intelligimus, cur ex decreto Tridentino fieri debeant: 1° ante matrimonium contrahendum; 2° a proprio utriusque contrahentis Parocho, vel ab alio de eius licentia; 3° coram populo frequenti inter Missarum solemnia, hoc est in Missa parochiali, aut etiam conventuali; 4° tribus continuis diebus festivis, quae continuitas ita est accipienda, ut alii festi dies praesertim dominici inter unam alteramque denuntiationem non intercedant. 5° Denique denuntiatis nominibus personarum, inter quas matrimonium ineundum est. Denuntiationibus temere neglectis, valet quidem matrimonium, attamen hoc modo contrahentes poena afficiendi sunt, prolesque interim suscepta, si matrimonium reipsa nullum sit, illegitima censetur, ex parentum bona fide, aut ignorantia nullum subsidium habitura, ut loquitur caput 3 de Clandest. Desponsat. Parochus etiam libere his matrimoniis assistens ad triennium suspendi iubetur, gravius puniendus, si culpae qualitas postulaverit, cit. cap. 3. Vide Ben. XIV de Syn. l. 12, c. 16, p. 2, ubi sermo est de poenis, quae testibus irrogari possunt. Itemque si sponsus et sponsa diversas parochias incolant, neuter Parochus assistere nuptiis debet,

nisi habita per litteras testimoniales alterius Parochi attestatione de tribus proclamationibus in sua paroecia rite factis, et quod nullum inde impedimentum detectum fuerit. Si sponsi in uno loco domicilium, in alio quasi domicilium habeant, in utraque parochia proclamationes fieri debent. Fiunt quoque in loco, quo profecti sunt, et si ibi diu morati sint, et iam sufficienter cogniti, tunc in priori quem reliquerunt, loco omitti possunt. Sic enim facilius impedimenta deteguntur, si quae forte ex parte alterutrius innotescere possint. Si quod impedimentum deferatur, Parochi est matrimonium interdicere, quamquam vel falsum, vel dubium, vel malitiosum ei videri possit; cognitio enim ad Episcopum omnino spectat, cui res tota significanda est. Praeterea, nullo etiam detecto impedimento, si matrimonium post tertiam denuntiationem diu multumque differatur, quo tempore nova impedimenta oriri possint, denuntiationes iterandae sunt. Quapropter S. C. C., teste Rebello, declaravit, si, peractis denuntiationibus, intra quatuor menses sponsi non contraxerint, denuntiationes iterum faciendas esse, quod tamen quadrimestre Episcopi in Synodo Dioecesana aliquando decurtant, et rituale romanum ad bimestre reducit, nisi aliter Episcopo videatur.

Nunc quis dispensare in huiusmodi denuntiationibus queat, breviter videamus. Si ius antiquum dispiciamus Episcopus neutiquam poterat in iis dispensare, quia cum expresse fuissent praeceptae in Conc. Lat. IV, Episcopus ab lege generali dispensare nequibat. Verum cum expediat interdum celebrare matrimonium, denuntiationibus omissis, ideo Conc. Trid. cit. cap. 1

constituit : « Quod si aliquando probabilis fuerit suspicio matrimonium malitiose impediri posse, si tot praecesserint denuntiationes, tunc vel una tantum denuntiatio fiat, vel saltem parocho, et duobus vel tribus testibus praesentibus, matrimonium celebretur. Deinde ante illius consummationem denuntiationes in Ecclesia fiant, ut si aliqua subsunt impedimenta, facilius detegantur, nisi Ordinarius ipse expedire iudicaverit, ut praedictae denuntiationes remittantur, quod illius prudentiae atque iudicio Sancta Synodus relinquit. » Itaque Ordinarius ea uti facultate potest, non temere tamen et sine iusta causa, cum illud negotii non eius liberae voluntati, sed iudicio et prudentiae committatur. Bened. XIV Encycl. SATIS VOBIS, 17 Nov. 1741 ait: « Licet Episcopo relictum sit omnimode super denuntiationibus dispensare, haec tamen facultas non a sola dispensantis voluntate pendet, sed a Tridentino coërcetur arctis prudentiae, discretique arbitrii legibus, quod idem est ac legitimam causam dispensationis requirere, » quin imo const. « NIMIUM LICENTIAM, » citatus Pontifex causam legitimam gravissimam et ineluctabilem exposcit. Ordinarii nomine non tantum Episcopus intelligitur, et Sanctae Sedis Legatus respectu suae provinciae, verum etiam Capitulum, sede vacante, Praelatus nullius et ipse Vicarius generalis. Iustae autem dispensandi causae numerantur : 1° probabilis timor de matrimonio malitiose impediendo. 2° Scandalum publicum, seu infamia, veluti si concubinarii, qui pro legitimis coniugibus habentur, contrahant, si defloratio praecesserit, et timeatur, ne vir voluntatem mutet, aut longe profecturus illico sit, item si alter sponsorum in vitae discri-

mine versetur, et proles legitimanda est, aut si casus occurrat revalidandi matrimonii, quod antea in faciem Ecclesiae contractum erat. 3° Qualitas personae, uti si Reges, aliique Proceres nuptias ineant, quorum matrimonia numquam denuntiari solent, quia sunt valde nota, antequam concludantur, unde periculum occultationis impedimentorum cessare videtur. 4° Urgens necessitas aut quaecunque causa boni communis, vel etiam notabilis contrahentium commoditas sive spiritualis, sive temporalis, aut etiam notabile incommodum, quod aliter vitari non possit. 5° Imminens adventus ac Quadragesimae tempus, et urgens incontinentiae, gravisve mali periculum, si diu matrimonium differatur. 6° Si sponsi parati sint ad civiles formas implendas, et matrimonium differri expediens non sit. Utrum praeter recensitas dentur aliae legitimae causae, quaestio est, de qua consule auctores de re morali. Non defuerunt qui generatim docerent iustam dari in denuntiationibus dispensandi causam, quando cessant omnia illa incommoda, ad quae vitanda denuntiationes praemittendae sunt, ea praesertim ratione, quia cessante fine legis, iusta dispensandi causa exoritur ac probatur. Caeterum, curandum est, ut partes antequam matrimonium contrahant, accurate examinentur, et ad poenitentiae tribunal accedant. Si utraque, vel alterutra recuset, Parochus ea peraget, quae penes auctores rei moralis habentur, Episcopus vero ea statuet, quae referuntur in thesaur. resol. S. C. C. Mogunt. 28 Aug. 1852, et in op. Analect. Iuris Pont. ser. I, coll. 704.

Ubi matrimonium, nullis praeviis proclamatio-

nibus, celebratum est, Conc. Trid. praescribit, ut deinde ante consummationem denuntiationes in Ecclesia fiant, nisi Ordinarius ipse expedire iudicaverit, ut praedictae proclamationes remittantur. Casus itaque Ordinario exponendus est, ut iudicet an proclamationes adhuc fieri debeant. Verum hodie generaliter dispensatur, adeoque proclamationes subsequentes locum non amplius habent, nec in Belgio, ut Zypeus l. 4 I. P. N. refert, nec in Germania, ut ait Bangen instit. pract. de spons. § 13, nec in Gallia, neque in Italia, ut facto constat.

« Quod si vir et mulier coniungendi sint diversarum Dioecesium, ait Bossius de Matrim. cap. 6, § 15, non esse opus dispensatione utriusque Ordinarii, sed Ordinarium praelatum alterius contrahentis posse cum utroque in denuntiationibus dispensare, sicut alteruter Praelatus Ordinarius potest legitime assistere matrimonio, docent Sanchez lib. 3 disp. 7, Guttierez, Aegidius, Coninch. et Hurtadus ob eam rationem, quia hac in re contrahentes, seu coniuges censentur una persona, et ratione connexionis uterque alterius Praelato censetur subiectus, sicut censetur subiectus, ut coram Praelato alterius contrahat. Et quamvis Pontius de Matrim. 5 cap. 31 n. 9 dicat se de hoc dubitare, quia saepe, inquit, potest contingere, ut impedimentum, quod in una Dioecesi non est, sit notum in alia, et ita ex dispensatione denuntiationum in una Dioecesi non sequitur per connexionem et colligationem aliqua dispensatio in alia: in quo est valde diversa ratio de Matrimonio et denuntiationibus, nam in matrimonio, cum sit necessario vinculum duorum, necessario etiam

fit, ut qui unum coniungere potest, possit et alium; in denuntiationibus autem non est ita necessaria colligatio et consequentia, ut ex se constat; quamvis, inquam, Pontius ita dubitet, nihilominus cum praedictis Doctoribus est affirmandum, quia, etsi non est tanta connexio, sicut in ipso matrimonii contractu, est tamen connexio, et per dispensationem unius Praelati vere satisfit decreto Tridentini, quod solum requirit, ut Ordinarius dispenset, et cum Ordinarius dispensans debeat informari, an aliqua subsint impedimenta, eo ipso, quo cum tali diligentia dispensat cum uno, dispensatio absque periculo alicuius inconvenientis et periculi, ne ignota remaneant impedimenta, potest ad alium extendi. » Confer ipsum Bossium et doctores ab eo laudatos cit. loco. Alasia Theol. Moral. t. 8 de Matr. p. 2, c. 2, n. 6; Giraldi p. 2, sect. 14, et Caillaut « Manuel des dispensations, t. 1, n. 7, contrariam tuentur sententiam, proferuntque dec. S. C. C. 20 April. 1606, iuxta quam necesse est, ut aut uterque ordinarius dispenset, aut saltem habeatur ordinarii alterius dioecesis de statu libero testimonium. Haec opinio in praxi consulenda est. Vide Carrière t. 1 de Matrim. p. 3, sect. 1, cap. 2, n. 432.

Tria adhuc notanda supersunt. Primum est, ut de statu libero sponsorum, praecipue dum agitur de famulis, minoribus, puellis, militibus, vagis, caute prudenterque inquiratur, atque certis ac legitimis probationibus constet, iuxta formam praescriptam in Instruct. S. Inquisitionis 1658 et 1665, denuo inculcatam a Clemente X an. 1771, et a Leone XII an. 1827, de qua vide Giraldi Exp. I. P. p. 1, sect. 654, et p. 2, sect. 124,

et Analecta I. P. ser. 1 coll. 831. Secundum est, ut banna fiant « tam in paroecia domicilii, quam collegii, monasterii, conservatorii, ubi commorantur, prout praescriptum reperitur in urbis statuto, post ea, quae in Congregatione peculiari 11 Ian. 1762 unanimi consensu decreta, et a Clemente XI vivae vocis oraculo deinde confirmata fuerunt. Tertium est, agitatam saepe fuisse iuris quaestionem, an diebus festivis, quibus ex apostolico indulto, sublata omni audiendi Sacri obligatione, operibus servilibus vacare permittitur, denuntiationes fieri possint? S. C. C. die 17 Iunii 1780 noluit quaestionis nodum praecidere, sed satius duxit hac super re, Episcopis efflagitantibus facultates necessarias et opportunas libenter impertiri, quibus, intercedente causa, arctis prudentiae legibus uti commode possint, et ea praesertim sub conditione « ut in illis diebus, qui festi non sunt, frequens adhuc perseveret populi ad Ecclesiam concursus et quantum fieri potest, saluberrimae legis a Conc. Trid. praescriptae finis ac scopus habeatur, qui non alius certe fuit, nisi ut in populi frequentia ineunda matrimonia denuntiarentur, quo facilius, si quae forent, impedimenta detegerentur. » In Tudert. denunt. Mat. 1. die 19 Aprilis 1823 ad dubium « An in diebus abrogatis fieri possint matrimoniorum proclamationes in casu? » S. C. reposuit: « Negative, nisi de licentia Episcopi cum conditionibus ad formam Brevis 3 Iunii 1780 « FACTO VERBO CUM SS. » Verum, ex dictis deduci posse videtur, proclamationes fieri etiam posse in illis festis suppressis diebus, quibus ex Pontificis voluntate solemnia peraguntur, et populus frequens adhuc ad

Ecclesiam accedit, eo quod character festivus hac ratione servatur, nec ulla in ecclesiae functionibus mutatio intervenit. Id praeterea confirmatur ex responso S. C. C. die 7 Apr. 1862, quo statuitur « propositas denuntiationes fieri posse enuntiatis diebus festis suppressis: curandum tamen ut hae expleantur tempore divini officii, quo frequentior fidelium numerus in Ecclesia adesse solet. » Unde sequitur proclamationes fieri haud posse in diebus ferialibus, quando magnus populi concursus in Ecclesia fit, cum id Concilii decreto aperte adversetur, neque in diebus simpliciter abrogatis, pro quibus nempe praescripta ecclesiasticarum functionum integra conservatio.

CAPUT II.

DE NATURA MATRIMONII

§ 28.

De diversis Matrimonii nominibus.

Matrimonium a matre, non a patre nomen sortitur, quia prolis semper certa mater est, non semper certus pater, nisi ex iuris praesumptione. Filius enim is dumtaxat existimatur, quem nuptiae demonstrant, L. Quia semper 5, ff. de in ius vocando; quia etiam mulier idcirco maxime nubere debet, ut mater fiat, prolisque cura ad certam usque aetatem ipsi potissimum incumbit; quia denique, ut ait Gregorius IX cap. Ex Litteris de conv. infid.: « Infans matri ante partum onerosus, in partu dolorosus, post partum laboriosus; » unde sic infert idem Pontifex: « et ex hoc legitima coniunctio maris et foeminae magis matrimonium, quam patrimonium nuncupatur. »

Praeter matrimonii nomen, alia etiam occurrunt. Dicitur enim coniugium, quia nempe duos sub eodem iugo perpetuo coniungit: mutua siquidem est virum inter et uxorem obligatio, et pluribus incommodis et maleficiis ambo fiunt obnoxii. Dicitur etiam consortium, quia nempe coniuges eiusdem sortis, seu fortunae, participes sint oportet, quia etiam intima inter illos debet esse coniunctio.

Frequentissimum nuptiarum nomen est a nu-

bendo derivatum, quoniam novae nuptae pudoris ergo caput obnubere, idest velare et operire flammeo solebant. Flammeum enim, seu, ut legunt veteres libri, flameum, velum quoddam erat, quod a colore flammae nonnulli appellatum arbitrantur, quoniam lutei et crocei coloris esset. Talis color in igne cernitur. Id verō, quod novae nuptae caput pudoris ergo obnubere solerent, antiquissimum esse solet ex divinis Scripturis Veteris Testamenti, scilicet ex Gen. XX, 16 et XXIV, 65. Huiusmodi velamine illud etiam declarari videbatur ait Catechismus Rom. p. 2 de Sacr. matr. p. 4, « mulieres viris obedientes, subiectasque esse oportere. » Ex his quae diximus facile intelligi potest, cur matrimonium appelletur connubium, ab eodem verbo *nubo*, seu velo, quo significatur utriusque coniugis esse, quasi sub quodam velo, ea omnia obtegere, quae modestiam quoquo modo offendere queant.

§ 29.

De definitione Matrimonii.

Matrimonium in utroque iure definitur: « maris et feminae coniunctio individuam vitae consuetudinem continens; » quam definitionem Theologi omnes amplexati sunt. « Matrimonium, ait Catechismus Romanus part. 2, cap. 8, n. 2, ex communi Theologorum sententia definitur: viri et mulieris maritalis coniunctio inter legitimas personas individuam vitae consuetudinem retinens. » Igitur matrimonium natura et origine sua contractus est, per quem masculus et femina procrean-

dae et educandae sobolis, ac mutui auxilii causa ad individuam vitae societatem indissolubili quodam nexu se obstringunt. Quamobrem natura et essentia matrimonii, si spectetur in sua causa efficiente sive *in suo fieri*, ut Scholastici loquuntur, sita est in ipso contractu, seu consensu mutuo, quo vir et mulier ad eam vitae societatem se obligant, sibique ius transferunt ad actus matrimoniales, non autem in usu ipsius iuris, seu in carnali coniunctione; qua de re Iulianus Pelagianus turpiter erravit, a S. Augustino correptus his verbis: « Nihil aliud esse dicis nuptias, quam corporum commixtionem. » Nam matrimonium, ut ait S. Chrysostomus Hom. 32 in Matth., non facit coitus, sed voluntas: » et S. Ambrosius, lib. de Instit. virginum cap. 6, refellens opinionem eorum, qui inter B. Virginem et S. Iosephum ideo putant verum matrimonium non exstitisse, quod nunquam coiverint, sic graviter pronuntiat: « Cum initiatur coniugium, tunc coniugii nomen adsciscitur; non enim defloratio virginitatis facit coniugium, sed pactio coniugalis. » Hinc utroque iure recepta est regula: *nuptias non concubitus, sed consensus facit*, L. 30 ff. de R. I., can. 5, caus. 27, q. 2. At vero internus consensus et pactio externa, quibus matrimonium efficitur, sunt actus transeuntes et momentanei: ipsorum tamen effectus, seu vinculum quod eo contractu inducitur, perpetuo manet, donec coniugum uterque vitam vixerit. Quare natura et essentia matrimonii posteriori modo spectata, sive in *facto esse*, ut aiunt, in eodem vinculo, obligatione, seu nexu, quo mutuo coniuges obstringuntur, collocanda est.

§ 30.

De matrimonio quatenus Sacramentum.

Matrimonium autem apud Christianos est etiam verum proprieque dictum novae legis Sacramentum, quemadmodum catholica Ecclesia semper docuit, solemniterque professa est. Sed praestat inter caeteras Ecclesiae definitiones in medium proferre Canonem I. Trid. Syn. in sess. XXIV latum his verbis : « Si quis dixerit matrimonium non esse vere et proprie unum ex septem legis Evangelicae Sacramentis a Christo institutum, sed ab hominibus in Ecclesia inventum; neque gratiam conferre, anathema sit.» Ex quo Canone perspicuum est, non benedictionem Sacerdotis, nec quidquam aliud esse Sacramentum, quod contractui accedat eumque sanctificet, sed ipsum matrimonialem contractum vere et proprie Sacramentum esse. Namque Concilium definit matrimonium esse Sacramentum; nomine autem matrimonii nihil intelligi aliud potest, quam verus et unus matrimonialis contractus, nisi velis inepte dicere , matrimonii nomine ipsum Sacramentum designari, ut sensus sit: Si quis dixerit Sacramentum matrimonii non esse Sacramentum , anathema sit. Itaque Concilia, Patres et Doctores catholici omnes mirifice consentiunt, Sacramentalia Ecclesiarum occidentalium , et euchologia Ecclesiae graecae et orientalis solemniter confirmant, matrimonialem contractum ad dignitatem Sacramenti evectum esse. Hac stante elevatione, omnes doctores in eo convenire videntur quod semper obstringantur

fideles eo ritu celebrare matrimonium, ut sit sacramentum, et veram gratiam afferat. In eo tamen disputatum olim fuit, an nempe quodlibet fidelium matrimonium fuerit semper Sacramentum, ita ut contractus matrimonii seiungi ac separari nequeat a ratione Sacramenti, seu quod idem est, an fieri unquam possit inter ipsos fideles christianos, ut verum ac ratum in ratione contractus celebrari matrimonium non possit, quin eo ipso sit Sacramentum? Antiqui Doctores scinduntur, hac in re, in duas oppositas sententias, negantibus aliis, contra vero aliis affirmantibus. Non pauci fuere qui matrimonium, quod inter fideles christianos absentes per procuratorem, seu per epistolam contrahitur, verum esse Sacramentum inficiarentur. Rursus qui tuebantur Sacerdotem esse huius Sacramenti ministrum, atque verba, quibus contrahentes coniungit in matrimonio esse formam, tuebantur etiam matrimonia clandestina, quae ante decretum Concilii Tridentini sunt celebrata, vera et rata fuisse in ratione contractus, non in ratione Sacramenti, cum nec per ministrum Ecclesiae, nec forma consueta inita fuerant. Tuebantur pariter matrimonia quae post Conc. Trid. fuerunt contracta, praesente Parocho, sed benedictionem nuptialem recusante, aut eo invito, valida quidem esse, quoad foedus et vinculum, non tamen quoad Sacramentum. Ex iis etiam, qui ipsos contrahentes, huius Sacramenti ministros opinantur, non defuere, qui sentirent, fieri aliquando posse, ut matrimonium inter fideles, licet subsistat, et validum sit in linea contractus, non subsistat tamen in linea Sacramenti, eo quod contrahentes carere aliquando possunt de-

bita et necessaria intentione administrandi, recipiendique huiusmodi Sacramenta, quo casu valeret quidem iuxta hos auctores, matrimonium, quatenus contractus est humanus ac civilis, careret tamen dignitate Sacramenti. Similis reperitur inter doctores scissura; an nempe, quando Ecclesia prioribus saeculis ignoravit, legitima matrimonia fidelium cum infidelibus, ea vera fuerint Sacramenta ex parte coniugis fidelis. Non pauci enim cum Catharino et Dominico Soto id affirmant, alii vero prorsus inficiantur. Scindebantur denique et in eo casu, quo nempe matrimonium sub conditione consummatum, conditione impleta, convalescat; siquidem nonnulli matrimonium hoc habere dumtaxat rationem contractus, non Sacramenti, contendebant; alii vero utrumque et contractus et Sacramenti rationem eidem matrimonio inesse asseverabant. Verum in his omnibus quamlibet amplecti sententiam nemini amplius licet; siquidem Sancta Sedes loqui coepit disertius, et praesertim Pius IX aperte declaravit « inter fideles matrimonium esse non posse, quin uno eodemque tempore sit sacramentum. » Ad rem clar. Perrone « de Matrimonio christiano, Romae 1858, lib. 1, sect. 1, c. 1, art. 1 et 2, Doctrina, ait, quae de contractu et Sacramento unam eamdemque rem efficit, est doctrina vera, certa et catholica, et opinio contraria est falsa, doctrinae apostolicae Sedis adversans, non proinde satis catholica, imo nullo modo catholica est. » « Postquam, subdit Stapf § 474, Christus coniugium sacramentis novae legis inseruit, contractum et sacramentum separare non licet. Insuper tum ipsius naturae humanae dignitas, tum sanctitas coniugii misere pessumdatur,

si matrimonium pro contractu accipiatur, et a sacramento separetur. Quo posito, nonnulli de re una dissident, an scilicet contractus naturalis tantum, an vero civilis ad dignitatem Sacramenti evectus sit; sive quod magis quaestionem explicat, an Christus Dominus ad eam dignitatem evexerit contractum quemlibet matrimonialem, qui secundum naturales et divinas leges validus sit atque legitimus, an vero contractum civilem, qui scilicet non solum naturalibus et divinis legibus, sed legibus etiam civilibus et politicis eius loci, in quo contrahitur, legitimus et validus habeatur? In qua quidem controversia facile in eorum sententiam adducti sumus, qui pro contractu naturali causam agunt. Etenim Synodus Trid. sess. XXIV in doctrina de Sacramento Matrimonii, postquam docuit matrimonii perpetuum et indissolubilem nexum a primo humani generis parente, Divini Spiritus instinctu, pronuntiatum fuisse, cum dixit: « hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea: quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una, » sic pergit: « Gratiam vero, quae naturalem illum amorem perficeret, et indissolubilem unitatem confirmaret, coniugesque sanctificaret, Christus ipse, venerabilium Sacramentorum Institutor atque perfector, sua nobis passione promeruit. » Denique per ipsam Christi gratiam matrimonium, seu matrimonialem contractum in lege evangelica ad dignitatem Sacramenti elatum esse concludit his verbis: « Cum igitur matrimonium in lege evangelica veteribus connubiis per Christum gratia praestet; merito inter novae legis Sacramenta adnumerandum SS. Patres nostri, Concilia, et uni-

versalis Ecclesiae traditio semper docuerunt. » Quibus ex verbis duo maxime sunt perspicua : I. quidem naturalem illum amorem et indissolubilem nexum, quo vir et uxor in Paradiso terrestri ab ipso Deo copulati sunt, per Christi gratiam perfectum et confirmatum esse, coniugesque sanctificare. II. Per eam Christi gratiam et sanctificationem matrimonium veteribus coniugiis praestare, et merito ad Sacramenti dignitatem evectum esse, quod in Paradiso terrestri primum exstitit. Quid autem matrimonii illud fuit ? Nempe contractus naturalis et nulla ratione civilis, nondum enim civiles contractus ulli erant. Ad rem Margotti op. « Processo di Nepomuceno Nuytz: » « Il matrimonio ha preceduto ogni legge, ogni governo, ogni società, ed è questo contratto puramente naturale, cui Cristo si riferisce in S. Matteo. » Pius VI litt. ad Episc. Agriae 11 Iunii 1788 aperte tradit: « Matrimonium esse contractum iure divino ante omnem civilem societatem institutum et firmatum; hocque insigni discrimine differre ab alio quocumque civili contractu. » Multa huiusmodi argumenta proferre possemus ex ecclesiasticis monumentis, quibus docemur matrimonium, ut naturae officium, vel naturalem coniunctionem dignitate Sacramenti auctam esse ; at nullus locus ex iisdem monumentis proferri potest, ubi matrimonium civilis contractus appelletur. Verumtamen non diffiteor a privatis Doctoribus aliquando civilem contractum vocatum esse; at nomen illud lato quodam sensu usurparunt, ut significarent matrimonium esse contractum civilem et sensibilem, quem ineunt cives inter se, quique ad bonum civile ordinatur reipublicae, paci et conser-

vationi consulit, firmat amicitias et affinitates inter cives, et civiles effectus parit, ut administratio bonorum uxoris, iura dotium, successio filiorum in bona et dignitatem familiae et huiusmodi. Hi vero effectus Sacramento extrinseci sunt, nec in essentiam et naturam matrimonii ingrediuntur, sed ex eo profluunt, postquam rite perfectum est. Quamobrem in matrimonio, quod civile et profanum est Sacramento posterius est, ab eoque secretum et extraneum. Ex quo fit, ut potestas civilis huiusmodi effectus moderari possit, quia nihil in eis attingit quod ad essentiam et naturam Sacramenti pertineat, de qua re suo loco sermo instituetur.

Graecorum nonnulli existimarunt matrimonium non ex prima naturae institutione ante peccatum, sed ex peccato dumtaxat originem duxisse. At certum omnino est, quod matrimonium, ut est contractus naturalis in officium naturae, ex ipsa naturae lege ducat originem, quia ut optime ratiocinatur Estius in 4 dist. 26, § 1: « Natura, etiam secluso peccato, inclinat hominem ad prolis generationem, et ad eum finem sexuum diversitas est ordinata. » Fuit igitur matrimonium in paradiso terrestri institutum ante peccatum, Adamum inter et Evam. At matrimonium, quod ante peccatum erat in officium dumtaxat naturae, et copula carnali nondum a protoparentibus consummatum, ut Catechismus Rom. observat p. 2 de Sacram. Matr. n. 8, post peccatum factum est etiam in remedium concupiscentiae.

Circa tempus, quo matrimonium ad Sacramentum evectum a Christo fuit, Theologi inter se concordes neutiquam noscuntur. Quidam enim illud

tempus adsignant, quo Christus Matth. XIX, 6 dixit: « Quod Deus coniunxit, homo non separet: » alii autem cum nuptias in Cana Galilaeae praesentia sua cohonestavit, Ioan. II.

Quia vero baptismus ianua est caeterorum sacramentorum, illud consequitur, quod matrimonia, quae nunc inter Iudaeos, Turcas, aliosque non baptizatos ineuntur, vera quidem matrimonia sint in ratione contractus, neutiquam vero in ratione Sacramenti. An vero, quod inter eosdem non baptizatos contractum fuerit matrimonium, accedente baptismate, Sacramentum evadat, a Theologis, non sine tamen opinionum discrepantia, solet inquiri. Nonnulli quippe tuentur statim post baptismum absque ullo novo consensu matrimonium fieri Sacramentum; arbitrantur alii Sacramentum evadere, cum vel novus ab iis, qui baptizati sunt, ponitur consensus, vel antiquus quoquo modo renovatur, scilicet aut verbis, aut nutibus, aut affectu maritali. Non desunt tamen et ii quidem non pauci, qui huiusmodi matrimonia nullo modo acquirere Sacramenti dignitatem asseverant. Verum haec quaestio post solemnem loquendi modum a Pio IX adhibitum, de quo supra, otiosa forsan ac inutilis dici poterit.

§ 31.

De discrimine matrimonium inter et alios contractus.

Qualis autem differentia sit inter contractum matrimonii aliosque contractus breviter explanandum est. Itaque naturalis contractus matrimonii a civilibus et humanis contractibus praesertim

differt: 1° quod matrimonium a iure naturali et divino originem et institutionem habet, eique a Deo ipso seu ius naturae explicante, seu legem positivam ferente quaedam conditiones, quales praecipue monogamia et insolubilitas, affixae sunt, in quibus matrimonium nulli subditur potestati, quae divina inferior sit; caeteri autem contractus a iure gentium, vel speciali iure cuiusque nationis profecti sunt. Quin primaeva viri et mulieris coniunctio, cuius Deus auctor fuit, sanctissimi illius vinculi, quo Christus cum Ecclesia sua copulatus est, mysticum signum praetulit, ex quo factum est, ut a SS. Ecclesiae Patribus ea matrimonia, quae ante legem evangelicam iniri solebant, Sacramenta lato quodam sensu appellata sint, eoque nomine ipsa infidelium matrimonia honestata fuisse legamus. Sic Innocentius III cap. GAUDEMUS, de Divort. haec habet: « Cum Sacramentum coniugii apud fideles et infideles existat. » Illud etiam animadversione dignum est, quod in humani generis diffusione non solum apud Iudaeos caeremoniis et ritibus sacris nuptiae celebratae sunt, sed etiam apud Paganos; quasi matrimonio divini aliquid inesse arbitrarentur. 2° Differt, quod consensus matrimonialis natura sua solutus, expers, et liber est ab alieno imperio, neque ulla potestate humana suppleri potest; repugnat enim fini, seu mutuo amori, quo animos copulari oportet in matrimonio, ut sinè proprio consensu ineatur; sed in caeteris contractibus, quamvis spontaneus et liber postuletur, aliquando tamen publica potestas cogit cives vel invitos ad certum contractum ineundum, quin, si nolint consentire, aut nequeant, consensum ipsa

supplet, ut actus valeat. Vide litteras Pii VI ad Episc. Agriensem 12 Iulii 1789. 3° Differt, quia matrimonium, quod ad eius validitatem spectat, a divina, naturali, et ecclesiastica lege, non tamen a civili, et Principum arbitrio pendeat, sicut civiles contractus reliqui; de quo inferius disputabimus. 4° Denique matrimonium a caeteris contractibus differt, quantum quidem res sacra a profana; est enim invisibilis gratiae visibile signum, dum ad Sacramenti dignitatem elatum est, quo coniuges sanctificantur.

§ 32.

De materia et forma.

Apud omnes Catholicos certum est, contractum illum, qui matrimonium vocatur ab Ecclesia, esse materiam Sacramenti; est enim res sensibilis, ex qua Sacramentum conficitur; quin ex Synodi Tridentinae definitione matrimonium ipsum est vere et proprie Sacramentum. Sed quia multa possunt in matrimonio distingui, videlicet: 1° mutuus nubentium consensus verbis aut signis expressus; 2° mutua corporum traditio; 3° nexus seu vinculum ex illo contractu resultans; 4° denique mutuum ius et obligatio in utroque contrahente ad debitum coniugale, idcirco in determinanda materia Sacramenti multum dissentiunt Doctores, dum alius aliam contractus partem seu proprietatem pro Sacramenti materia constituit.

Itemque de forma Doctores disputant, an in verbis vel externis signis contrahentium ponenda sit, an in verbis Sacerdotis, qui contrahentes in

matrimonium copulat. Verum haec disputatio ex alia quaestione pendet, quisnam Sacramenti Matrimonii Minister sit? Nam qui docent, ipsos contrahentes Sacramenti ministros esse, quorum uterque sibi, vel alteri illud administret, Sacerdotem autem *auctorizabilem* testem, ut aiunt, duntaxat esse, eiusque benedictionem caeremoniam ecclesiasticam, quae ad Sacramenti essentiam non pertinet, consequens est, ut Sacramenti formam in contrahentium verbis, aut externis signis collocent, quum omnium Sacramentorum forma per Sacramentorum ministros apponatur. Contra autem ex eorum sententia, qui putant Sacerdotem non modo testem *auctorizabilem* esse, sed etiam Sacramenti ministrum, ita ut sine ipsius ministerio, validus quidem et firmus matrimonii contractus, non tamen confici Sacramentum possit, plane consequitur, Sacramenti formam contineri his verbis: *Ego vos in matrimonium coniungo*, aut aliis aequivalentibus, quae Sacerdos iuxta receptum cuiusque provinciae ritum adhibuerit. Itaque de Ministro Matrimonii dicendum erit.

§ 33.

De Ministro Matrimonii.

In hac quaestione gravissima duo sunt apud omnes explorata: I. opinionem, quae solos contrahentes Sacramenti Ministros facit, unanimem esse veterum Scholasticorum sententiam, hanc enim ut certam et exploratam propugnarunt fere omnes antiqui Theologi, Iurisque Canonici Interpretes, quae quidem in Theologicis doctrinis antiquitas

summa est nota veritatis. II. eamdem sententiam, postquam etiam nova opinio primum per Canum, ut pluribus probat Cl. Perrone op. c. l. 3, sect. 1, c. 2, a. 2, in medium prolata fuit, permansisse adhuc in Scholis communiorem. Quamobrem Tournely, quamquam Melchiori Cano adhaereat, ingenue tamen fassus est in Tractatu de Matrimonio: « Si ex auctoritate et numero Scholasticorum pugnandum hic foret, vinceret haud dubie opposita sententia. » Huic antiquiori et communiori sententiae illud gravissimum argumentum accedit, quod doctrinae et praxi Ecclesiae mire congruat et SS. Pontificum decisionibus praesertim nuperrimis apprime respondeat, adeo ut contrariae opinioni de Sacerdote ministro Sacramenti Matrimonii praeclarissimi auctores nuntium modo plerique omnes miserint. Congruit doctrinae Ecclesiae quia TT. PP. sess. XXIV, c. 1 de Ref. Matrim. declararunt: Clandestina matrimonia, libero contrahentium consensu facta rata et vera esse matrimonia, quamdiu Ecclesia ea irrita non facit. » Si etenim nuptiae sine Sacerdotis praesentia celebratae vera et rata matrimonia exstiterunt, cum ex recepto a Sacris Canonibus loquendi modo ea tantum matrimonia dicantur vera et rata, quae non solum contractus sunt, sed vera et proprie dicta Sacramenta, fit inde ut illius Sacramenti ministri sint contrahentes et non Sacerdos; quandoquidem sine eius praesentia et ministerio Sacramentum confici non potuisset. Congruit etiam praxi, quia matrimonia coram duobus testibus et Parocho, sed eo invito et reluctante, inita, iuxta contrariam sententiam essent valida quidem in ratione contractus, sed ob defectum Sacerdotalis benedictionis non essent Sacra-

menta. At Ecclesia aliter sentire videtur, ut multis verbis demonstrat Benedictus XIV de Syn. Dioeces. lib. 8, cap. 13: « Ne sic copulati fideles perpetuo carerent gratia, quae in Sacramento Matrimonii in contrahentes derivatur, deberet Ecclesia illos compellere aut saltem hortari, atque inducere ad suum contractum legitime, consuetisque adhibitis sacris ritibus, iterum renovandum coram eodem Parocho, cuius verbis fiat Sacramentum, atque ob eamdem rationem coram Sacerdote aut praeciperet, aut saltem instaurari curaret clandestina coniugia in locis inita, ubi Tridentini decretum non est susceptum. Cum autem neutro casu coniugii renovationem ab Ecclesia urgeri videmus, non temere inde coniicimus utrumque contractum, quamquam Sacerdotis benedictione non obsignatum, iam ab Ecclesia haberi pro Sacramento. » Confer etiam eiusdem Pontificis Const. « PAUCIS ABHINC. » Huc etiam faciunt plures S. C. C. declarationes, quas idem Pontifex cit. Oper. lib. 13, cap. 23, et Fagnanus in cap. QUONIAM n. 25 de Constitut. referunt, ex quibus perspectam habemus validitatem matrimonii coram legitimo Parocho et testibus celebrati, quamvis Parochus auctoritatem suam neque dicto, neque facto interposuerit. Iam vero declarationes istae matrimonium spectant, quatenus Sacramentum est: Congregatio enim de matrimonio, non ut contractus pure humanus, sed ut Sacramentum est, sententiam rogabatur. Quin Petrus Ledesma apud Pontium de Matrim. lib. 1, cap. 8, affert ipsius Congregationis declarationem, in qua expressis verbis Sacramentum memoratur. Est autem declaratio: « Non pertinere ad substantiam matri-

monii Sacramenti, ut Parochus aliqua verba proferat. » Quamobrem necesse est alterutrum affirmare, aut Sacerdotem non esse Sacramenti Matrimonii Ministrum, aut Sacramentum ab eo confici qui nihil agit, qui verba nulla profert, qui etiam repugnat et contradicit. Hoc autem posterius, quo Sacramenti Minister sacerdos esset nihil verbis aut factis administrans, imo celebrationi Sacramenti ipsius apertissime repugnans et contradicens, adeo ab Ecclesiae doctrina rectaque ratione alienum et absonum est, ut nihil videatur esse absurdius.

Verum facere non possum, quin hic memorem declarationem eiusdem S. C. C. *in Tric.* 27 Martii 1632. Rogata Congregatio, quemadmodum matrimonium valide contrahi posset, ubi Tridentinum publicatum sit, sed Parochialis Ecclesia proprio Parocho, et Cathedralis Episcopo careat, et Capitulo habente facultatem delegandi alium Sacerdotem, nullusque alius ibi sit, qui parochi vel Episcopi vices suppleat; « censuit valere matrimonium absque praesentia Parochi, servata tamen in eo, in quo potest, forma Concilii, nempe adhibitis saltem duobus testibus. Si vero existat quidem Parochus vel Episcopus, sed nullo constituto Vicario, et utérque metu haereticorum lateat, ita ut vere ignoretur ubinam sit, vel eodem metu a Dioecesi absit, nec ad alterutrum tutus sit accessus, validum quoque esse matrimonium contractum absque forma S. Concilii Tridentini, adhibitis tamen duobus, uti dictum est, testibus. » Iam vero declaratio spectat matrimonium secundum formam Tridentini contrahendum, nimirum quatenus Sacramentum, nec tamen in iis rerum circumstantiis praesentia, et ministerium Sacerdotis ad eius validita-

tem postulatur. Huc spectat decisio S. C. pro negotiis Ecclesiae Gallicanae die 22 April. 1795. Ad dubium enim « supposito quod matrimonium celebratum fuerit absque benedictione Sacerdotis, qui tunc (tempore rebellionis gallicae) haberi non poterat, an conveniat nec ne, ut praefata benedictio postea suppleatur? » reponebatur « fideles hortandos esse, ut cum Sacerdotis copiam habere possunt, ab eo benedictionem petant, qui tamen illis declarabit, huiusmodi benedictionem ad validitatem minime pertinere. » Quid apertius, quid luculentius dici potest pro sententia, quam tuemur?

Praeterea Eugenius IV in decreto pro instructione Armenorum, haec habet: « Septimum est Sacramentum Matrimonii, quod est signum coniunctionis Christi et Ecclesiae secundum Apostolum dicentem: Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo et Ecclesia: Causa efficiens matrimonii est mutuus consensus per verba de praesenti regulariter expressus; » dixit Pontifex « per verba regulariter expressus » quia consensus mutuus regulariter verbis, interdum nutibus et signis exprimi etiam potest. In hoc decreto agitur de Matrimonio, uti est Sacramentum, 1° quia Eugenius profitetur se Sacramentorum doctrinam Armenis tradendam assumere; 2° quia verbis declarat sermonem facere de Sacramento Matrimonii eodem loco, cum ait « Septimum Sacramentum est Matrimonium » 3° demum quia nil opus erat, ut Eugenius Armenos doceret, quemadmodum naturali et civili contractu matrimonium perficeretur; id quippe latebat neminem, et a Pontificis scopo immensum aberat. Porro ille non meminit

Sacerdotis, sed simpliciter tradit, matrimonium effici consensu mutuo per verba de praesenti. At vero meminisse Sacerdotis, si Sacramenti Minister esset, oportebat omnino; aliter enim instructio Pontificis manca et imperfecta fuisset in re quidem substantiali, unde Armeni in errorem aut saltem in graves dubitationes trahi potuissent. Restat igitur, ut Sacerdos, et verba ab ipso prolata ad Sacramenti Matrimonii essentiam non pertineant, nec ipse Sacramenti Minister habendus sit.

Tandem haec sententia SS. Pontificum decisionibus respondet. Nam missis iis, quae ab Urbano VIII, Pio VI, Pio VII dicta sunt, apertissima sunt verba quibus usus est Pius IX, tum in alloc. 24 Sept. 1852, tum litteris datis ad Sardiniae Regem 19 Sept. 1853, tum allocutione 29 Oct. 1866, quibus cum statuatur Sacramentum in nuptiis christianorum a contractu separari nullomodo posse, cumque constet Sacramentum inde fieri a christifidelibus, qui matrimonium contrahunt absque Parochi praesentia, in locis ubi impedimentum clandestinitatis non exstat vel viget, profecto concludatur oportet non Sacerdotem, sed ipsos contrahentes ministros esse. Unde sequitur, ex dictis, in matrimonio corpora, seu ius in corpora materiam remotam, huius iuris traditionem materiam proximam, mutuam acceptionem, seu consensum exterius expressum, formam constituere.

Multa quidem argumenta sunt, quae Melchior Canus eiusque asseclae, tum antiquiores, tum recentiores, ut Petzel de Lassaux, Dobmayer, Sauter, Döllinger, Müller, Brauer, Hagel, Fayer, Berg et Stattler, contra proferunt. Sed ea singillatim diluunt Bellarminus lib. 1 de Matrim. cap. 6 et seqq., Billuart de Matrim. cap. 6, Pontius cit. lib. 1 cap. 8, et inter

recentiores S. Alphonsus de Ligorio « Diss. de Matrim., Covini « Diss. del Ministro del Matrimonio, Vernier « Theol. pract. n. 821, Henr. Klee « Dissertatio dogmatica archaeologica » Mog. 1835, Perrone « De Matrimonio cap. 1, § 35 et seqq., » Marrocu « De Re sacr. t. 4 de Matrim. c. 4, prop. 1 » Romae 1858, aliique passim. Diffiteri tamen non possumus Cani opinioni se adiunxisse omnes ecclesiasticae potestatis osores, omnes qui Iansenii sectam sequuti sunt, aut Ianseniano fermento turgebant, omnes demum, qui se Curiarum civilium partibus addixerunt, aut quocumque modo politicae potestatis assentatores facti sunt, ut ait clar. Liebermann.

§ 34.

De consensu Matrimoniali.

Vulgo traditur matrimonium consensu perfici, quo significatur caetera omnia irrita esse, si consensus utriusque coniugis defuerit. Est autem ad matrimonii valorem mutuus iste consensus adeo necessarius, ut eius defectus nulla humana potestate sive civili, sive etiam ecclesiastica queat suppleri. An vero per absolutam, ut aiunt, Dei potentiam, absque mutuo contrahentium consensu possit matrimonium subsistere, acerrime inter doctores disputatur. Otiosa quidem, aut prorsus inutilis haec est disputatio, cum nullum proferri posse videatur exemplum, quo Deum hac absoluta sua potentia aliquando usum fuisse certe demonstretur. At quamquam consensus matrimonium vere efficiat, non tamen solus sufficiens est. Nam matrimonium non valide contrahitur, nisi consensus ipse coram Parocho et tribus vel duobus testibus, ubi Conc. Trid. decr. publicatum est, exprimatur, ipsique contrahentes omni impedimento careant,

quemadmodum infra explicabimus. Ad licitam vero celebrationem, praeter haec omnia, requiritur etiam ut contrahentes impedimento impedienti non laborent, et observent quae ad dignam eius celebrationem ex Ecclesiae statuto pertinent, seque disponant ad gratiam Sacramenti suscipiendam.

Consensus autem utriusque per verba de praesenti exprimi debet, et quamquam nutus, aliaque signa externa aperte consensum exprimentia, in iis etiam qui loqui possunt, ad matrimonium contrahendum absolute sufficerent, tamen ubicumque est praescriptum Parochis, ut dum benedicunt, assistuntque nuptiis, consensum verbis exprimendum a coniugibus requirant. At sive vir et mulier simul consentiant, sive unius praecedente consensu ac permanente, consensus alterius subsequatur, tum demum matrimonium perficitur, quum consensus utriusque adfuerit. Quare contrahi potest non solum inter praesentes, sed etiam inter absentes per procuratorem, dummodo: 1° procurator speciali mandato ad contrahendum cum certa persona instructus sit; 2° mandatum ipsum per se impleat ita, ut aliam in sui locum nequeat substituere, nisi id expresse ei fuerit concessum, et insuper servet tam omnes eiusdem mandati limites, quam Tridentini legem de contrahendo coram Parocho et testibus; 3° denique mandatum eo tempore, quo nomine mandantis contrahit, revocatum non sit. Cap. fin. de procur. in 6. Quaesitum est, an procurator valide suo fungatur munere, si mandans, post datum mandatum, compos sui non est amplius, vel in amentiam aut fraenesim inciderit? Pontius negat, Sanchez affirmativam tuetur sententiam.

An matrimonium celebrari possit per epistolam, gravis est quaestio. Certum sane est valuisse huiusmodi matrimonium, iure antiquo, eo nempe quod ante Concilium Trid. servabatur. Sic enim iure ad Matrimonii valorem illud dumtaxat requirebatur, quod ad aliorum contractuum valorem exposcitur. Quicumque autem iurisprudentiam vel leviter attigerit, apprime novit quod caeteri contractus, si eos excipiamus, in quibus vel propria indole, vel speciali lege, praesentia partium requiritur, valide etiam per epistolam celebrantur. Tota proinde quaestio in eo versatur, an etiam post Tridentinum valeat matrimonium, quod per epistolam contrahitur. Qui id negant his ducuntur momentis. Ex Tridentino consensus praestari a contrahentibus debet coram eodem parocho et iisdem testibus; neutiquam vero percipitur, quomodo hoc per epistolam fieri possit. Quamvis enim is, qui accepit epistolam, consentiat coram Parocho et testibus, non tamen legitime consentit coram iisdem testibus ille, qui scripsit epistolam; cum enim necessarium sit, ut acceptet etiam alterius consensum, cum quo proposuit contrahere, hunc acceptare nequit, cum adhuc ignoret an consensurus sit ad oblationem matrimonii, quae per epistolam facta est.

Validiora tamen, ni fallimur, ea momenta sunt, quae contrariae et quidem communiori sententiae suffragantur, quia iure antiquo, ut diximus, quod ante Tridentinum servabatur, traditio et acceptatio fieri potuit per epistolam, ut in caeteris contractibus. Cum igitur non constet quod Tridentinum in hoc aliquid innovaverit, fieri etiam potuit post Tridentinum, quod ipsa traditio et accepta-

tio utriusque contrahentis coram eodem parocho et iisdem testibus facta dignoscatur.

Quod autem traditio et acceptatio etiam per epistolam coram eodem Parocho, et testibus fieri possit, duobus exemplis ostendit Sanchez lib. 2, de Matrim. disp. 12, n. 3. Primum est. Si puta Caius epistolam scribat ad Meniam, eaque non solum Caius corpus suum, ac usum matrimonii tradat, sed etiam ex tunc, ut ait, traditionem sibi a Menia faciendam acceptet, hoc in casu si Menia epistolam ipsam coram Parocho et testibus legat, et traditionem sibi a Caio factam acceptet, utriusque traditio et acceptatio facta revera erit coram eodem Parocho, et testibus iisdem. Alterum exemplum est. Si Menia postquam accepit epistolam a Caio, qua scripsit se accipere illam in uxorem, rescribat ad eumdem Caium se acceptare eius traditionem et vicissim se illi in uxorem tradere, hanc Meniae Epistolam si Caius coram Parocho et testibus exhibeat, et simul coram eisdem in illam traditionem consentiat, iam traditio et acceptatio coram eodem parocho et testibus fuit expleta, Meniae quidem per epistolam ab ea scriptam, Caii autem per verbalem consensum.

§ 35.

De consensu simulato

Cum itaque consensus contrahentium in primis nuptias faciat, ubi amborum aut unius consensus deficit, nuptiae nullae sunt. Potest autem consensus deesse, vel quia per errorem, vim, metumve, aut sine debita cognitione datus est, de

quibus in exponendis impedimentis dicendum erit; vel quia contrahens ex propria malitia simulavit consentire et contrahere, vere tamen et ex animo non consensit. Hoc posteriori casu exploratum est matrimonium non valere, quia non verba externa aut eorum sonitus, sed animus et voluntas sese obligandi, sive verus consensus internus matrimonium efficit, Cap. Tua nobis, 20 de spons. Et sane haec est matrimonii indoles et natura, ut contrahentes sibi invicem suas donent personas, quod fieri nequit sine consensu vero et sincero, cumque matrimonium sit vinculum perpetuum et mutuum amoris, animorumque coniunctio, nemo non videt haec sine vero et sincero consensu neutiquam percipi, unde quidquid sit, an in aliis contractibus v. g. venditionis, etc., obligatio de iure naturae inducatur ex verbis, quibus contractus exprimitur sine vero et sincero animo aut vendendi, aut se quocumque alio modo obligandi, id certum locum habere non potest propter diversam huius ab aliis contractibus indolem et naturam, quae interiorem consensum omnino exposcit, ita ut nulla humana potestate queat suppleri. Nemo autem dubitat, quin is, qui non consensit, gravissime peccaverit, et peccato iniustitiae in contractu, et peccato sacrilegii in Sacramento, atque in utroque foro teneatur praestare consensum. Interim Ecclesia consensum hunc seu verbis, seu signis certis et claris sufficienter exploratum tamdiu verum esse praesumit, quamdiu contrarium evidenter non probetur, neque credit contrahenti, quamvis iuramento confirmet se ficte consensisse: « cum nimis indignum sit iuxta legitimas sanctiones, ut quod sua quisque voce protestatus est, in eumdem casum

proprio valeat testimonio infirmare, » ut inquit Innocentius III in cap. PER TUAS 10 de Probat.; secus enim divortiis et adulteriis via aperiretur, dum quem propriae uxoris poeniteret, facile posset fictionem consensus allegare, ut sibi fas esset ad alias nuptias convolare. Si probatum fuerit reipsa defuisse consensum interiorem, nec adduci ullo modo possit ille, qui interiorem consensum non praebuit, ut rursus consentiat in matrimonium, tunc post reparatum parti laesae damnum expletamque pro mendacio et iniuria Ecclesiae illata poenitentiam, poterit per Iudicem ecclesiasticum nullum declarari matrimonium, nec licebit ad alias transire nuptias, nisi post licentiam Iudicis ecclesiastici.

At casus magis perplexus est, si is qui cum una ficte consensit, cum altera vere et sincere consentiret. Doctores numero pauci se ab hac difficultate facile expediunt, dum asserunt eum vere contrahere, qui serio et libere externa profert signa et verba, quibus matrinonialis consensus exprimatur; quamvis habeat statutum animo non contrahendi sed decipiendi. Ostentant auctoritatem Magistri Sententiarum, qui dist. 27 sic loquitur: « Si autem verbis explicant quod tamen corde non volunt, si non sit coactio ibi vel dolus, obligatio illa verborum, quibus consentiunt dicentes: accipio te in virum, et ego te in uxorem, matrimonium facit. » Huius autem sententiae argumenta sunt, quod fraus et dolus nemini debeat patrocinari, quodque omnia propemodum matrimonia incerta forent, aut saltem in controversiam et discrimen adducerentur. Verum hae rationes alicuius momenti essent, si de humanis contractibus ageretur,

in quibus civilis auctoritas potest consensum praecipere vel supplere, licet non desint Auctores, qui generatim de omni contractu pronuntient, secluso damno, aut iniuria, aut scandalo, nullam obligationem parere implendi, quod ficto animo polliciti sumus, quum omnis obligatio privata ex hominum voluntate consurgat. Hac tamen quaestione in medium relicta, exploratum est dissimilem profecto esse rationem matrimonii atque aliorum contractuum, tum quia matrimonium non modo corporum, sed etiam animorum coniunctio est, tum quia consensus matrimonii nulla potestate suppleri valet. Itaque dubitandum non est, quin matrimonium simulato animo initum nullum sit, idque confirmatur etiam ex cap. Tua nos de Sponsal. et Matrimon. Quamobrem, in allato casu, primum matrimonium ficte initum non consistit, sed alterum omnino valet. Ecclesia tamen quae iudicat secundum acta et probata, censuris etiam compelleret ad cohabitandum cum ea, quacum prius matrimonium contractum fuit. Quare fit, ut simulator, si fictionem in foro externo probare nequeat, neutro matrimonio uti potest; non primo, quia defectu consensus nullum fuit, ac potius debet quodvis sustinere incommodum ac etiam excommunicationem, quam per carnale commercium peccatum operari; non secundo, quia ob Ecclesiae prohibitionem ab eius usu et habitatione penitus removetur. Sed illud merito sibi imputet.

§ 36.

De conditionibus Matrimonio appositis.

Matrimonia ob Sacramenti reverentiam et plurium incommodorum pericula pure et simpliciter celebranda sunt, neque a Parochis ferendum est, ut coram se sub ulla conditione ineantur. Attamen nec Sacri Canones, nec ipsa natura matrimonii omnino impediunt, quominus consensui matrimoniali quaedam conditiones apponantur. Conditio autem communiter definitur qualitas dispositioni seu actui adiecta, dispositionem ipsam, seu actum in dubium futurum eventum suspendens, ex. gr. contraho tecum, si navis ex India venerit. Igitur « vera conditio in futurum concipitur; nam quae in praeteritum, aut praesens tempus concipitur, figuram, non vim conditionis continet, » ut loquitur L. 6, ff. de Haered. instit. Quamobrem si matrimonium sub conditione in praesens, aut praeteritum tempus concepta ineatur, veluti contraho tecum, si Pater tuus Consul fuit, aut Consul electus est, statim matrimonium ipsum aut ratum, aut nullum est, quae enim iam certa sunt, licet apud nos incerta, obligationem non morantur, videlicet vel conditio exstitit, et consensus adest; vel non exstitit, et consensus deest: tantummodo suspenditur matrimonii usus, donec exploratum fuerit, an conditio reapse exstiterit vel non exstiterit. Pariter conditiones necessariae, seu in sua causa determinatae, matrimonium non suspendunt, quia pro existentibus iam habentur, uti contraho, si sol cras oriatur, aliaeque huius generis. Leg. Pupillus 9 §

3 ff. novation. Denique generales illae conditiones, quae omni contractu continentur, veluti ducam te, si vixerimus, si Deus voluerit, vel quae matrimonio intrinsecae sunt, veluti ducam te, si non sis consanguinea mea, si non sis matrimonio iam copulata, vim et effectum conditionum non habent. sed matrimonium confestim valet, si aliud impedimentum non exstiterit.

Igitur superest, ut solae conditiones de futuro contingenti contractum matrimonii et consensum ipsum conditionatum efficiant, ac in incertum conditionis exitum suspendant. At conditiones huiusmodi aut honestae et possibiles sunt, aut turpes et impossibiles. De conditionibus turpibus et impossibilibus celebris est Decretalis Gregorii IX in cap. Si conditiones de Condit. appos., cuius haec verba sunt: « Si conditiones contra substantiam coniugii inserantur, puta si alter dicat alteri: contraho tecum, si generationem prolis evites, vel donec inveniam aliam honore vel facultatibus ditiorem, aut si pro quaestu adulterandam te tradas: matrimonialis contractus, quantumcunque sit favorabilis, caret effectu; licet aliae conditiones appositae in matrimonio, si turpes aut impossibiles fuerint, debeant propter eius favorem pro non adiunctis haberi. » Iam vero in hac Decretali duo a Pontifice distinguuntur genera conditionum turpium: primum earum, quae sunt contra substantiam matrimonii; alterum vero illarum, quae simpliciter turpes sunt; impossibilium autem unum genus nominatur, earum scilicet quae ex natura rei, seu de facto exsecutioni mandari non possunt. Conditiones primi generis, si matrimonio apponantur, ex aperta Pontificis declaratione, matrimo-

nium nullum et irritum omnino reddunt. Istarum autem conditionum tria tantum exempla in cit. textu *demonstrative*, non vero *taxative* recensentur; multa tamen alia reperiri possunt conditionum turpium, et etiam honestarum exempla, quae substantiae matrimonii repugnent; generatim enim conditio eius generis habetur, quae matrimonii bona videlicet aut prolem, aut fidem, aut Sacramentum impediat vel destruat. Ita conditiones de dominio corporum non transferendo, et de castitate perpetuo servanda, utpote prolis susceptioni adversae, et conditio de matrimonii vinculo ob adulterii causam dissolvendo, utpote Sacramenti indissolubilitati contraria, eiusdem matrimonii substantiae repugnant, illudque irritum reddunt, si in pactum deductae sint. Hinc C. S. Officii ad Episcopum Bosnensem, a quo dubium propositum est « an sit validum matrimonium contractum inter catholicum et haereticum cum intentione foedandi, vel solvendi matrimonium? » respondit: « Si ita sint deducta in pactum, seu cum ista conditione sint contracta matrimonia, sunt nulla; sin aliter, sunt valida. » Quamquam enim contrahentes putarent vinculum matrimonii aliquibus causis, ex. gr. adulterio interveniente, solvendum esse, si id tamen in pactum non deducant, illudque inire velint, quemadmodum a Christo institutum est, matrimonium ita contractum validum firmumque manet, « praevalente nimirum generali voluntate de matrimonio iuxta Christi institutionem ineundo, eaque privatum illum errorem quodammodo absorbente, » uti loquitur Benedictus XIV de Synod. Dioeces. lib. 13, cap. 22. Porro ex cit. cap. de Condit. apposit. caeterae conditiones simpliciter

turpes, nec substantiae matrimonii contrariae, uti contraho tecum, si furtum commiseris; itemque conditiones ex natura rei, seu de facto impossibiles, veluti si dicatur, contraho tecum, si coelum digito tetigeris, ex novo iure constituto, contractum non suspendunt nec dirimunt, sed favore matrimonii pro non adiectis habentur. Verum praedicta Iuris Canonici dispositio, qua matrimonium initum sub conditione simpliciter turpi aut impossibili indefinite validum pronuntiatur, perinde ac si conditio ipsa apposita non fuisset, aliquibus difficilis explicatu visa est. Fieri enim potest, ut contrahentes non consenserint, nisi sub ea conditione turpi vel impossibili: adiectio conditionis huiusmodi, si spectetur praecise conditionis natura, potius dissensum, quam consensum significat. Defectum autem huiusmodi consensus nec Pontifex, nec Ecclesia supplere possunt. Itaque mens illius Capitis ea esse videtur, ut conditiones simpliciter turpes, aut impossibiles ioco potius, quam serio animo adiectae generatim praesumantur: adeoque standum pro valore matrimonii, donec contrarium demonstretur, idque ob eam gravissimam causam, quod semper in dubiis favore matrimonii praesumendum est, ne forte legitimi coniuges separentur. Eodem prorsus privilegio ultimae voluntates potiuntur, cum in iis, ut cuilibet notum est, huiusmodi conditiones appositae a testatore, qui eas impossibiles esse ignorabat, penitus vitiantur, seu pro non appositis habentur, quia non serio sed ioco potius adiectae praesumuntur, c. 10 Inst. de Haer. Inst., et c. 58 ff. de cond. ind. Igitur haec iuris praesumptio, quae probationem in contrarium non excludit, veritati cedere

debet, si non ludendi, sed verum consensum denegandi gratia, aut ignorantia, tum impossibilitatis ipsius, tum turpitudinis, tum declarationis Gregorii IX, eius generis conditiones appositas esse demonstretur.

Notanda hic est differentia, quae inter conditiones simpliciter turpes, et conditiones natura impossibiles intercedit. Illae vitiantur, si sunt in futurum conceptae, neutiquam vero si praesens, aut praeteritum respiciant; istae autem pro non appositis habentur, sive in praesens, sive in praeteritum fuerint collatae. Praecipua huius discriminis ratio in eo consistit, quod conditiones natura impossibiles non ideo vitiantur, quia ad aliquod impossibile obligant, sed quia impossibiles omnino sunt, quod sane omnibus huius generis conditionibus, et in quodcunque tempus conceptis aeque convenit; at conditiones turpes simpliciter ideo vitiantur, quia ad delinquendum invitant, quod sane praestant conditiones de futuro, non vero de praesenti, aut de praeterito; et hanc sententiam omnes, si unum vel alterum excipiamus, ultro libenterque complectuntur. Quaestio in eo est inter doctores, an quae de conditione natura impossibili dicta sunt, procedant etiam in conditione facto impossibili, quando nempe id apponitur quod natura quidem fieri potest, propter difficultatem tamen impossibile iudicatur, prout ea est conditio, si montem aureum dederis. Nonnulli autumarunt conditionibus huiusmodi matrimonium vitiari, et nullum reddi, alii eas ut non appositas habendas esse opinantur; non desunt qui distinguunt inter forum internum et externum, et in hoc reiici et pro non appositis haberi fatentur, in illo matrimonii valorem, donec huiusmodi

conditiones impleantur, suspendi contendunt. Rectius tamen affirmamus id pendere a circumstantiis personae, cui conditio haec iniungatur; si manifeste pateat a persona non posse conditionem praestari, aut amicorum auxilio, aut sperabili beneficio fortunae, aut alio quocunque modo, dubium non est, quin ea veluti impossibilis haberi debeat, et pro non adiecta, secus vero si ea aliquo sperabili modo praestari posse constiterit.

Postremum conditionum genus, videlicet conditiones de futuro contingenti, quae possibiles et honestae sint, uti contraho tecum, si pater tuus consenserit, si navis ex India venerit, nomen et vim conditionis proprie retinent, atque valorem desponsationis suspendunt, donec conditio exstiterit, vel non exstiterit. Oportet autem, ut hae conditiones in continenti, ut aiunt, sive in ipso contrahendi actu adiiciantur; siquidem adiectae postea matrimonio non illud suspendunt, nec vitiant, sed vitiantur ipsae, nihilque operantur, secus enim indivisibile foedus coniugii arbitrio contrahentium committeretur, quod dici ac fieri nequit. Nec officit exemplum sponsalium de futuro, in quibus etiam ex intervallo, parte utraque consentiente, post datam fidem sponsalium conditio adiici potest. Nam ratio discriminis in eo est, quod cum sponsalia de futuro, mutuo partium consensu, possint dissolvi, poterit etiam mutuo ipsarum consensu eorumdem sponsalium obligatio de absoluta in conditionatam converti: at secus est in matrimonio; quandoquidem istud semel ac legitime fuerit contractum, dissolvi amplius mutuo consensu nequeat.

Duo circa hanc ipsam conditionem de futuro

contingente, quae simul possibilis sit et honesta in disputationem adducuntur. Primum est: an verificata huiusmodi conditione, matrimonium statim perficiatur absque novo partium consensu? Innocentius, Panormitanus, Sanchez, aliique plures existimant ex priori consensu conditionato, modo revocatus non sit, neque aliud obstet, obligationem seu contractum matrimonialem, impleta conditione, purificari et perfici, ut matrimonium sine novo consensu perfectum et absolutum evadat. Ea enim est vis et potestas conditionis. At Gonzalez, aliique arbitrantur, huiusmodi matrimonia pro sponsalibus habenda esse, cum non praesentem consensum, sed potius promissionem futurarum nuptiarum contineant. Quare consensu novo post conditionis eventum opus est, et conditione pendente vel etiam expleta, et consensu nondum renovato, si aliud matrimonium pure et absolute ineatur, hoc posterius omnino valet. Atqui tamen puto primam sententiam probabiliorem. Nonne omnibus matrimoniis ex dispositione ipsius Iuris conditio inest, si Religionem non ingressus fuero? Sed per conditionem illam matrimonium induit naturam sponsalium? Profecto emptionis et venditionis contractus praesentem consensum postulat, et tamen ex iure naturali et civili didicimus, quod si conditiones de futuro contingenti apponantur, hae haudquaquam efficiunt, ut contractus in pactum seu in promissionem emendi et vendendi resolvatur. Accedit etiam, quod consensus ille, cum in eventum conditionis fuerit relatus, ad hunc usque eventum moraliter perseverat, sicuti contingit in eo qui matrimonium per procuratorem contraxerit: existente igitur conditione, non

minus obligatur quam si novus poneretur consensus. Ex qua sententia descendit, tamquam legitimum consectarium, necessarium non esse, quod ipsi contrahentes conditionem iam exstitisse compererint. Siquidem statim ac exstiterit, perficitur matrimonium, sicuti statim ac procurator contrahat et consentiat, nomine sui principalis, ipsum matrimonium formatur, licet mandans id ignoret. Attamen eo in casu contrahentes uti nequeunt matrimonio, nisi postquam de impleta conditione certiores facti fuerint; alias enim periculum subirent fornicationis, si forte tum conditio non esset impleta, quod sane prae oculis haberi debet non tantum in hac conditione de futuro, sed etiam in conditionibus de praeterito, et de praesenti, de quibus supra actum est. Ad parochum spectabit contrahentes monere, ut a consummatione prorsus abstineant, donec de impleta conditione ipsis constiterit. Contingere enim facile potest, ut quis post matrimonium consummatum, et prolem susceptam, conditionem haud fuisse impletam videat. Vide Fagnanum cap. ult. de condit. n. 18. Alterum, quod in disputatione ponitur, illud est; an post Conc. Trid. ad valorem matrimonii requiratur, quod Parochus et testes intersint implemento conditionis, vel saltem quod contrahentes coram ipsis asserant, aut doceant conditionem impletam fuisse? Concors est doctorum sententia, quando conditionis implementum sit notorium, opus non esse, ut Parocho et testibus denuntietur. Quae enim manifesta sunt ac notoria, denuntiationibus ac probationibus non indigent. Quocirca tota disputatio in eo dumtaxat est, quando implementum conditionis non constat publice, et quidquid non pauci, ex

Theologis praesertim, in contrarium docuerint, tenendum est matrimonium coram Parocho et testibus sub conditione contractum, ipso conditionis implemento statim perfici, absque nova Parochi aut testium praesentia, vel denuntiatione huius implementi, quae ipsis fiat. Duplex autem, prout refert Fagnanus c. super eo 5 de cond. app. n. 5, 6 huic sententiae suffragatur decretum S. C. C., quorum alterum a S. Pio V, et alterum a Clemente VIII probatum est. Haec sane sententia prono alveo descendit ex illa, cui paullo supra subscripsimus; profecto non statim absque novo consensu perficeretur matrimonium, si nova praesentia Parochi et testium foret necessaria. Validissimis etiam rationibus confirmatur. Si enim iuxta Trident. praesentia Parochi et testium eo duntaxat tempore exposcitur, quo matrimonium celebratur, non quando existit conditio, sed quando ea adiicitur, imo si conditio, quando existit, retrotrahitur ad tempus, quo fuit apposita, nemo non videt novam Parochi ac testium praesentiam nullatenus requiri. Accedit etiam, quod lege eadem praesentia neque ad constituendum procuratorem, neque ad exhibitionem dispensationis inter personas impeditas, ut quotidiana praxi edocemur, ullo modo requiritur, quamvis matrimonium absque mandato per procuratorem, vel absque dispensatione inter personas impeditas contractum nequeat subsistere. Pari ergo ratione eadem Parochi et testium praesentia ad implementum, aut verificationem conditionis neutiquam requiritur, licet conditione non impleta, aut verificata, matrimonium non perficiatur. Caeterum, deficiente conditione apposita, oportet denuo matrimonium co-

ram Parocho et testibus celebrare, si forte contrahentes vellent, non obstante conditionis defectu, priores nuptias confirmare; namque consensus prior nihil prodest amplius, cum ob defectum conditionis omnino defecerit.

§ 37.

De modo, causa, et demonstratione.

Conditionibus affinia sunt modus, causa, et demonstratio. Modus est quaedam adiectio oneris, quo vult contrahens alterum contrahentem adstringere in matrimonio ineundo, ex. gr. contraho tecum, ut divitias vel publicum munus mihi compares. Causa est expressio alicuius rationis, ob quam contrahitur, uti contraho tecum, quia nobilis es. Denique demonstratio est designatio qualitatis, quam putamus inesse personae, cum qua contrahimus, uti contraho tecum, quae filia Principis es.

Iam vero demonstratio, vel causa, sive falsa, sive vera, sive honesta, sive turpis, qualiscunque demum sit, non destruit matrimonium nec suspendit, quum utraque substantiam contractus nullo modo attingat; causa quidem se habet, ut occasio quaedam, quae ad contrahendum allicit, non tamquam vera causa et conditio, a qua consensus unice pendeat; demonstratio etiam nihil aliud est, quam opinio de qualitatibus personae, cum qua contrahitur. Accedit etiam, quod nec falsa causa, nec falsa demonstratio vitiant legatum § 30 et 31 Inst. de legatis; nec igitur vitiare debent matrimonium, quod est legato favorabilis. Si tamen in

causa vel demonstratione lateat error personae vel conditionis, matrimonium nullum erit, uti si dicatur: Duco te qui liber es, vel primogenitus Regis. Nam non quidem ob falsam demonstrationem vel causam, sed propter errorem personae vel conditionis nuptiae invalidae sunt, atque adeo matrimonium ex huiusmodi errore contractum adhuc irritum esset, etiamsi demonstratio haec et causa non fuisset adiecta, quemadmodum in explanando erroris et conditionis impedimento compertum erit.

Quod autem ad modum attinet, si hic honestus et possibilis sit, matrimonium non dirimit nec suspendit, in hoc enim differt a conditione, quod conditio efficit, ut actus eiusque vis in suspenso maneat, donec exstiterit, modus autem contractum iam perfectum supponit, eumque dumtaxat temperat oneris adiectione. L. Si doceas l. Cod. de donat. Id patet aliorum contractuum exemplo; si vero modus sit impossibilis aut turpis, ut contraho tecum, ut montem aureum mihi des, furtum facias, matrimonium valet, et modus pro non adiecto habetur. Idque generatim contractuum omnium proprium est, ut sub modo turpi vel impossibili non vitientur, sed modus ipse pro non adiecto habeatur. Sane non vitiatur contractus, quia modus ei supervenit iam perfecto, vitiatur autem modus, quia turpium et impossibilium nulla est obligatio. Ob eamdem rationem multi Doctores censent modum etiam substantiae matrimonii repugnantem, ex. gr. contraho tecum, ut corporis quaestum facias, non obstare, quin idem matrimonium valeat, sed modum ceu non adiectum habendum esse. Quae sententia arridet, nisi

forte modus sub ratione conditionis positus sit : generatim enim si modus, aut causa, aut demonstratio apponatur, tamquam conditio vera, a qua consensus pendeat, eadem iura valere debent, quae hactenus de conditionibus exposuimus. Quando vero modus exprimitur tamquam conditio, nisi id aperte constet, quaestio est a circumstantiis decidenda.

§ 38.

De matrimonio ad morganaticam.

Inter matrimonia, quae sub modo ineuntur, duo celebriora et frequentiora sunt, scilicet matrimonium ad morganaticam, et matrimonium conscientiae, de quibus dicendum est. Matrimonia ad morganaticam ita describit Benedictus XIV de Syn. Dioec. lib. 13, cap. 23: « Ea sunt, quibus vir nobilis post susceptos ex prima uxore itidem nobili liberos, ea defuncta, cum continentiae leges sine uxore observare non possit, coram Parocho et testibus, obtenta prius a proclamationibus opportuna dispensatione, alteram ex humiliori ordine ducit, addita conditione, ut tam mulier, quam filii ex eo matrimonio nascituri, nihil sibi iuris ex eo acquirere possint praeterquam ad ea, quae ad victum sunt necessaria. Huius conditionis vi et mulier a participanda mariti dignitate excluditur, et filii ab omnibus titulis, muneribus, et paternorum avitorumque bonorum successione extranei censentur. » Huiusmodi conditio, sive pactum ad morganaticam, quatenus uxorem spectat, apud Romanos propemodum in usu fuit; apud eos enim

fiebant nuptiae triplici modo, per usum, per emptionem, per confarreationem; eratque in arbitrio viri positum, quonam ex his mallet uxorem ducere. Itaque si nuptiae per confarreationem celebrarentur, tum uxor erat particeps sacrorum, bonorum, nominis, et dignitatis mariti : si per usum et emptionem, non item ; de quo confer Ludwig de differ. Iur. Rom. et Germ. in dignit. uxor. dissert. 2 in not. lit. *E*. At praedicta conditio, quatenus filios arcet a nobilitate, muneribus, et successione in bona paterna et avita, plane adversatur iuri communi; quandoquidem in L. 7 ff. de bonis damnat., haec leguntur : « Cum ratio naturalis, quasi lex quaedam tacita, liberis parentum haereditatem adiiciat, velut ad debitam successionem eos vocando, propter quod et in iure civili suorum haeredum nomen eis inditum est. » Ac ne iudicio quidem parentis, nisi meritis de causis, submoveri ab ea successione possint, aequissime iudicatum est. Si enim bona paterna iure suitatis, et ratione naturali dictante, debentur filiis, ipsis, nisi ingratis, nequeunt auferri. Itaque illud pactum contra iuris communis rationem inductum probatumque est a iure feudali ob duplicem causam, tum ut incontinentiae peccatis aditus intercluderetur, tum ut filiis ex priori matrimonio susceptis aut agnatis per divisionem bonorum cum filiis secundi inaequalis coniugii praeiudicium non afferretur, et ita familiae nobiles in pristino splendore conservarentur; idque reipublicae interesse visum est. Prima huius pacti mentio fit in textu 2 Feud. 29. At per verba illius textus, dum ait : « Nec filii amplius habeant de bonis patris, quam dixerit tempore sponsaliorum v. gr. decem libras,

vel quantum voluerit dare quando desponsavit, » aperte videtur in patris arbitrio positum esse, eam quam maluerit quantitatem bonorum assignare. Verum lex ita accipienda est, ut patri non tribuat ius privandi filios alimentis, quae iure naturali debentur. « Quaedam, ait Quintilianus declamat. 315, etiamsi nulla significatione legis comprehensa sint, natura tamen excipiuntur. » Debemus igitur ex iure naturae feudale ius ita interpretari, ut dicamus collatum patri arbitrium assignandi filiis portionem, quae minor sit legitima a iure positivo praefinita, modo tamen tanta sit, quae tuendae vitae sufficiat; secus enim ius naturae violatur. Praeterea pactum illud irritum est, si matrimonio contracto, et filiis iam natis adiiciatur: parentes enim nobilitatem et iura liberis statim ac nati sint acquisita amplius auferre non possunt. Idem sentire debemus, si filii non iam nati, sed tamen concepti sint, Argum. L. 2 ff. de Decurion. An vero intuitu saltem mulieris possit praedictum pactum utiliter iniri, non satis apud Doctores compertum est. Sunt qui putant post etiam nuptias fieri utiliter posse, quia mulier valet iuri suo quovis tempore renuntiare. At haec opinio plerisque non placet eo saltem in casu, in quo ex statuto, vel consuetudine loci, aliquid uxòri quaeratur statim contracto matrimonio; tum siquidem illud pactum donationem quamdam virum inter et uxorem matrimonio constante vetitam complecteretur.

Vide Neumann de Matrim. princ., et Kutschker das Eherecht der Kathol. Kirche Wien. t. 4, p. 688.

§ 39.

De matrimonio conscientiae.

Matrimonium conscientiae dicimus quod coram Parocho, aut alio Sacerdote legitime deputato, et duobus testibus contrahitur ea lege, ut evulgari et manifestari non debeat. Initur itaque auctoritate Ecclesiastici Superioris, qui ex iusta causa dispenset tum super publicis denuntiationibus, tum super descriptione eiusdem matrimonii in publico et ordinario matrimoniorum libro. Ex quibus satis intelligitur, matrimonium conscientiae verum et legitimum esse, nec temere confundendum cum aliis occultis coniunctionibus, quae non sunt verae nuptiae, sed foedi et damnati concubitus. Nemo tamen inficiari poterit occultis huiusmodi conscientiae matrimoniis spiritum Ecclesiae nequaquam favere. Quantum enim a Sacramenti dignitate et ecclesiasticarum legum praescripto haec matrimonia ut plurimum abhorreant, satis superque coniici potest ex exitiosis illis effectibus, quos recenset Benedictus XIV Constitut. « SATIS VOBIS » 17 Nov. 1741. Quapropter idem Pontifex in cit. Constit., ut tot tantisque malis obviam iret, monet in primis Episcopos, ne sine gravi et legitima causa super publicis matrimonii denuntiationibus dispensent, neve post remissas publicationes matrimonium occulte celebrari permittant ex obvia quavis et vulgari causa, sed gravem, urgentem, et urgentissimam omnino postulat. Tum eos graviter hortatur, ut diligenter inquirant de qualitate, gradu, et conditione perso-

narum, quae matrimonium occulte contrahere petunt, an sint sui vel alieni iuris, an in minoribus Ordinibus constituti pensiones, aut beneficia obtineant, ac potissimum a contrahentibus exposcant clara, et indubia, et a quavis fraude immunia status liberi documenta. Denique iubet, ut secreto matrimonio intersit alterius contrahentis parochus, aut si gravi impellente causa alius sacerdos loco eius deputandus sit, is ab Episcopo eligatur, qui probitate, doctrina, et obeundi muneris peritia commendetur, atque ab eodem parocho, aut sacerdote deputato contrahentes commonendi sunt, ut curent procreandam prolem quamprimum baptizari, eamque ut legitimam agnoscant, bonis moribus informent, ac frui patiantur bonis ad eam ex testamento, vel ab intestato delatis aut deferendis; utque eiusdem prolis nativitatem post baptismum denuntient Episcopo cum nota loci, temporis, et Ministri collati Sacramenti, ac sincera indicatione parentum, a quibus orta est; secus sciant matrimonium occultum in lucem proferendum esse, ne gravis nulloque pacto ferenda iactura legitimis filiis inferatur.

Celebrato matrimonio, parochus, aut deputatus sacerdos scriptum celebrati coram se matrimonii documentum Episcopo exhibeat de eiusdem matrimonii celebratione cum nominibus contrahentium testium, loci, et temporis. Quocirca in singulis Cancellariis Episcopalibus duo peculiares libri caute servandi sunt, quorum in altero matrimonia huiusmodi describantur, in altero nomina filiorum, qui ex ipsis matrimoniis procreantur, quotiescumque in publico parochiali libro parentum nomina reticeantur, eosque libros clausos ac

sigillis obsignatos numquam patietur Episcopus aperiri, nisi vel alia id genus matrimonia, aut baptismata describenda sint, vel id exigat iustitiae administrandae necessitas, vel aliquod documentum exposcant verum interesse habentes, quibus probationum aliunde petendarum non suppetat copia ; reque absoluta denuo claudendi sunt, et sigillis, ut antea, obsignandi. Porro contrahentes ipsi, testes, et Episcopus, ac parochus, seu alius sacerdos, qui matrimonio interfuit, silentii lege obstringuntur, tum quia in secretorum commissione silentium tacite exactum et promissum censetur, tum quia lege ecclesiastica, seu ex cit. Constitut. Benedicti XIV obligatio custodiendi silentii indicta est : dum enim in ipsa Const. excipitur casus, quo matrimonium evulgandum sit, satis superque evincitur reliquis casibus custodiendum esse. Vult autem Pontifex matrimonium eo in casu evulgari, quo soboles procreata baptizata fuerit, vel reticitis, vel falso expressis parentum nominibus, et ipsi parentes intra dies 30 a nativitate numerandos, vel immediate, vel per se ipsos vel per litteras eorum charactere exaratas, vel per personam fide dignam ab eisdem designatam Episcopum certiorem non fecerint, prolem ipsam, quae tali loco et tempore, reticitis, aut falso expressis nominibus parentum, baptizata est, esse legitimam, licet ex occulti matrimonii foedere susceptam. Verum praefati casus facta a Pontifice mentio non obstat, quominus alii casus adesse possint, in quibus matrimonium palam faciendum sit : « neque enim leges, neque Senatusconsulta ita scribi possunt, ut omnes casus, qui quandoque inciderint, comprehendantur. » Igitur si alteruter

narum, quae matrimonium occulte contrahere petunt, an sint sui vel alieni iuris, an in minoribus Ordinibus constituti pensiones, aut beneficia obtineant, ac potissimum a contrahentibus exposcant clara, et indubia, et a quavis fraude immunia status liberi documenta. Denique iubet, ut secreto matrimonio intersit alterius contrahentis parochus, aut si gravi impellente causa alius sacerdos loco eius deputandus sit, is ab Episcopo eligatur, qui probitate, doctrina, et obeundi muneris peritia commendetur, atque ab eodem parocho, aut sacerdote deputato contrahentes commonendi sunt, ut curent procreandam prolem quamprimum baptizari, eamque ut legitimam agnoscant, bonis moribus informent, ac frui patiantur bonis ad eam ex testamento, vel ab intestato delatis aut deferendis; utque eiusdem prolis nativitatem post baptismum denuntient Episcopo cum nota loci, temporis, et Ministri collati Sacramenti, ac sincera indicatione parentum, a quibus orta est; secus sciant matrimonium occultum in lucem proferendum esse, ne gravis nulloque pacto ferenda iactura legitimis filiis inferatur.

Celebrato matrimonio, parochus, aut deputatus sacerdos scriptum celebrati coram se matrimonii documentum Episcopo exhibeat de eiusdem matrimonii celebratione cum nominibus contrahentium testium, loci, et temporis. Quocirca in singulis Cancellariis Episcopalibus duo peculiares libri caute servandi sunt, quorum in altero matrimonia huiusmodi describantur, in altero nomina filiorum, qui ex ipsis matrimoniis procreantur, quotiescumque in publico parochiali libro parentum nomina reticeantur, eosque libros clausos ac

sigillis obsignatos numquam patietur Episcopus aperiri, nisi vel alia id genus matrimonia, aut baptismata describenda sint, vel id exigat iustitiae administrandae necessitas, vel aliquod documentum exposcant verum interesse habentes, quibus probationum aliunde petendarum non suppetat copia ; reque absoluta denuo claudendi sunt, et sigillis, ut antea, obsignandi. Porro contrahentes ipsi, testes, et Episcopus, ac parochus, seu alius sacerdos, qui matrimonio interfuit, silentii lege obstringuntur, tum quia in secretorum commissione silentium tacite exactum et promissum censetur, tum quia lege ecclesiastica, seu ex cit. Constitut. Benedicti XIV obligatio custodiendi silentii indicta est : dum enim in ipsa Const. excipitur casus, quo matrimonium evulgandum sit, satis superque evincitur reliquis casibus custodiendum esse. Vult autem Pontifex matrimonium eo in casu evulgari, quo soboles procreata baptizata fuerit, vel reticitis, vel falso expressis parentum nominibus, et ipsi parentes intra dies 30 a nativitate numerandos, vel immediate, vel per se ipsos vel per litteras eorum charactere exaratas, vel per personam fide dignam ab eisdem designatam Episcopum certiorem non fecerint, prolem ipsam, quae tali loco et tempore, reticitis, aut falso expressis nominibus parentum, baptizata est, esse legitimam, licet ex occulti matrimonii foedere susceptam. Verum praefati casus facta a Pontifice mentio non obstat, quominus alii casus adesse possint, in quibus matrimonium palam faciendum sit : « neque enim leges, neque Senatusconsulta ita scribi possunt, ut omnes casus, qui quandoque inciderint, comprehendantur. » Igitur si alteruter

ex contrahentibus, vivente altero, matrimonium ineat, aut quamprimum initurus sit, matrimonium conscientiae manifestare oportere certum exploratumque est. Itemque si coniuges secum habitent, aut adeo familiariter versentur, ut scandalum in vulgus ortum sit, atque ab Episcopo moniti non studeant ita caute se gerere, ut quaelibet mali consortii suspicio adimatur, videtur ad scandalum avertendum, dum privatae admonitiones non profuerunt, Episcopus posse, imo debere matrimonium ipsum evulgare. Nemo etiam dubitat, quin filii possint matrimonium prodere, quando ex. gr. haereditatis ipsis testamento delatae sub conditione, si legitimi sint, aut alii cuiuscumque iuris aut utilitatis certam iacturam facturi essent. An vero matrimonium prodendum sit, quando aliter non filii, sed extraneae personae iactura et damno afficerentur, controversia est. Huius rei exemplum sit: vir usumfructum bonorum suorum legavit uxori sub conditione, nisi ad secundas nuptias transiverit: Mulier vero clam matrimonium conscientiae inivit, ut legatis bonis sine molestia frui posset. Quaeritur itaque, an attestationem initi matrimonii Episcopus tradere debeat haeredibus, qui aliquid de matrimonii ipsius celebratione suspicantur, ut eo pacto adversus mulierem agere valeant, quae conditionem testatoris non observavit. Hanc quaestionem agunt Caietanus in sum. verbo *poena*, Diana in Editione coordinata tom. VI, tract. 8, resol. 64, aliique.

At vero obligatio secreti custodiendi in gratiam coniugum inducta est. Durat igitur haec obligatio, quoad coniuges ipsi vivant. Itaque iis mortuis matrimonium evulgandum est, ut constet filios ex

legitimis nuptiis procreatos, eisque integra esse iura omnia, quae legitimis filiis conveniunt. Huc praecipue respexit Pontifex dum adeo sollicite iussit, ut duo libri servarentur, in quibus et matrimonia conscientiae, et proles inde suscepta fideliter describerentur.

De hoc argumento admodum docte copioseque agunt Franciscus Mazzei in libro de Matrim. Conscient., quem Romae edidit 1771, et Analecta Iur. Pont. 1854, col. 841, et Collect. 2776.

CAPUT III.

DE IMPEDIMENTIS MATRIMONII

§ 40.

De impedimentis impedientibus.

Duo sunt matrimonii impedimentorum genera, alia quae matrimonium contrahendum impediunt, et simpliciter prohibentia, seu impedientia dicuntur, alia vero, quae dirimunt matrimonium, et dirimentia vocantur. Primi generis impedimenta illicitum dumtaxat, secundi autem generis et illicitum et nullum efficiunt matrimonium. Appellantur dirimentia haec secundi generis impedimenta, non quod matrimonium iam contractum dirimant, sed quia dirimunt matrimonium attentatum, seu efficiunt, ne matrimonium valide contrahatur. Satis ampla est haec tractatio, et cognitu valde necessaria. Primum autem de impedimentis impedientibus, deinde de impedimentis dirimentibus fusiori calamo agemus.

Iam vero impedimenta impedientia olim quidem plura fuerunt, nunc autem quatuor tantum strictiori sensu accepta, ac separatim exponenda obtinent his versiculis comprehensa, videlicet:

Sacratum tempus, vetitum, sponsalia, votum
Impediunt fieri, permittunt facta teneri.

§ 41.

De tempore sacrato.

Sacratum, seu feriatum *tempus* illud est, quo iuxta praesentem Ecclesiae disciplinam non quidem matrimonium, sed eius solemnitas ab Ecclesia prohibetur. « Ab adventu D. N. I. C. usque ad diem Epiphaniae, et a feria quarta Cinerum usque ad Octavam Paschae inclusive antiquas solemnium nuptiarum prohibitiones diligenter ab omnibus observari S. Synodus praecipit, » ita Trident. sess. XXIV, cap. 10 de Reform. Matr. Veteres diebus pluribus, hoc est a Septuagesima usque ad Pascha, a feria secunda Rogationum usque ad Octavam Pentecostes, et duabus vel tribus hebdomadibus ante festum S. Ioannis Baptistae tum a nuptiarum celebratione, tum ab ipso coniugii usu abstinebant, cap. 4 de Feriis, et caus. 33, q. 4, can. 1 et seqq. Nunc itaque ex praefato Tridentini decreto solis diebus in eo statutis, non quidem celebratio matrimonii per verba de praesenti, neque eius etiam consummatio, quidquid contra Knopp op. Vollstaendiges Catholisches Eherecht Ratisb. 1854 p. 376 afferat, contra communem sententiam, sed tantum nuptiarum solemnitas vetita est. Nuptiarum solemnis benedictio, solemnis sponsae in sponsi domum traductio, solemniora convivia ac tripudia, aliaque huiusmodi sûnt, quae matrimonii solemnitatem constituunt, ac vetantur. Benedictio autem nuptiarum in eo sita est, ut parochus postquam sponsos in matrimonium legitime coniunxit, sa-

crum votivum pro sponso et sponsa faciat, aut si ratione occurrentis Dominici, aut alterius festi diei sacrum illud votivum fieri nequeat, Missam celebret de die Dominico seu festo, etiam primae classis, eique orationem sub distincta conclusione ex decr. S. R. C. 20 April. 1822, pro sponso et sponsa, aliasque pro benedictione sponsi et sponsae preces superaddat. Itaque nuptiarum benedictio fieri nequit toto feriato tempore ; non vetatur tamen parochus Missam currentis diei, omissis praedictis orationibus et precibus, celebrare, atque etiam sponsos, si id exposcant, eucharistica dape reficere ; eis dicens: ego vos coniungo etc. At invaluit consuetudo ferme communis, ut parochus feriato tempore nuptiis non assistat, nisi primum ab Episcopo veniam impetraverit. Vide Bened. XIV Inst. 80, n. 15.

§ 42.

De prohibitione Ecclesiae.

Alterum impedimentum est Ecclesiae *vetitum*, quod latiori sensu acceptum plura continet, nempe ne matrimonium contrahatur absque denuntiationibus, de quibus iam verba fecimus, ne fiat cum haeretica ac schismatica, ne tandem contrahatur a filiis familias absque consensu parentum, de quibus ob materiae coniunctionem, ubi de impedimentis dirimentibus erit sermo. Modo de Ecclesiae vetitu, quod proprio ac stricto sensu tum obtinet, cum ob iustam causam vel Romanus Pontifex vel Episcopus interdicit, ne matrimonium contrahatur. Hoc tamen est discrimen inter Pon-

tificis et Episcopi interdictum, quod Pontifex, interdicto suo, non solum prohibere potest, ne inter peculiares personas matrimonium contrahatur, verum etiam decernere, ut contra suam prohibitionem initae nuptiae nullae sint: at Episcopus sicut impedimenta dirimentia statuere nequit, ita neque decreto irritante uti potest, aut si utatur, defectu potestatis nihil efficit. Ex quibus consequitur: 1° Interdictum Pontificium sine decreto irritante illicitas nuptias reddere, non invalidas; at si decreto irritante munitum sit (quod raro admodum fieri solet) tum illicitas, tum invalidas esse nuptias, quae contrahantur. 2° Interdictum Episcopi quavis clausula, etiam decreto irritante munitum, nuptias illicitas quidem, non tamen irritas facere. Quocirca apud Sanchez de Matrim. lib. 3 tit. 21 n. 12. S. C. C. generatim respondit « valere matrimonium contractum coram Parocho, cui interdictum est ab Episcopo, ne interveniat. » Causae variae esse possunt, ex. gr. necessitas vitandi scandalum, rixae, incommoda, suspicio seria alicuius impedimenti latentis, oppositio non vana tertiae personae, ignorantia doctrinae christianae, de qua Bened. XIV const. Etsi minime, 7 Febr. 1742, aliaeque. Episcopum posse poenas imponere delinquentibus propter suam prohibitionem liquet ex S. C. C. decis. in Flor. 10 Febr. 1629, quam videsis penes Giraldi t. 1, sect. 1726.

Quaesitum est, an Parochus ex legitima causa interdicere potest, ne Matrimonium contrahatur? Quum ipsi cura commissa sit, ut Matrimonium debito modo ineatur, profecto fieri potest, ut aliquando Matrimonium iure prohibeat, saltem donec Episcopus de causa iudicet, simulque decernat, quid ultra agendum sit.

§ 43.

De sponsalibus de futuro.

Tertio *Sponsalia de futuro* cum uno inita impediunt, quominus licite cum altero nuptiae iniri possint, nisi vel mutuo consensu, vel per iudicis sententiam soluta fuerint. Nam qui prioribus integris sponsalibus alteri nuberet, datam fidem in re gravi frangeret, quod illicitum et iniustum, matrimonium tamen ratum esset, illudque indissolubile in locis, ubi Conc. Trid. decretum de clandestinitate non est promulgatum, qua de re vide instructionem S. C. de Propaganda Fide an. 1825. Si de sponsalium existentia vel dissolutione dubium exurgat, et oppositio malitiosa non sit dicenda, ad Episcopum recursus fiat, qui ex numero pluribus causis in S. C. C. agitatis eam, quam sequi debet agendi normam facile haurire poterit. Confer Acta ex iis decerpta etc. vol. 1 Romae 1865 p. 336 et fasc. 9, an. 1866 p. 525, ubi refertur causa S. C. C. 8 Iul. 1865, et inter auctores, Kutschter op. cit. t. 2, § 105, Bargen « Instructio practica de Spons. et Mat. Monach. 1860 t. 1, p. 63. Caeterum de Sponsalibus iam diximus satis superque.

§ 44.

De voto simplici.

Quartum denique impedimentum est *votum simplex* castitatis vel nunquam nubendi, aut religionem ingrediendi, aut Sacrum Ordinem suscipiendi;

nam iure naturali et divino votum observandum est. At huiusmodi vota non dirimunt nuptias, non enim corporis traditionem, sed solam promissionem complectuntur : « Post votum simplex adhuc remanet homo dominus sui corporis, et ideo potest ipsum dare alteri, scilicet uxori » ait s. Thomas in 4. dist. 38, quaest. 1, a. 2. Fieri potest, ut aliquis, contractis sponsalibus, votum emittat. Porro si votum ab utroque vel ab altero cum consensu alterius amittatur, profecto iuri sponsalitio renuntiatio habetur. Si autem alter votum emittat absque alterius consensu, sponsalia rescindi possunt. Pariter fieri potest, ut aliquis, consummato matrimonio, religionem profiteatur, aut Sacros Ordines suscipiat, dum alter coniux libere assentitur, et continentiae votum in saeculo emittit. Quamvis enim si alter coniugum velit in monasterium sese recipere, ibique solemniter profiteri, aut si velit sacris Ordinibus initiari, id ei permitti non debeat, nisi alter quoque coniux libere consentiat, atque habitum religiosum assumat, et professionem regularem emittat, uti in primis perspicuum est ex Decretal. Cum sis, et Coniugatus de conversion. coniugat.; attamen si alter coniugum abnuat solemnem professionem nuncupare, dummodo hic provectae aetatis sit, et ab omni incontinentiae suspicione immunis, indulgetur eidem, ut in saeculo manere possit, emisso tamen simplici voto castitatis. Si vero nec ingredi claustrum, nec votum castitatis in saeculo emittere velit, alter professionem nuncupare, et ordines suscipere potest; modo compars adulterium non commiserit, nec in haeresim vel apostasiam lapsa sit, in eaque post monitionem perseveret. Quaeri-

tur itaque, an post mortem eius, qui religionem professus fuit, aut sacros Ordines suscepit, alter valide matrimonium inire queat? Nonnulli Doctores generatim affirmarunt eiusmodi matrimonia irrita esse, quod in eo casu, quo unus coniugum religionem profitetur, votum alterius coniugis in saeculo manentis per quamdam communicationem veluti solemnizetur, atque adeo nuptias dirimat. In casu autem, quo vir ad sacros Ordines conscendit, superstes mulier non vi voti, sed ex can. SERIATIM dist. 32 vetatur alteri nubere, et si quod ab ipsa matrimonium attentetur, eodem Canone omnino irritum pronuntiatur; quin etiam aliquibus visus est in utroque casu Canon SERIATIM sibi locum vindicare; par enim ratio inesse videtur utrique speciei, reverentiae videlicet tum religiosae professioni, tum sacris Ordinibus exhibendae.

Hanc disputationem de utraque facti specie late disserit Sanchez de Matrim. lib. 7, disp. 32 et 40. Vide etiam Benedictum XIV de Syn. Dioeces. lib. 13, cap. 12, n. 11 et seq.

§ 45.

De impedimentis dirimentibus.

Impedimenta dirimentia, si ius antiquum spectetur, 12 recenseri a Canonistis ac theologis solent. His duo alii addunt, veluti per Concilium Tridentinum invecta. Omnia autem haec impedimenta, memoriae iuvandae causa, his versiculis continentur, et quae prioribus adnotantur, sunt de iure veteri, quae vero duobus postremis versibus

indicantur ius novum constituere passim a doctoribus dicuntur:

> Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
> Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
> Si sis affinis, si forte coire nequibis,
> Si Parochi, et duplicis desit praesentia testis,
> Raptaque sit mulier, nec parti reddita tutae;
> Haec facienda vetant connubia, facta retractant.

Haec singula impedimenta non eadem auctoritate constituta sunt: aliqua enim a iure naturae, alia a iure positivo, et eo quidem vel divino, vel humano acceptam originem referunt, quod suis locis indicabimus. At vero impedimenta dirimentia vel antecedentia sunt, quae existunt ante matrimonii celebrationem, vel supervenientia, quae eo contracto oriuntur. Vis dirimendi regulariter non inest nisi impedimento, quod nuptias antecedat, vel comitetur; si quod impedimentum iam matrimonio rite contracto superveniat, notabiles quosdam, licet diversos, effectus habet. Triplex adest casus, in quo matrimonium valide contractum dissolvitur, professio religiosa per vota solemnia nuncupata ante consummationem, dissolutio matrimonii non consummati facta a S. Pontifice; et casus Apostoli. Attamen in aliis casibus valde notabiles effectus habet, ita ut hanc receptam impedimentorum divisionem immerito carpit cum nonnullis Schulte Handbuch des Katholischen Eherechts Giessen 1855 p. 1, § 6 De singulis iuxta propositum ordinem versiculorum dicendum est. Sit igitur:

§ 46.

De errore.

Quadruplex in matrimonio contrahendo error adesse potest, scilicet personae, fortunae, conditionis, et qualitatis. In can. QUOD AUTEM caus. 32, q. 1, id explicatur his verbis: « Error personae est, quando hic putatur esse Virgilius, et ipse est Plato. Error fortunae, quando hic esse putatur dives, qui pauper est, vel e converso. Error conditionis, quando putatur esse liber, qui servus est. Error tandem qualitatis, quando putatur bonus, qui malus est. » Iam vero error personae, quae matrimonii praecipuum ac substantiale obiectum est, matrimonium nullum iure naturae reddit; siquidem ad nuptias efficiendas mutuus contrahentium consensus eo iure postulatur. Etenim qui errant, non consentiunt in eam determinatam personam, cum qua contrahunt, sed in aliam prorsus diversam, quam mente concipiunt, veluti si Maevius cum Caia contrahere putans, per errorem aliam ducat, profecto in hanc posteriorem consensus omnino defuit. Ubi igitur consensus non adest, ne adesse quidem matrimonium potest, etsi errore perseverante corporum coniunctio sequuta fuerit; non enim concubitus, sed consensus nuptias facit. Nihil autem interest, an huiusmodi error invincibilis sit, an vincibilis, an crassus et fatuus, an ab ipso contrahente procedat, an ab alio qui ipsum decipiat; in his enim variis casibus semper exploratum est, eum qui circa personam errat, sive erret ex propria oscitantia, aut culpa,

sive alterius fraude, revera non consentire in eam personam, quae sibi proponitur, et praesens est. Corrigendus itaque in hac re est Permaneder op. Handbuch des gemeingiltigen Kath. Kirchenrechts Landshut 1856 § 386. Atque haec omnia non solum in errore antecedenti, dum scilicet nuptias, contrahens nullo modo eas initurus esset, si rem perspectam habuisset, verum etiam ex sententia probabiliori in errore concomitanti locum habent, dum videlicet aliquis matrimonium contrahit cum persona, quae alia est ab ea, quam ex errore putabat; adhuc tamen animo affectus est, ut cum eadem contraheret, imo etiam libentius, quam cum ea, cui se coniungi per errorem arbitratur. Nam ut matrimonium validum sit, necessarius est consensus actualis et positivus in personam, quae offertur; error autem concomitans non includit actualem et positivum consensum in personam, quae offertur; nec satis est, quod matrimonium libenter contraxisset; semper enim constat eo tempore, quo contraxit, consensum defuisse: siquidem non voluntas quae esset, sed voluntas quae actu est, seu consensus de praesenti nuptias facit. Siquidem voluntas tunc fertur dumtaxat in personam absentem. Huiusmodi impedimentum afficit etiam infideles, quandoquidem etiam inter ipsos matrimonia, quae cum iuris naturae impedimento contrahuntur, neutiquam consistere possunt, cum iuri naturae non minus ac fideles, ipsi subiecti sint. Nulla quippe auctoritas est, quae validum efficere possit, id quod iure naturali invalidum est.

Quod autem spectat errorem fortunae et qualitatis, regula generalis est, per huiusmodi errorem matrimonium non dirimi; per eum siquidem non

tollitur consensus in personam, quae obiectum est matrimonii. Qui enim sic contrahunt, revera in eam certam et determinatam personam consentiunt, tantum in eo falluntur, quod ex. gr. pulchram aut divitem putent, quae deformis aut pauper est: « Utpote si quis emerit agrum vel vineam, quam putabat esse uberrimam, quamvis iste erraret in qualitate rerum, rem minus fertilem emendo, non potest tamen venditionem rescindere, » quemadmodum in saepius citato Canone animadvertitur. Et sane si error qualitatis et fortunae nuptias irritas faceret, omnia propemodum matrimonia, magno prolis et Reipublicae detrimento, aut irrita essent, aut dubia, dum vel nulla vel pauca admodum ea sint, in quibus aliquis error circa qualitatem et fortunam non contingat. Quae quidem est communis Doctorum sententia, etsi error qualitatis aut fortunae ex alterius dolo causam dederit matrimonio, tum quia dolus per se non est impedimentum matrimonii, tum quia consensus in personam vere adfuit, non enim in persona ipsa, sed tantum in qualitatibus personae erratum est. Vide S. C. C. in Valachien. Mat. 20 Dec. 1862. Idem dicendum est, licet error qualitatis eiusmodi sit, ut affirmari possit partem, quae erravit, neutiquam matrimonium inivisse si qualitatem novisset. Contraria itaque, quam tuetur sententiam Walter op. Lehrbuch des kirchenrechts ed. 1861 nequit admitti. Igitur uterque error tum solum nuptias dirimit, quum qualitas, in qua erratur, per modum conditionis apposita est, quia deficiente conditione consensus deficit, ut saepius dictum est, aut quando contrahens ei qualitati ita consensum suum alligavit, ut si haec absit, animum contrahendi non habeat, ex. gr. si

cui volenti primogenitam et haeredem Regni, et non aliam ducere, obtrudatur secundogenita; tunc enim error qualitatis redundat in substantiam personae, ut Scholastici loquuntur.

Quaerunt autem Doctores, quandonam error qualitatis aut fortunae in personae substantiam redundat. Clericatus dec. 19. de Sacr. Matr. n. 27 ait: « Verum ad cognoscendum, quando error redundet in substantiam personae, adeo confusi et discordes sunt doctores in assignanda regula, ut illi qui se profitentur faciliores, in effectu obscuriores evadant, et quod multi asserunt de nullitate matrimonii circa errorem qualitatis, alii affirmant de validitate. » S. Thomas suppl. q. 51, art. 2 ad 5: « Error, ait, nobilitatis, in quantum huiusmodi, non evacuat matrimonium, eadem ratione, qua nec error qualitatis; sed si error nobilitatis vel dignitatis redundat in errorem personae, tunc impedit matrimonium, unde si consensus mulieris feratur in istam personam directe, error nobilitatis illius non impedit matrimonium; si autem directe intendit consensum in filium regis, quicumque sit ille, tunc si alius praesentetur ei, quam filius regis, est error personae et impedietur matrimonium. » Vide de hoc textu s. Alphonsum de Ligorio de Matrim. p. 1015. Gobat tract. 11, n. 113 minus forsan accurate, ac minus late ait: « Error qualitatis redundat in personam, quando qualitas est finis matrimonii, et matrimonium est unicum medium ad finem illum, seu qualitatem assequendam. » Schmalzgrueber ad tit. de spons. et mat. « Si per qualitatem in qua erratur certa et individua persona designatur, animoque concipitur, quae visa

prius ignota esset. » Schulte Handbuch. des Katol. Kirchenrechtz p. 1, n. 54, dicit errorem redundantem in personam esse in tali alterius contrahentis qualitate, quae conceptum eius personalitatis seu individualitatis ita limitat ac determinat, ac pro errante ita eam individuat ut, ea deficiente pars altera fiat alia persona. Ex quibus omnibus colligi posse videtur errorem talem esse debere, ut personae identitas tollatur, adeo ut tandem error reducatur ad errorem in personam, seu ut « redundet in ea tantum qualitate, qua sola futuri coniugis persona determinatur » ut habetur in instructione a Card. Archiep. Viennensi composita pro iudiciis Eccl. imperii Austriaci, et in Imperio ubique recepta. Sanchez melius lib. 7 de Matrim. disp. 18, n. 15, et seqq. binas proponit regulas easque explicat, quae ferme sunt: 1° Si per qualitatem, in qua erratur, certa et individua persona prius contrahenti ignota designetur, error personae est. 2° Si qualitas, in qua erratur individuam personam non determinet, error solius qualitatis est. In eundem sensum, sed forte clarius loquitur P. Illsung tract. 6 dist. 9, n. 86, iuxta quem « error qualitatis redundat in personam, si qualitas sit individualis determinatio ipsius personae, ut si velles contrahere cum primogenita, et tibi sistatur secundogenita. Si autem hanc, quacum contrahis, tantum putas esse primogenitam, et tua intentio non fertur in illam, quatenus est primogenita, nondum fuit error in personam. » Denique nonnulli Doctores putant ex peculiaribus circumstantiis rerum et personarum diiudicandum esse, an qualitas, in qua erratum est, eiusmodi sit, ut in ea error personae includatur; quod quidem

iudicium gravissimum est, periculosae plenum aleae, nec facile praesumendum contrahentes extrinsecis qualitatibus consensum suum alligasse. Matrimonium ex errore nullum, accedente consensu, convalescit. An et quando consensus renovari debeat coram Parocho et testibus, deinceps dicetur. Si errans nolit consensum renovare, et matrimonium solvere intendat, iudicium auctoritatis ecclesiasticae interesse debet.

Modo ut huic impedimento erroris ultimam manum imponamus, operae pretium est, ut examinemus, quid dicendum sit, si in contrahendo matrimonio occurrat simul error facti ac iuris, vel error facti et scientia iuris. Ut a secundo exordiamur, error facti simul et scientia iuris occurreret in hoc casu. Puta Caius et Berta dum matrimonium ineunt, arbitrantur se ligari impedimento aliquo dirimente, v. gr. consanguinitatis, quo tamen in rei veritate neutiquam ligantur. En error facti. Aliunde etiam Caius et Berta sciunt propter hoc impedimentum, quo se falso putant alligari, irritum ac nullum esse matrimonium, quod exterius sic contrahunt. En scientia iuris. Non pauci opinantur cum Sanchez l. 24, Mat. disp. 33, in his circumstantiis, validum esse matrimonium. At ni fallimur, contrariae sententiae, quod nempe sit nullum, adhaerendum est. Etenim contrahentium consensus, cum sit actus voluntatis utentis deliberatione sua ac libertate, omnino pendet a iudicio mentis, ideoque si mens, prout in hoc casu, quem examinamus, non iudicet posse firmare matrimonium quod contrahitur, firmari illud non poterit deliberato, legitimoque consensu. At si Caius et Berta errarent simul in facto et in iure quod nem-

pe falso simul putarent ligari aliquo impedimento, et illud impedimentum, quod vere dirimens est, non esse dirimens, hoc in casu, fatentibus omnibus, valeret matrimonium, cum ex una parte personae ad contrahendum sint habiles, alia vero ex parte necessarius consensus concurrat.

S. C. C. Matrimonium contractum inter Cassandram Lucri et Vincentium Venturini in castro novo Farfensi sub ementito nomine Vincentii Bellonch filii quondam Stephani De Valentia validum dixit in Romana diei 9 Aug. 1817, quia error personae non adest, dum erratur in eius nomine, quae praesens est, et causa iterum proposita die 27 Maii 1820, ubi quaerebatur: « an ex depositionibus testium certo deduci possit, Cassandram ignorasse veram Vincentii qualitatem et originem ex castro novo Farfensi, eamque tum ante Matrimonium, tum in ipsa nuptiali solemnitate primario, et unice respexisse ad effictam qualitatem nepotis divitis Sacerdotis, ita ut ea deficiente conditione, consensus non voluntarie praestitus, ut essentia Matrimonii requirit, sed per errorem extortus fuerit, quo in casu nuptias irritari non dubium est? » eadem S. C. C. negative respondisse constat, ex quo ad dubium: « An sit standum vel recedendum a decisis? » rescripsit « In decisis et amplius. »

§ 47.

De conditione.

Hactenus de errore personae, qualitatis et fortunae dictum est; relinquitur, ut de errore conditionis dicamus. Igitur conditionis nomine status servitutis intelligitur. Origo servitutis coniecturis erui vix potest; quare vias, quae ad hanc vitae conditionem ducebant, sine discrimine proponimus. 1° Captivitas, quam permulti primam servitutis originem esse arbitrantur, Deuter. XX, 14;

XXI, 10; Gen. XIV, 13 2° debita, quibus solvendis debitor non erat par, 2 Sap. IV, 1; Ier. L, 1; Matth. XVIII, 25. 3° furtum, cui resarciendo facultates iuris non sufficiebant, Exod. XXII, 2; Nehem. III, 4. 4° plagium, quo homo liber tempore pacis in servitutem redigebatur, aut vendebatur, cui crimini Moses Exod. XXI, 16 extremum iudicium decrevit, quod Deut. XXIV, 7 ad eum restrinxit, qui liberum hebraeum in servitutem rapuisset, et eo tamquam servo usus fuisset, aut eum vendidisset. 5° Nativitas ex contubernio servili, cuiusmodi servi dicebantur domi nati, filii ancillae, filii domus Gen. XIV, 14, XV, 3, XVII, 23, XXI, 10; Ps. XXXVI, 16, CXVI, 19. 6° Venditio, sive homo liber, rerum angustia pressus, se ipse, sive dominus servum alteri venderet, et hoc erat fere communis ratio servos acquirendi; Num. XXXI, 4, 14, XVIII, 35. Hinc servi vocantur argento empti. Pretium diversis temporibus et pro diversa mancipiorum aetate, laxitate, dexteritate et sexu variabat. Moses Exod. XXI, 37 medium pretium 30 siclos statuit, accuratius pretium, sed etiam medium Ier. XXVII, 1 definivit. Quadruplex est autem servorum genus: alii sunt domestici seu famuli, qui operas suas domino locant pacta mercede; alii adscriptitii, et qui ex his nascuntur originarii, qui glebae seu certis excolendis agris perpetuo addicti sunt, sibique dumtaxat necessaria reservare possunt; alii servi poenae, qui ex iudicis sententia ad poenam, e. g. ad triremes, vel exilium perpetuum damnati sunt; alii demum servi stricte sumpti, et proprie *mancipia* dicti, quorum dominus plene potitur, eosque ceu res vendere, locare potest, aut in iis, quae sibi magis

libuerint, operibus occupare. De servis domesticis et glebae addictis nihil dubitationis est, quin matrimonia, siqua cum eisdem ineantur, ignorata etiam servili eorumdem conditione, valida sint; quantum enim ad personam liberi sunt, et dominis serviunt quantum ad facultates seu bona, et quasdam obligationes, quibus addicti sunt. Neque de servis poenae quidquam Ecclesia statuit. Itaque de solis mancipiis proprie dictis disserendum est. Romanorum iure matrimonia servorum nec honorabile nomen coniugii, nec iura matrimonii, seu eius effectus civiles consequebantur, sed mera contubernia vocabantur. Quas leges olim Ecclesia sequuta est, dum coniugia servorum, inscio vel invito domino, pro nullis habuit, quemadmodum didicimus ex Ep. 92 S. Leonis ad Rusticum Episcopum Narbonensem cap. 4 et 5, tum ex Ep. S. Basilii ad Amphilochium can. 42, in qua docet coniugia inter servos sine consensu dominorum esse fornicationes, tum denique ex can. Concilii Cabilloniensis II relato a Gratiano caus. 29, q. 2; in quo servorum coniugia tum demum probantur, ubi per voluntatem dominorum inita fuerint. At iure novo Sacri Canones aliter constituerunt. Nam in cap. Dignum de Coniug. servor. sancitum est: « Sicut in Christo Iesu neque liber, neque servus est a Sacramentis removendus, ita nec inter servos matrimonia debent ullatenus prohiberi, et si contradicentibus dominis et invitis contracta fuerint, nulla ratione sunt propter hoc dissolvenda. Debita tamen et consueta servitia non minus debent propriis dominis exhibere.» Et Innocentius III cap. Ad nostram, eod. decernit: « Mandamus, quatenus si constiterit, quod miles

ignoranter contraxerit cum ancilla, ita quod postquam intellexit conditionem ipsius, nec facto nec verbo consenserit in eamdem, contrahendi cum alia liberam ipsi concedas auctoritate Apostolica facultatem. » Ex quibus Canonibus colligitur 1° valida esse coniugia, quae inter servilis conditionis personas, licet invitis dominis, mutuo consensu contrahantur. Colligitur 2° matrimonium inter servos tum nullum et irritum esse, quando liber contrahit cum servo, quem per errorem esse liberum putabat. Atque ex hoc errore conditionis, seu ex servitute alterius ignorata oritur impedimentum dirimens conditionis. Quare duo copulative postulantur, ut conditio matrimonium dirimat; nimirum postulatur, ut ex contrahentibus alter liber sit et alter servus, et deinde, ut liber ignoret servitutem alterius, sed eum ingenuum et liberum plane credat. Hinc si liber nuptias cum muliere contrahat, quam scit esse ancillam, vel viceversa, tunc et licitum et validum erit matrimonium. « Si femina ingenua, inquit Zacharias Papa cit. cap. PROPOSUIT, servum acceperit, sciens quod servus esset, habeat eum. »

An vero error conditionis servilis pariat impedimentum dirimens etiam in eo casu, quo error sit crassus et fatuus, ita ut facillime quis illum abiecisset, si attendisset, ut poterat, quaestio maxima est inter doctores. Qui negant, his nituntur momentis; primum est, quia iniuria, quae coniugi ignoranti irrogata fuit, vel prorsus cessat, vel levissima est, quoties ignorantia crassa intercesserit; secundum est, quia sicuti iura flocci faciunt vani hominis timorem L. Metum 6 ff. de eo, quod metus causa, ita et imprudentis fatuam igno-

rantiam; tertium est, quia ignorantia crassa aequiparatur scientiae. Ii autem qui affirmativam amplectuntur sententiam, ita ratiocinantur: ad valorem matrimonii cum servo vel ancilla contracti libera exposcitur electio, ut qui contrahit sponte iuri suo renuntiet et lubenti animo damnum subeat, et onus, cui per huiusmodi matrimonium se exponit; iam vero ubi est alienae servitutis ignorantia, quantumvis fatua, aut crassa, ibi deest plena illa et voluntaria electio; proinde non magis valet contractus matrimonii in hoc casu, quam valeat donatio facta Petro, quem errore admodum fatuo putavi esse Paulum, cui soli donare proposueram.

Dubitatur an valeat matrimonium contractum inter liberam personam et eam, quae sit *statu libera*, cui nempe vel in diem, vel sub conditione libertas debeatur, an, inquam, valeat matrimonium, si persona libera cum ea contrahens hanc eius conditionem, qui statu liber sit, ignoraverit. Nobis, quidquid alii in contrarium opinari possint, ea placet distinctio, quod nempe valeat matrimonium, si intra modicum tempus statu liber libertatem certo sit acquisiturus, cum liber ab initio merito reputetur; non valeat vero, si in diem incertum libertas debeatur, vel sub conditione, quae aut numquam possit existere, aut diu possit manere in suspenso, eo quod liber ab initio reputari nequeat.

Doctores inquirunt, quo iure error conditionis servilis matrimonium dirimat? Scotus, aliique arbitrantur, utroque iure naturali, et positivo dirimi, tum quia ob nimiam contractus inaequalitatem persona libera non censetur sufficienter in servam

consentire, tum quia error hic conditionis servilis, licet sit error qualitatis, non personae, tamen versatur circa ea, quae ad substantiam matrimonii pertinent: conditio enim servilis bono Sacramenti, nimirum individuae societati et cohabitationi coniugum, in primis obest. Servus quippe debet domino suo obtemperare, ibique habitare, ubi dominus ipse constituerit. Ob eamdem causam conditio servilis bono fidei coniugalis adversatur, quia coniuges omnino nequeunt coniugali debito facere satis. Denique maxime repugnat bono prolis, qui hanc nec commode alere possunt, nec recte instituere: non alere quidem, quod servus omnia acquirit domino suo; non recte instituere, quia proles in potestate domini est, si mater serva sit; partus quippe sequitur ventrem: si vero servus pater sit, libera mater, tum proles quidem ingenua erit, sed patris, utpote in servitute constituti, disciplina et doctrina carebit. At S. Thomas, S. Bonaventura, aliique plurimi verius docent, ob errorem conditionis servilis matrimonium dirimi iure tantum ecclesiastico. Namque tales personae ineundo matrimonio habiles naturaliter sunt; itemque ex parte eorumdem contrahentium non deest consensus in personam, quae duo ex iure naturae satis sunt, ut nuptiae valeant. Praeterea, servitus ignorata absolute non repugnat essentiae et naturae matrimonii; quamquam enim, ut inquit S. Thomas, suppl. q. 52 art. 1 ad 3 « servitus contrarietur matrimonio quantum ad actum, ad quem quis per matrimonium alteri obligatur, quem non potest libere exsequi, dum nimirum occupatur servitiis domini sui, et quantum ad bonum pro-

lis, quae peioris conditionis efficitur ex conditione parentis, » usum tamen et perceptionem omnium bonorum matrimonii non tollit omnino; prolis enim eiusque educationis a coniuge libero cura gerenda erit. Illud autem praecipuum accedit, quod si servitus, dum ingenuo contrahenti comperta est, naturali iure non dirimit nuptias, uti omnium sententia est, neque easdem nuptias dirimet, dum ignorata est: servitus quippe sive ignorata, sive cognita bonis et naturae matrimonii aequo iure non repugnat. Ex qua sententia tria prono alveo sequuntur: 1^m^ est quod valeat matrimonium contractum inter infideles cum errore conditionis servilis, nisi forte aliqua speciali lege irritetur, quia infideles Ecclesiae legibus neutiquam obstringuntur. 2^m^ est, quod hoc impedimentum ab Ecclesia relaxari, seu dispensari possit. 3^m^ est, si cognito errore, deceptus iterum consensum praestet, matrimonium, quod antea nullum erat, subsequente, consensu convalescit, absque ulla dispensatione. An et quando consensus praestari debeat in forma tridentina inferius patebit.

Verum, hisce doctorum sententiis in medio relictis, de matrimoniis inter servum et liberam, aut vicissim initis secundum Canones diiudicandum est.

§ 48.

De Voto.

Alexander III cap. Meminimus Qui Cler. vel vov., et Bonifacius VIII cap. unico de voto, et vot. redempt. in 6, nos edocent, discrimen esse facien-

dum inter solemne et simplex votum castitatis, dum constituunt votum simplex castitatis nuptias non rescindere, sed tantum impedire ; solemne autem et impedire, et nullum reddere matrimonium, quod contrahatur. Votum simplex est nuda promissio facta Deo sive publice, sive secreto ; solemne vero est promissio, quae et Ecclesiae fit, et eius auctoritate probatur et accipitur. Quare illud est votum solemne, quod vel in Sacri Ordinis susceptione, vel in solemni religiosa professione nuncupatur. « Praesentis duximus declarandum oraculo sanctionis, ait Bonifacius VIII cit. cap., illud solum votum debere dici solemne, quantum ad post contractum matrimonium dirimendum, quod solemnizatum fuerit per susceptionem Sacri Ordinis, aut per professionem expressam, vel tacitam factam alicui de Religionibus per Sedem Apostolicam approbatis. »

Haeretici posteriorum temporum docuerunt solemne votum castitatis nuptias contrahendas non impedire, neque contractas dirimere, contra quos Syn. Trid. sess. XXIV, can. 9, de Sacram. Matr. definivit: « Si quis dixerit Clericos in Sacris Ordinibus constitutos, vel Regulares castitatem solemniter professos posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege ecclesiastica, vel voto, anathema sit. » Verum haec duo vota sacri Ordinis, et religiosae professionis non aequa vi dirimunt; nam votum solemne, seu lex caelibatus, Ordini Sacro adnexum, dirimit quidem matrimonium, quod post Ordinis susceptionem ineatur, sed non illud etiam quod ante Ordinis susceptionem contractum est, licet ratum dumtaxat sit, non consummatum.

« Licet votum solemnizatum, ait Ioannes XXII. Extravag. ANTIQUAE de Voto, per Sacri Ordinis susceptionem quantum ad impediendum matrimonium contrahendum, atque ad dirimendum si post contractum fuerit, secundum statuta Canonum sit efficax reputandum; ad solvendum tamen prius contractum, etiamsi per carnis copulam non fuerit consummatum, cum nec iure divino, nec per sacros Canones reperiatur hoc statutum, invalidum est censendum.» Contra vero solemne religiosae professionis votum dirimit matrimonium etiam contractum, modo ratum dumtaxat sit, non consummatum, quemadmodum eadem Syn. Trid. definivit sess. XXIV, can. 6 de Matrim.: « Si quis dixerit matrimonium ratum, non consummatum per solemnem religiosam professionem alterius coniugum non dirimi, anathema sit. »

Inquiritur hoc loco a Doctoribus de ratione differentiae, et efficaciae voti simplicis et solemnis, utrum ex iure naturali et divino ortum habeat, an ex iure dumtaxat ecclesiastico? Sunt autem rationes plures, cur putemus id totum ex iure ecclesiastico proficisci: 1° quia utrumque votum essentialiter non differt; quare Coelestinus III cap. 3 QUI CLERICI haec habet: « simplex votum apud Deum non minus obligat quam solemne.» 2° Quia Bonifacius VIII cap. unic. de Voto in 6, et, ut alios praeteream, Gregorius XIII Const. « ASCENDENTE DOMINO », 25 Maii 1584 expresse testantur, « quod voti solemnitas ex sola constitutione Ecclesiae est inventa. » 3° quia solemne castitatis votum ex iure naturali et divino tum primis Ecclesiae saeculis, tum posteriori aetate debuit eadem virtute et efficacia praeditum esse; at viri

admodum docti existimant solemne castitatis votum olim nuptias non solvisse, sed primum sub Gregorio M. eam disciplinam propositam, et demum in Concilio Lateranensi II legem generalem latam esse, ut nulla et irrita forent matrimonia, quae contra votum castitatis in Religione approbata solemniter celebrarentur. Reapse cum S. Bernardus, qui saec. XII floruit, consultus circa matrimonium quod monachus quidam, dimisso habitu religioso contraxerat, responderit ep. 36: « Non videri sibi tutum uxorem illam quam duxerat monachus, non consentientem dimittere, nisi prius episcopalis auctoritatis accesserit vel consilium, vel imperium, » illorum opinio, vel falsa, vel saltem dubia videtur convinci qui cum Laurentio Berti de Theol. discipl. l. 37, c. 6, conantur ostendere sanctimonialium monachorumque coniugia ex Ecclesiae lege irrita et nulla fuisse habita, ob votum castitatis, quo alligabantur. 4° Demum quia Apostolica Sedes, quae summo consilio agit, non semel in votis solemnibus, praesertim post ultimas nostrarum urbium, nostrorumque populorum perturbationes, dispensavit. Decretalem autem Cum ad monasterium de stat. Monach., quae est Innocentii III scribentis: « Abdicatio proprietatis, sicut et custodia castitatis, adeo est adnexa regulae monasticae, ut contra eam nec Summus Pontifex possit licentiam indulgere, » auctores huius sententiae interpretantur, ut id Pontifex nequeat, quoad Monachus in statu monachali permanserit, non autem si ab eodem solutus fuerit.

Nemo inficias ire poterit, quominus Ecclesia votis simplicibus vim nuptias contrahendas impediendi tribuere valeat, quum facto constet id a Gre-

gorio XIII Const. Ascendente, 14 Iunii 1584, simplicibus votis, quae in societate Iesu emittebantur, concessisse. Num id locum adhuc habeat post societatis suppressionem, et subsequutam restitutionem, affirmare non audeo. Nullum pariter dubium, quin Ecclesia, vel R. Pontifex extra professionem Religionis, et extra SS. Ordines votum aliquod solemne instituere possit, quod eosdem effectus producat.

§ 49.

De Cognatione.

Triplex est cognatio, naturalis, spiritualis et legalis. Naturalis, quae consanguinitas nuncupatur, est vinculum quoddam personarum, quarum una ab alia, vel omnes ab eadem persona, tamquam progenitore, seu communi stipite, ut aiunt, per carnalem propagationem derivantur. Personae itaque possunt ab uno progenitore descendere duplici modò, vel per generationem immediatam, quatenus una ab altera genita est, uti pater et filius; vel per generationem mediatam, quatenus una alteram non genuit, sed tamen unaquaeque ab eodem proximo stipite per generationes carnales promanat, uti frater et soror, aut duo consobrini, quorum alter alterum non genuit, sed descendunt tamen a communi stipite, scilicet ab eodem patre vel avo. Hinc duplex est linea consanguinitatis, altera recta, altera transversalis, seu collateralis. Recta est earum personarum series, quarum una ab altera gignitur, quae si fiat descendendo e. g. a patre ad filium, nepotem, etc.,

linea recta descendentium, si vero ascendendo a filio ad patrem, avum, proavum, etc., *linea recta ascendentium* appellatur. Linea transversalis, seu collateralis est earum series, quarum una ab altera non gignitur, omnes tamen ab eodem principio, seu stipite promanarunt. Quia vero collaterales ab eodem communi stipite possunt aequaliter vel inaequaliter distare, hinc in linea collaterali aequali eae sunt personae, quae aequaliter distant a communi stipite; quae autem inaequaliter distant, in linea inaequali esse dicuntur. Quare stipes est illa persona, a qua ii omnes descendunt, quorum cognatio quaeritur, et in qua veluti in communi ac proxima radice conveniunt. Gradus, qui ita a similitudine scalarum, locorumque proclivium dicitur, transitus est de proximo cognato ad proximum cognatum, sive est distantia unius cognati ab altero. Linea est series seu ordo personarum, inter quas communio sanguinis intercedit. Tota vero consanguineorum collectio arbor consanguinitatis appellatur. Nihil vero in materia matrimoniali interest, an consanguinitas ex legitimo aut illegitimo concubitu orta sit, an per lineam masculinam aut femininam communicetur. Qui ex iisdem parentibus nascuntur peculiari nomine fratres germani, qui ex eodem patre et diversa matre simpliciter consanguinei, qui tantum ex eadem matre et diverso patre uterini dicuntur.

Tres institutae sunt regulae ad dignoscendum quot gradibus consanguinei distent inter se. Prima pro linea recta ascendentium, aut descendentium haec est: « tot sunt gradus, quot sunt personae, dempto uno stipite, » seu, quod in idem recidit, « tot sunt gradus, quot generationes. » Secunda

pro linea collaterali aequali haec est: « quot gradibus a proximo communi stipite personae distant, tot gradibus distant inter se, » seu « tot sunt gradus, quot generationes in una serie, dempto stipite, » « nempe ab una ex his personis, de quarum cognitione quaeritur, ad proximum communem stipitem ascenditur, sed non descenditur, et tot sunt gradus, quot personae, dempto stipite. Tertia demum pro linea collaterali inaequali est: « quot gradibus persona remotior a proximo communi stipite distat, tot gradibus distant inter se, » seu « tot sunt gradus, quot personae in longiori serie, dempto stipite, » vel tot sunt gradus, quot generationes in longiori serie. Hinc « vir qui a stipite quarto gradu, mulier quae ex alio latere distat quinto, secundum regulam approbatam, licite possunt matrimonio copulari, » uti confirmat Gregorius IX in cap. VIR QUI de Consang. et Affin. Ius civile romanum et hodiernum nationum tum in linea recta, tum in collaterali, tantum respicit numerum personarum, de quarum consanguinitate inquiritur, et quot personae, seu generationes, tot gradus enumerat, una ipsarum dempta; quamobrem ius civile convenit cum canonico in linea recta, non autem in obliqua, in qua nullus est primus gradus, et fratrem inter et sororem, quae scilicet cum communi stipite tres sunt personae, duo gradus numerantur. De huius discriminis ratione in computandis gradibus, vide Alex. II Epist. 38 apud Gratian. Caus. 35, q. 5, Can. 2. Differentia ex ipso arboris schemate hic adnexo patebit cuique. Modus computandi gradus simplices facilis est. Ast non ita dici debet, si sermo sit de personis, qui duplici, triplici aut etiam quadruplici capite inter

SCHEMA GENEALOGICUM



Cum saepe in auctoribus occurrat mentio de gradibus consanguinitatis, vel affinitatis secundum ius civile vel canonicum; consultum duximus utrumque uno schemate comprehendere: numerus igitur graduum pro utroque distincte notatur: numerus superior Romanus assignat grad secundum ius Canonicum, i rior vero Arabicus, secundum Civile.

Porro in loco, seu spatio vac quod in medio est, fingat se p tum, qui de sua cum aliis cons guinitate inquirit.

MODUS

computandi gradus Consanguinitatis

iuxta stylum Curiae Romanae.



se coniunguntur eo quod ab uno, aut multiplici stipite multipliciter ac diversis viis, descendunt.

Matrimonia inter consanguineos vetita sunt ob triplicem potissimum causam : I. Ob reverentiam, quam consanguinei sibi mutuo debent ex origine ab eodem stipite et sanguinis communione. II. Ob caritatem, quae matrimoniorum multiplicatione cum extraneis latius diffunditur et corroboratur. III. Ob concupiscentiae compressionem, cui fraenum laxari videtur, si matrimonium inter eas personas contrahi posset, quae aut passim sub eisdem tectis commorantur, aut saltem habent maiorem libertatem ac licentiam familiarissime utendi. Consanguinitas autem matrimonium dirimit inter quosdam gradus partim lege naturae, partim lege positiva. Iure positivo ecclesiastico consanguinitas in quolibet gradu lineae rectae ascendentium, vel descendentium nuptias dirimit in infinitum. Ita Nicolaus I ad Consulta Bulgarorum cap. 39 « inter personas, inquit, quae parentum liberorumve locum inter se obtinent, nuptiae contrahi non possunt, veluti inter patrem et filiam: vel avum et neptem, et usque in infinitum. » At in linea collaterali irritae nuptiae sunt ad quartum usque gradum inclusive. Ita Concilium Lateranense in cap. 8 de Consang. et Affinit., ubi antiquis Canonibus derogatum est, ex quibus matrimonia usque ad septimum gradum dirimebantur. Iure autem naturae matrimonium vetitum est filium inter et matrem, patrem inter et filiam. Solum in disputationem adducitur, an matrimonium inter hasce personas eo etiam casu vetitum sit, quo, deficientibus omnibus aliis hominibus, superesset solus pater cum filia, aut sola mater cum

filio qui humanum genus ab interitu vindicare possent. Quod vero spectat ad caeteros gradus proximiores lineae rectae quaestio est, de qua vide Sylvium qui negativam, et Scotum qui affirmativam tuetur sententiam. Sotus vero duobus duntaxat prioribus gradibus iure naturae prohiberi ait. An etiam in remotioribus gradibus, ex. gr. ultra quartum vel quintum gradum, nuptiae inter ascendentes et descendentes naturali iure irritae sint, acriter disputant quidam Doctores, praesertim Sanchez et Gonzalez; lite sane inutili, dum hominum vita brevior est. Nuptias in nullo gradu ascendentium, vel descendentium de iure gentium consistere haud posse testatur L. ult. ff. de rit. Nupt. his verbis: « De iure gentium incestum committit, qui in gradu ascendentium vel descendentium uxorem duxerit; » et in L. NUPTIAE ff. eod. sic legimus : « Nuptias consistere non posse inter eas personas, quae in numero parentum liberorumve sunt, sive proximi, sive ulterioris gradus usque in infinitum. » Connubia quoque in primo gradu lineae transversalis, hoc est fratrum et sororum, sive germani sint, sive uterini, lege naturae nulla et irrita esse plerique Doctores existimant, praesertim quod, missis aliis argumentis, pudori et reverentiae naturali matrimonia huiusmodi adeo repugnant, ut nullae gentes, nisi incultae et barbarae, eadem permiserint. Verum validiora, ni fallimur, ea momenta sunt, quae contrariae sententiae assistunt, et matrimonia fratres inter et sorores contracta non esse iure naturae irrita et nulla demonstrare videntur. Sane ratio ipsa et factum stant pro hac sententia. Ratio quidem, eo quod pudor ille et reverentia naturalis, quae inter fratres et sorores in-

tercedit, nullo pacto impedit, quominus frater per matrimonium evadat caput sororis, quin imo ipsa praerogativa, quam masculi, nobilioris sexus ratione, a natura supra sorores habere videntur, in ipso matrimonio cum iisdem sororibus contracto ad amussim praeservatur. Cum praeterea fratres inter ac sorores non verificetur ratio principii et principiati, ut scholae loquuntur, nec verificetur ratio superioris proprie dicta ad inferiorem, profecto nec ius familiae, nec naturae ordo per ipsorum matrimonia ullo modo subvertitur. Facto vero constat per fratrum et sororum coniugia propagatum primitus fuisse genus humanum, nec facile quis sibi persuadere potest Deum sic ab initio mundum constituisse, ut ad humani generis propagationem et conservationem iure naturae violari fuerit necesse. Facto praeterea, de dispensatione in iis matrimoniis a Martino V aliisque PP. concessa, de qua Caietanus, Sylvester, aliique diserte testantur, non innitimur, eo quod de eo non constat; quin imo appareat dispensationem super huiusmodi gradu numquam tributam fuisse quod Benedictus XIV Const. AETAS ANNI 11 Oct. 1757 et Pius VII penes Zamboni v. dispensatio aperte fassi sunt, adeoque quod Martino V tribuitur, ab omni specie veri alienum est, ut ait Nat. Alex., et inter fabulas numerandum ab haereticis inventas, ut observat Rigantius. Rarissime porro, et nonnisi gravissima de causa, S. Sedes in secundo gradu mixto cum primo dispensat in Italia, ex litt. Gregorii XVI 22 Nov. 1836. Illud quoque certum est, quod in secundis et reliquis gradibus lineae transversalis sola lege Ecclesiae nuptiae dirimantur.

Quae cum ita sint, manifesto patet infideles,

valide matrimonium contrahere, licet secundo lineae obliquae gradu coniungantur, illudque validum remanere, etiamsi ad fidem convertantur. Vide cap. Gaudemus 8, de divortiis. An idem dici debeat de matrimoniis ab infidelibus initis, sive in gradu secundo ac remotiori lineae rectae, sive in primo gradu lineae obliquae, quaestio est, cuius solutio theoretica pendet a quaestione iam agitata; an haec matrimonia iure naturae, an potius iure positivo divino, vel canonico prohibeantur. Verum quidquid sit de quaestione iuris, illud apud omnes admittitur in praxi haud habenda esse huiusmodi connubia tamquam nulla ac irrita, nisi postquam S. Apostolica iudicium emisit. Hinc si infideles convertantur separandi sunt ob incestus periculum, et S. Sedes pro solutione dubii de validitate adiri debet. Pariter recursus fiat ad S. Sedem, si agatur de matrimonio ab infidelibus inito intra gradus, pro quibus potestas civilis invaliditatem decrevit, licet sermo sit de gradibus, intra quos invaliditas iure naturae non existit; siquidem doctrina, quae potestatem tribuit principi civili impedimenta dirimentia constituendi pro matrimoniis infidelium non solum libera, sed et communior est. Porro quae de infidelibus dicta hucusque sunt, » respiciunt coniugia inita ab ipsis inter se. Nam matrimonium infidelis cum fideli irritum est non solum ob cultus disparitatem, verum etiam ob consanguinitatem intra gradus ab Ecclesia prohibitos, quum in his locus non sit communicationi privilegii exemptionis, quia non agitur de forma contractus, eiusque individuitate, de qua sermo est solum, ubi de clandestinitate, quemadmodum suo loco videbimus.

§ 50.

De cognatione civili, seu legali.

Cognatio civilis, seu legalis est propinquitas personarum ex adoptione proveniens. Describi autem adoptio potest « extraneae personae in filium vel nepotem vel deinceps legitima assumptio.» Adoptionis in genere sumptae, duae sunt species, nempe arrogatio et adoptio in specie. Arrogatio est actus legitimus, per quem paterfamilias, ille scilicet, qui sui iuris est, per rescriptum principis, causa cognita, adoptatur. Adoptio in specie est actus legitimus, per quem filius, vel filiusfamilias a parente in adoptionem alteri datur auctoritate magistratus. Adoptio in specie olim sine ullo discrimine semper transferebat adoptatum in patris adoptivi potestàtem, sed Imperator Iustinianus id immutavit, suaque quippe constitutione filium a Patre in adoptionem extraneae personae datum, quae nempe non sit ex ascendentibus adoptati, in patris adoptivi potestatem neutiquam transire decrevit. Unde fit, ut discrimen inter utramque adoptionem ex triplici capite oriatur; 1° nempe ex ratione auctoritatis; 2° ex ratione qualitatis in adoptato, 3° ex ratione effectus.

Resultat autem cognatio haec civilis, seu legalis, 1° inter adoptantem et adoptatum, quae est linea recta in cognatione legali, et dicitur paternitas, 2° inter adoptatum et filios adoptantis, quae est linea quasi transversalis, seu obliqua, in cognatione legali, et vocatur fraternitas; 3° per mo-

dum cuiusdam affinitatis inter adoptantem et uxorem adoptati, et vicissim inter adoptatum et adoptantis uxorem, et affinitas audit.

Quamlibet huiusce civilis seu legalis cognationis speciem dirimere matrimonium iure ecclesiastico, sententia est ab omnibus recepta. Cum enim iure canonico in rubrica de Cognat. legali generatim approbetur cognatio legalis, prout statuta fuerat per ius civile, hoc autem iure civili quaelibet ex dictis cognationibus legalibus sit impedimentum dirimens matrimonii contrahendi, sequitur quod etiam iure ecclesiastico ipsarum quaelibet impedimentum matrimonii dirimens constituat. Ad rem Benedictus XIV de Syn. Dioec. l. IX c. 10 ait: « Cognationem legalem, et quae ex ea ad nuptias profluunt obstacula, eo prorsus modo, quo a iure civili statuta fuerunt, universim recepit approbavitque Nicolaus I in responso ad consulta bulgarorum. »

Nec caeteroquin est in eodem iure canonico particularis approbatio ad singulas huiusce legalis cognationis species, ut a sacrorum canonum interpretibus fuit demonstratum. Aliquod tamen ad effectum dirimendi matrimonii discrimen occurrit has inter legalis cognationis species a iure canonico probatas; quod nempe prima species impediat, et dirimat perpetuo matrimonium; ideoque impedimentum inter adoptantem tamquam patrem, et adoptatum tamquam filium, perseveret etiam soluta adoptione, puta per emancipationem adoptati, iuxta textum in L. Quin etiam 55 ff. de ritu nuptiarum. Idem dici debet de tertia specie cognationis inter adoptantem et uxorem adoptati, et vicissim inter adoptatum et uxorem adoptantis,

quia « adoptivus filius, si emancipetur, eam, quae patris adoptivi uxor est, ducere non potest, quia novercae locum habet. » L. Adoptivus ff. de rit. nupt. At secunda species cognationis legalis in linea obliqua inter filios carnales adoptantis, et adoptatum, sive filios adoptivos eiusdem, tamquam inter fratres et sorores, non impedit, nec dirimit matrimonium in perpetuum, sed quamdiu durat adoptio, seu quamdiu iidem filii seu carnales, seu adoptivi sub adoptantis potestate permanent; can. un. de Cognat. leg., L. 17 ff. de ritu nupt. Si ergo solvatur patria potestas, vel per mortem patris, vel per emancipationem filii adoptivi, sive filii carnalis, cessat impedimentum. Disertus hac in re est textus in § inter eos Inst. de Nuptiis « si quae per adoptionem soror tibi esse coeperit, et deinde vel ipsa, vel tu emancipatus fueris, nihil est impedimento nuptiis inter te et illam celebrandis. » Quae cum ita sint, iam patet hoc impedimento infideles non ligari, si lege civili nil statutum sit, fidelem autem respectu infidelis irretiri. Si infidelis causam posuerit, tempore infidelitatis, et deinde religionem christianam amplexatus fuerit, profecto matrimonium contrahere nequiret validum, absque dispensatione super impedimento cognationis legalis: nam licet impedimentum hoc non officiat validitati matrimonii in infidelitate contracti, obstat tamen eius valori, si post baptismum ineatur matrimonium.

Quatuor autem circa haec, quae diximus, excitari possunt dubia. Primum illud est, ad quem usque gradum cognatio legalis matrimonium dirimat in linea recta? Quidam impedimentum dirimens in infinitum protrahi in eadem linea recta

asseverant. Huic sententiae ea possunt obstare, quae de cognatione carnali diximus, an nempe eius impedimentum dirimens in linea recta, inspecto iure naturae et canonico, in infinitum protrahatur. Sane non debet magis extendi cognatio legalis, quam extendatur cognatio naturalis, seu carnalis, quae vinculum fortius et naturale involvit. Placet aliis quartum gradum non excedere ob eam nempe rationem, quod cognatio legalis, seu civilis cognationem carnalem, seu naturalem imitetur: « haec autem, inquiunt, de iure canonico hodierno, iuxta textum in cap. non debet de consang. et aff., de quo alias a nobis actum est, ad quartum usque gradum inclusivum protenditur, et matrimonium dirimit, nulla facta distinctione inter lineam rectam et obliquam. Verum haec ratio nimis probaret; probaret siquidem cognationem legalem in linea etiam transversa matrimonium usque ad quartum gradum dirimere, quod est omnino falsum. Quapropter verosimilior videtur sententia, quam amplectuntur Sanchez l. 7 de mat. disp. 63, n. 34, Salmanticenses, aliique plures, nempe cognationem hanc ultra primum gradum non extendi lineae rectae: ius enim civile, quod in hac materia a iure canonico confirmatum est, primum dumtaxat memorat gradum, atque includit.

At caute notandum est cum praedictis auctoribus cognationem hanc, eiusque impedimentum dirimens in linea recta, quandoque ad ulteriores gradus extendi, ad eos scilicet omnes, qui ipso adoptionis tempore sub potestate adoptati reperiantur constituti. Adoptata enim aliqua persona, censentur etiam adoptati eius filii, et descenden-

tes, in quovis gradu, qui tempore adoptionis erant in potestate eiusdem personae adoptatae, ut expresse decisum est in L. Si Paterfamilias 15 ff. de adopt., adeoque inter ipsos et adoptantem stare non potest matrimonium. Secus est de filiis, qui tempore adoptionis non sunt sub potestate adoptati, quo circa recte infert Sanchez l. 7 de mat. disp. 63 n. 35, et 36 posse consistere matrimonium inter adoptantem et filium filiae adoptivae, quia mulier neminem habet in sua potestate, § feminae Inst. de adopt. Recte etiam infertur posse consistere matrimonium inter adoptantem et quamcumque filiam illegitimam adoptati, quia illegitimus, quamdiu illegitimus manet, patriae potestati neutiquam subditur § finali inst. de Nuptiis.

Secundum quod excitari potest dubium illud est, an in secunda specie cognationis legalis, quae est inter adoptatum et filios adoptantis, nomine filiorum comprehendantur spurii et illegitimi, verbo an filia illegitima adoptantis nubere possit ei, quem Pater eiusdem illegitimae adoptavit, seu an filius illegitimus nubere possit eam, quam pater suus per adoptionem sibi filiam quaesivit? Quidam sane has inter personas matrimonium consistere posse sunt inficiati. At praeferenda omnino videtur eorum sententia, qui matrimonio copulari posse contendunt. Re quidem vera, cum cognatio civilis, seu legalis, quae oritur inter filios legitimos adoptantis, et eos, quos ipse adoptaverit, evanescat, ut supra observavimus, soluta patria potestate, sive ex parte filii adoptivi, sive ex parte eius, qui filius naturalis est adoptantis, in necessariam veluti consequentiam

videtur descendere, quod eadem cognatio civilis, seu legalis neutiquam contrahatur, si naturalis filius, utpote illegitimus, vinculo patriae potestatis neutiquam ligatur, prout revera non ligatur. Hoc enim casu verificatur, quod ambo non sint sub potestate adoptantis, prout hoc ipsum in priori casu verificatur.

Tertium quod moveri dubium potest in eo vertitur, an inter filios adoptivos, qui nempe ab eadem persona fuerint adoptati, consistere possit matrimonium, vel potius obstet civilis, vel legalis cognatio, puta si Caius adoptavit Titium et Bertam, poterit ne Titius Bertam ducere? Rationes ex utraque parte adducit Sanchez de mat. l. 7, disp. 63, n. 28, ubi tamen ipse eam amplectitur sententiam, quae adstruit nullam inter eos oriri cognationem legalem, atque idcirco posse invicem matrimonio copulari, quae sane sententia, si forte non sit probabilior, prae contraria tamen, quae id negat, est sane communior atque receptior.

Quartum denique, quod promoveri dubium potest, illud est, an dirimat matrimonium, tum ea cognatio legalis, quae transfert in patriam potestatem adoptantis, quaeque vocari solet perfecta, tum etiam ea, quae passim imperfecta nuncupatur, quaeque ex Iustiniani constitutione in patriam potestatem adoptantis non transfert, cum nempe filius a patre in adoptionem datur extraneae personae, quae scilicet non sit ex ascendentibus ipsius adoptati? Bened. XIV, citatis auctoribus pro utraque sententia, animadvertit quaestionem in S. C. C. 25 Sept. an. 1734 propositam et agitatam fuisse, nihilque ex decisione, quae prodiit, evinci posse. Sanchez, Kugler, Schmalzgrueber, Collet, aliique

Thomistae tenent cognationem legalem, quae matrimonium dirimat, neutiquam oriri ex adoptione imperfecta, praesertim quod impedimentum hoc eo fine inductum est a legibus romanorum et confirmatum a sacris canonibus, ut vitaretur periculum incontinentiae, ex nimia familiaritate inter huiusmodi cognatos imminens. Sane periculum huiusmodi tunc dumtaxat imminere videtur, quando adoptans transit in potestatem et familiam adoptantis, quod non fit per adoptionem imperfectam. Nam simpliciter adoptati non traduntur in domum adoptantis, nec in potestatem ac familiam eius transeunt. E contra Scotistae, et alii plures, quos citat Ileislinger p. 2, cas. IX, tum ex perfecta romanorum adoptione, tum ex imperfecta, impedimentum canonicum cognationis legalis oriri acriter propugnant, sive quod Ecclesia adoptionem in genere accepit, quin de formis, ac conditionibus eius, diversis locis ac temporibus vigentibus, sollicita esset; sive quod periculum incontinentiae in adoptione imperfecta adhuc existit et perseverat. Clericatus decis. 24 de Sacr. Matr. n. 28 hanc sententiam dicit in praxi amplectendam tamquam magis probabilem, ac magis tutam. De Iustif. l. 2 c. 6, n. 56 illam veriorem putat. Cardin. Petra Comment. ad Const. 2 Anast. IV, sect. 2, n. 19, tom. 2, censet, si agatur de sustinendo matrimonio contracto, adoptionem non sufficere ad illud dirimendum, secus vero ad impediendum nondum contractum. In hoc sententiarum conflictu, si nobis fas est libere expromere quid ipsi sentiamus, non dubitamus asserere, ex imperfecta quoque adoptione oriri impedimentum, siquidem opinio haec tum validissimis roboratur

argumentis, tum Sanctae Sedis iudicio, et auctoritate inniti videtur. Argumenta porro desumuntur ex eo, quod Ecclesia impedimentum adoptionis a civili lege statutum admisit, quaecumque caeterum eius forma, ac conditio esset, quin ullum respectum haberet ad loca, ubi ius romanum vigeret. Accedit incertum esse, an imperfecta romanorum adoptio impedimentum importaret, e contra nullum est dubium, quin imperfecta adoptio ex iure civili impedimentum civile constituat. Auctoritate: nam, anno 1826 Vicarius Generalis Petrocoriensis hoc dubium S. Poenitentiariae Tribunali proposuit. « Cum in regno Galliae adoptionis ius modo legaliter sit receptum, quaeritur an canonicum impedimentum adoptionis dirimens locum etiam habere debet? » Responsum fuit: « Affirmative, si res sit de adoptione legitime inita. » Itaque cum nemo prudens nesciat, in Galliis adoptionem tantum imperfectam iure receptam esse, (eadem in Italia solum viget) iam manifesto liquet, ex ea impedimentum canonicum oriri, dummodo tamen ea legitime inita sit, seu requisita iuris romani substantialia, quae Ecclesia sua fecit, complectatur. Vide Carrière de Matr. p. 704, Opus Theol. ad usum Sem. Mechl. 1861, n. 78, et Ioan. Frid. Schulte in man. Iur. Mat. Cath. § 25 edit. ital. Med. an. 1855. Cum porro dubitari possit, an, in quibusdam regionibus, reapse in adoptione una cum requisitis lege civili statutis simul adsint requisita substantialia iuris romani, seu an requisita codicum civilium differant ab iis, quae ius romanum requirit, profecto concludi potest cum Cl. Cercià in adn. ad Theol. mor. P. Gury tract. de Matr. c. 6, § 2, n. 3 « Practice consultius esse dispen-

sationem opportunam petere, antequam Matrimonii celebratio perficiatur. »

Cave ne confundas alumnatum, et unionem prolis cum adoptione. Alumnatus habetur, cum quis puerum assumit unice eo fine ut alat, sustentet, ac instituat. Unio prolis est, ubi coniuges conveniunt prolem ex prioribus nuptiis susceptam eodem prorsus succedendi iure fruituram, quo fruetur proles suscipienda e nuptiis, quae actu contrahuntur. Nulla huic duplici facto impedimenti vis est.

§ 51.

De cognatione spirituali.

Cognatio spiritualis coniunctio quaedam est, seu propinquitas, quae contrahitur ratione baptismi, seu confirmationis. Cum enim baptismus sit spiritualis quaedam nativitas, et nova generatio, in qua baptizans et patrini, seu susceptores, vicem gerunt parentum, indecorum foret, ut qui baptizati sunt et e sacro fonte suscepti cum iis matrimonii vinculo copularentur, a quibus vel baptizati vel suscepti fuerunt. Idem, servata proportione, dicendum de Sacramento Confirmationis, quae quoddam est Baptismi complementum. Ea etiam accedit ratio, quae utrumque Sacramentum respicit; siquidem ratione horum Sacramentorum quoddam inter personas memoratas amicitiae ac familiaritatis vinculum contrahitur. Opportunum proinde fuit matrimonium ipsis interdicere, tum ad avertenda peccatorum pericula, tum etiam quia, eo cum extraneis contracto, amicitia diffundatur in plures. Solos quippe patrinos Baptismi antiqua monumenta memorarunt; id tamen factum, quia ex

veteri disciplina simul cum Baptismo Sacramentum Confirmationis conferri consuevit ; ideoque qui patrini in Baptismo fuissent, patrini etiam erant in Confirmatione.

Ante Syn. Tridentinam spiritualis cognatio , ut praesertim videre est apud Gratianum c. 30, q. 3 et 4 multo latius patuit. Triplex quippe huiusce spiritualis cognationis species agnoscebatur, nimirum paternitas , compaternitas, et fraternitas. Paternitas erat non solum inter baptizantem et baptizatum, inter confirmantem et confirmatum, inter patrinos et baptizatum et confirmatum , sed etiam inter baptizatum et confirmatum et uxorem sive patrini , sive baptizantis , sive confirmantis , quam isti carnaliter antea cognovissent. Cum enim uxor sit una caro cum viro suo, idcirco statutum fuerat , ut cognatio spiritualis contracta a viro in uxorem illius etiam refunderetur. Compaternitas erat inter parentes naturales baptizati, aut confirmati ex una parte, et parentes eius spirituales ex altera parte , scilicet inter baptizantem et confirmantem et patrinos Baptismi et Confirmationis , horumque omnium uxores antea carnaliter cognitas. Unde vi istius cognationis baptizans , confirmans et patrini dicebantur *compatres* , et uxores etiam ipsorum, quamvis nihil praestitissent, dicebantur *commatres* baptizati vel confirmati. *Compatres* , inquam , et *commatres* dicebantur cum parentibus naturalibus ipsius baptizati et confirmati. Tandem fraternitas erat inter filios carnales baptizantis et confirmantis, vel patrinorum ex una parte , et ipsum confirmatum vel baptizatum ex altera parte. Cum enim baptizans, et confirmans, et patrinus essent compatres , sequebatur quod

ipsorum filii forent confratres baptizati, vel confirmati.

At Tridentini Patres, quod expresse didicerant, late patente cognationis spiritualis impedimento, saepe matrimonia contrahi, quae aut sine peccato non stabant, aut sine offensione dirimi non poterant, sano providoque consilio statuerunt sess. XXIV de ref. Mat. c. 2. « Ut unus tantum sive vir, sive mulier iuxta SS. CC. instituta, vel ad summum unus et una baptizatum de Baptismo suscipiant, inter quos, et baptizatum ipsius, et ipsius patrem et matrem, nec non inter baptizantem et baptizatum, baptizatique patrem et matrem tantum spiritualis cognatio contrahatur. Parochus antequam ad Baptismum conferendum accedat, diligenter ab iis, ad quos spectabit, sciscitetur, quem, vel quos elegerint, ut baptizatum de sacro fonte suscipiant; et eum vel eos tantum ad illum suscipiendum admittat; et in libro eorum nomina describat; doceatque eos, quam cognationem contraxerint, ne ignorantia ulla excusari valeat. Quod si alii ultra designatos baptizatum tetigerint, cognationem spiritualem nullo pacto contrahant, constitutionibus in contrarium facientibus, non obstantibus. Si Parochi culpa, vel negligentia secus factum fuerit, arbitrio ordinarii puniatur. Ea quoque cognatio, quae ex Confirmatione contrahitur, confirmantem et confirmatum, illiusque patrem et matrem et tenentem non egrediatur, omnibus inter alias personas huius spiritualis cognationis impedimentis omnino sublatis. » Hactenus Tridentini Patres.

Hac posita conciliari sanctione, plura quaeri possunt, et 1° quidem, qua in re circa numerum patrinorum in Baptismo et Confirmatione, et circa

cognationem spiritualem inde contrahendam conveniat, aut discrepet ius antiquum a novo iure per Concilium Tridentinum invecto ? Respondemus, quod iure antiquo plures adhibere patrinos prohibitum fuerit, ut patet ex can. non plures 101 de consec. dist. 4, et cap. finali de cognat. spirit. in 6, nec non ex allegatis superius Tridentini verbis, iuxta SS. CC. instituta; iure autem novo Tridentini, in Baptismo licet adhibere unum et unam, scilicet marem et feminam, minime tamen permissum est, ut duo viri, aut duo feminae munus patrini obeant. Sed si adhibeantur duo, sexus diversitas servanda est; id enim exposcit tum ipsa litteralis Concilii sanctio, tum satis congrua ratio, ut nempe generatio spiritualis, quae habetur per Baptismum, imitetur generationem carnalem, in qua nec duo patres, nec duo matres reperiuntur; sed unus pater et una mater. Excipiendus tamen est casus, si unus vir esset procurator mulieris, tunc enim duo viri admitti possent. Quia vero concilium, dum permisit, quod duo diversi sexus, vir nempe et mulier patrini esse possent, dumtaxat loquitur de baptismo, illud infertur, quod nempe,ad Confirmationem quod attinet, stet adhuc ius antiquum, ut unus dumtaxat in patrinum admitti possit, atque ex recepta saltem consuetudine masculus pro masculo, femina pro femina huiusmodi munus debeat adimplere. Vide S. C. C. 14 Iunii et 12 Iulii 1823, ubi de consuetudine adhibendi unum tantum patrinum pro masculis omnibus, et unam pro feminis, decernitur « non esse probandam, sed tolerandam in casu necessitatis ab Episcopo iudicanda ad formam Pont. Romani.» Pont. Romanum haec habet : « Nullus praesentet, nisi

unum, aut duos, non plures, nisi aliter necessitas suadeat, arbitrio Episcopi. »

Itidem respondemus, quod iure antiquo, si, prohibitione contempta, plures adhibiti fuissent patrini, omnes cognationem spiritualem contrahebant, ut habetur c. fin. de cognat. spirit. in 6. At iure novo Tridentini, si alii praeter designatos baptizatum tetigerint, cognationem spiritualem ab ipsis non contrahi decisum est, neque potest in hoc conciliari decreto Episcopus dispensare, ut plures quam duo Patrini adhibeantur, vel ut ii sint duo viri aut duo feminae. Iuxta enim communem regulam Episcopus dispensare nequit in praeceptis Romani Pontificis, et Concilii Generalis, nisi in casu urgentis necessitatis, et ubi ad ipsum Romanum Pontificem non patet aditus. Profecto in casu, de quo agimus, nulla excogitari necessitas potest, imo nec convenientia, ut plures patrini quam duo, vel duo viri, aut duo feminae adhibeantur, cum potius expediat unicum tantum esse patrinum. Videri hac in re poterit Sanchez l. 7 de Mat. disp. 57, c. 7, Barbosa de off. Epis. all. 3, c. 41; neque hic omittendum non paucos esse inter Theologos, sacrorumque canonum interpretes, qui contendunt illos lethaliter peccare, qui contra Ecclesiae praescriptum plures adhibeant, vel admittant patrinos, ea quidem ratione, quia in re magni momenti ipsius Ecclesiae praeceptum transgrediantur.

Quaeri 2° potest ad quem pertineat designare patrinos? Respondemus pertinere ad parentes baptizandi. His vero non designatis, ad Parochum, sive ad ministrum baptizantem id pertinere non est dubium. An vero si nullus forte vel ex parentum, vel ex Parochi negligentia designatus patri-

nus fuerit, aliunde vero multi simul tenendo tangant baptizandum, vel de sacro fonte suscipiant, ab istis omnibus contrahatur cognatio spiritualis, in disputationem apud doctores adducitur. Duplex enim circumfertur sententia, et quidem utraque validis fulcitur momentis. Prima eorum est, qui tuentur hoc in casu cognationem spiritualem contrahi ab omnibus, quia, inquiunt, Conc. Trid. prohibuit quidem plures admitti, factum tamen contra prohibitionem non irritavit, nisi eo tantum casu, quo, designatione facta, plures praeter designatos baptizatum tetigissent, ideoque si nulli fuerint designati, res manet sub dispositione iuris antiqui, quo iure cognationem ab omnibus fuisse contractam, superius ostendimus.

Altera sententia est e diametro opposita, et ab eorum nemine cognationem spiritualem contrahi tuetur. Duplex huic sententiae assistit ratio ex ipso Concilii decreto deprompta. 1ª ratio est, quia Tridentinum in hoc ipso decreto, hoc sibi constat proposuisse, ut impedimentum huiusce cognationis haud nimium multiplicaretur, atque ut certi essent, qui illud contraherent, ideoque tanquam conditionem necessariam requisivit, ut nempe patrini designarentur a parentibus, vel Parocho; si igitur defecerit conditio haec, veri patrini non erunt qui baptizatum tangant, nec cognationem spiritualem contrahent. 2ª Ratio est, quia in eodem decreto illud additur « omnibus inter alias personas huius cognationis spiritualis impedimentis omnino sublatis. » Cum igitur personae, quae huius cognationis spiritualis capaces sunt, ad hoc munus non sint designati, veluti necessarium consectarium admittendum videtur, quod omnes illae

personae, quae non sunt designatae, neutiquam erunt illius contrahendae cognationis capaces. Prior sententia nobis magis arridet, praesertim quod Conc. Tridentinum unum statuat, nempe non contrahere cognationem, qui ultra designatos suscipiunt, nihilque decernat designationem habendam esse, ut conditionem, *sine qua non*.

Quaeri 3° potest, si casus contingeret, quod plures, quam duo, vel duo viri, vel duo feminae, spreta conciliari dispositione, a parentibus designati, subinde a Parocho, seu baptizante temere admissi fuerint, patrinorumque munus expleverint, contrahunt ne omnes cognationem spiritualem? Respondemus, certum satis esse, quod si ii omnes, qui designati et admissi sunt, non simul suscipiant baptizatum, cognationem contrahent duo dumtaxat, qui primo pariter suscipiunt, si tamen fuerint vir et mulier, ea quidem ratione, quia revera isti patrini, et susceptores sunt ad mentem Tridentini: quando proinde eis certius accesserit ministerium patrini, seu susceptoris, alter qui suscipere voluerit, inveniet iam baptizatum exhibitum, et capax eiusdem exhibendi amplius non erit. Certum pariter est satis, quod si designati illi, quotquot fuerint, simul suscipiant, omnes cognationem contrahant spiritualem; ita enim declarat Fagnanus in c. fin. de cogn. spirit. n. 5; et recte quidem, quia in omnibus designatis et admissis a Parocho omnes inveniuntur conditiones, quae ad cognationem hanc contrahendam expostulantur, cum revera ab iis, ad quos spectat, designati sint et admissi; aliunde vero Tridentinum, dum in suo decreto vetuit plures quam duos designari, factum contra

prohibitionem non irritavit, sed impedimentum sustulit quoad eas tantum personas, quae baptizatum, ultra designatas tetigerint vel susceperint, non vero relate ad plures designatos, qui simul susceperint aut tetigerint. Vide Pignatelli t. 7, cons. 93, n. 7, et Corradus l. 8, c. 8, n. 8.

Si tamen ex pluribus, quos contra prohibitionem Ecclesiae parentes voluerint baptizandi patrinos esse, Parochus unum dumtaxat, vel unum et unam admiserit, caeterosque reiecerit, illi soli, non vero isti, qui reiecti fuerint, cognationem spiritualem contrahent. Cum enim Parochi officium sit indagare, quinam Patrini a parentibus designati fuerint, et ita eos admittere, ut servetur numerus patrinorum, et sexus diversitas a Tridentino praescripta, statim ac Parochus hoc Tridentini praeceptum exsequutus, alios expulerit, hi ita censentur expulsi, ac si designati nullo modo fuissent. Si tamen Parochus ex odio, aut ex alio quopiam simili motivo eos reiecerit, qui a parentibus in numero et sexu a Tridentino praescriptis fuerint designati, atque hi, invito Parocho, infantem susceperint, veri patrini erunt, veramque cognationem spiritualem contrahent. Non enim iis quidquam deest, quod ad contrahendam cognationem exposcitur, nec ullo modo ab eodem Tridentino in his circumstantiis data Parocho facultas est, ut a parentibus designatos queat temere reiicere.

Quaeri 4° potest, an ii qui nomen dumtaxat imponunt infanti iam domi baptizato, cum nempe solemnes baptismi caeremoniae adhibentur in Ecclesia, aliquam spiritualem cognationem contrahant? Respondemus nullam omnino contrahere,

quia tunc non suscipiunt infantem e sacro fonte, quod tamen requiritur a Concilio Tridentino. Vide S. C. C. in Murana Cognat. 13 Apr. 1669 et Tolen. 16 Maii 1711. Vide etiam Mélanges Théologiques 2 ser. 4. Cahier 1849 pag. 574. Imo opinantur non pauci spiritualem cognationem nec ab iis contrahi, qui infantem necessitatis causa susciperent extra baptismum solemnem, sive quod sacri canones et Conc. Trident. loquuntur de iis, qui *de fonte* suscipiunt, adeoque baptismum solemne tantum indicant, sive quod ex communi disciplina susceptores nec requiruntur in privato baptismate, nec adhiberi possunt, eo quia omittenda sunt quae illud praecedunt, ut statuit S. RR. C. in Calagurit. 20 Sept. 1820 apud Gardellini n. 4572. Hanc opinionem tuentur S. Alphonsus de Bapt. n. 149, Scavini, Bangen, Van de Burgt, Mél. théol. ser. 2, n. 574, et Rév. theol. ser. 1, n. 7. Quod si huiusce opinionis patronis obiiciatur, eum, qui privatim et sine ulla solemnitate baptizat, vere contrahere cognationem spiritualem, eamque proinde contrahi etiam debere ab eo, qui privatim suscipit; nullam inter utramque paritatem esse contendunt, quia, inquiunt, qui privatim baptizat, vere baptizat, et perinde est, ac si solemniter baptizaret. At vero qui privatim tenet seu suscipit, non suscipit eo modo, quo est ab Ecclesia constitutum. Non desunt, qui contrariam prorsus tuentur sententiam, sive quod susceptores cooperantur regenerationi, adeoque cognationem contrahunt, sive quod S. C. C. generatim ad dubium 29 Maii 1677, et 5 Mart. 1678 propositum « An dispositio Conc. cap. 2 sess. XXII de ref. matrimonii habeat locum in ba-

ptismate sine solemnitatibus ob necessitatem domi sequuto? reposuit affirmative. Vide Analecta I. P. liv. 72, Sept. 1865, N. 1750.

Nostro tamen iudicio in hoc sententiarum conflictu, melius sentire videntur, qui cum hac distinctione procedunt, an nempe infans in baptismo privato dumtaxat teneatur, seu levetur *materialiter*, ut scholae loquuntur, vel potius teneatur, seu levetur *formaliter*. Priori casu, prout urgente necessitate plerumque contingit, nulla spiritualis cognatio contrahitur, quae est communis doctorum opinio. Vide S. Alphonsum de Ligorio lib. 6, p. 149. Altero vero casu, cum adsit animus explendi officium patrini, et subeundi onera patrino adnexa, prout ab Ecclesia intenditur, cognationem contrahi probabilius docent Pont. l. 4 de Matr. c. 40 n. 5, aliique plures. Sacri quippe Canones generatim statuunt cognationem spiritualem ab iis contrahi, qui baptizatum vere levant, et suscipiunt, recipiendo in se pro ipso baptizato sponsoris aut fideiussoris munus, nec ullo modo distinguunt inter baptizatum solemniter et baptizatum privatim. Accedit auctoritas S. C. C. Quum enim ageretur de quadam Maria, quae manibus suis tenuit foetum ab obstetrice timore mortis subitaneae baptizatum, S. C. die 17 Apr. 1603 censuit: « Si Maria habuit animum levandi infantem de sacro fonte, contractam esse cognationem spiritualem. »

Quaeri potest 5° an ii qui infantem domi antea baptizatum sub conditione, vel, cum de eius baptismatis valore dubitetur, rursus iterato sub conditione baptismate, in Ecclesia susceperint, vere contrahant cognationem spiritualem? Respondemus, licet dubium sit, an valeat huiusmodi iteratum baptisma,

quod idcirco sub conditione fuit collatum, nihilominus tamen tutius esset, et ad conscientiae pacem opportunius, si ii qui infantem sub conditione baptizatum susceperunt, praedictam cognationem contraxisse supponantur. In dubiis enim pars tutior tenenda est, ut ad hunc ipsum casum perpendit Sylvius, aliique plures; imo stante hoc dubio, cognationem Ecclesia praesumit, ut docent Sanchez, Anacletus et alii. Non desunt tamen, qui nullam contrahi cognationem absolute tueantur, eo quidem suffulti principio, quod in odiosis verba legum et Canonum sunt stricte interpretanda. Quidquid tamen de hoc sit, illud apud omnes certo constat, quod si baptisma secundo, et invalide alicui conferretur, quia postmodum detegeretur prius quod fuerat collatum, valide fuisse collatum, nulla omnino ex eo cognatio spiritualis exsurgeret. Contra vero indubitanter haec spiritualis cognatio exsurgeret, si postmodum detegeretur prius baptisma fuisse omnino nullum.

Quaeri 6° potest, an qui per errorem suscipit de sacro fonte filium Antonii, autumans se suscipere Francisci filium, cognationem aliquam spiritualem contrahat? Respondemus certum ab incerto in hoc casu esse secernendum. Certum sane est, quod nullam contrahat cognationem cum filio Francisci, vel cum eius parentibus, quia illum e sacro fonte non suscepit; at incertum, an cognationem contrahat cum filio Antonii, quem revera suscepit, eiusque parentibus. Nonnulli enim affirmativam sententiam amplectuntur, eamque probare satagunt, instituta paritate cum baptizante, qui si per errorem baptizat filium Antonii, existimans esse filium Francisci, cum filio Antonii eius-

que parentibus, hoc errore non obstante, spiritualem cognationem contrahit. Ii afferunt praeterea in medium exemplum affinitatis, quae ab illo contrahitur, qui copulam cum una habet, quam aliam esse putat. Aliis autem negativa placet sententia. Cum enim in cap: Si vir, de cognatione spirituali, decidatur uxorem, quae per errorem levavit filium mariti sui, non arceri a debiti petitione, inferunt, quod stante errore personae susceptae, nullam prorsus in casu, de quo agitur, cognationem contraxerit. Si igitur error personae in causa est, ut uxor nullam contrahat cognationem, si levat filium mariti, profecto dici pariter debet ex eodem errore personae, quod nullam cognationem contrahat qui levat, seu suscipit filium Antonii, putans se levare filium Francisci. Secus tamen foret, si habeat intentionem suscipiendi infantem praesentem, quicumque ille sit. Hoc enim casu, quamvis erret, putans esse filium Francisci, qui tamen non est, cum ipso, eiusque parentibus cognationem contrahit, cum intentio illius revera feratur in eum, quem levat, seu suscipit, ut proinde velit illius esse Patrinus. Nullum autem huiusce sententiae patronis negotium facessit paritas desumpta ab eo, qui baptizat filium unius, putans se alterius filium baptizare. Siquidem prout ipsi respondent, minister baptismi habere debet intentionem illum ministrandi, qui praesens est, quicumque ille sit, atque idcirco, non obstante personae errore, valide baptisma confertur, et vera contrahitur cognatio. At patrinus non tenetur habere hanc intentionem, aliunde vero ad levandum, vel suscipiendum determinata persona eligitur, cui praeterea obligationes ad-

nexae sunt, unde sicuti ob hanc ipsam causam, scilicet electae personae, vitiatur matrimonium, si in ipsa persona erretur, sic vitiatur actus patrini, qui circa suscepti personam erret, proindeque nullam ipse cognationem contrahit. Exemplum affinitatis non officit, quia affinitas non pendet ab intentione, sed ex copula oritur.

Quaeri 7° potest, an munus patrini expleri per procuratorem possit? Cum manifeste ostendatur, ut caetera omittamus, praxis regum praesertim, principum, aliorumque magistratuum, qui per legatos, seu per procuratores, sciente et permittente Ecclesia, munus istud obire consueverint, tota controversia huc redit, quis nempe eo casu cognationem contrahat. Nonnulli a neutro contrahi autumant; quidam e diametro oppositam sententiam amplexi fuerunt, asserentes utrumque, et mandantem et procuratorem cognationem contrahere. Non pauci a solo procuratore eam contrahi arbitrantur, qui tribus momentis, primo saltem aspectu non contemnendis, innituntur. Primum momentum constituunt in quibusdam iuris canonici textibus, quibus cognatio ista contrahi dicitur ab eo, qui suscipit, tenet, lavat, tangit baptizatum, vel confirmatum. Verba autem haec, inquiunt ipsi, designant actionem personalem, quae in solo procuratore verificatur, non in mandante, a quo procurator constituitur. Secundum momentum fundant in paritate; cognatio enim spiritualis aequiparatur naturali, cap. Debitum 4 de Baptismo, et cognationem legalem imitatur, cap. Ita diligere, et Can. Post susceptam 5 caus. 30, q. 3. Sicuti ergo cognatio naturalis ac legalis non oritur, nisi ex actione personali ipsius generantis et ado-

ptantis, ut de prima satis per se constat, de secunda ex lege post Uxorem 25 ff. de adopt.; ita etiam non oritur spiritualis cognatio, nisi respectu ipsius procuratoris, qui solus operam et actionem personalem ponit. Tertium tandem argumentum ex alia paritate desumunt. Si enim, inquiunt, Parochus alteri committat munus baptizandi, cognatio spiritualis non a Parocho committente, sed a Sacerdote commissario contrahitur; idem proinde affirmandum contendunt de procuratore, quod nempe ipse solus cognationem contrahat.

At hisce argumentis non obstantibus, affirmandum omnino est, cognationem contrahi non a procuratore, sed a principali, seu mandante. Et re quidem vera, iuxta regulam 12 in 6 « qui facit per alium est perinde, ac si faciat per se ipsum. » Iam vero si mandans, qui per procuratorem baptizatum suscepit e sacro fonte, illum suscepisset per seipsum, certe contraxisset cognationem spiritualem. Igitur eamdem contrahet, si fecerit per procuratorem. A paritate etiam idipsum convincitur. Qui per procuratorem matrimonium contrahit, vere contrahit, perinde ac si illud per seipsum contraxisset; ergo etiam levans baptizatum e sacro fonte per procuratorem, vere cognationem contrahit, ac si levasset per se ipsum. Ea etiam urget validissima ratio; si enim mandans non fieret vere patrinus, iam spiritualis baptizati cognatus nullus certe evaderet. Nam non evaderet procurator, quippe qui non suo, sed alieno nomine patrini munus obire intendit. Absurdum autem est asserere, quod nullus evaderet verus patrinus, et spiritualis cognatus baptizati; sic enim fieret

contra mentem Ecclesiae volentis adhibere patrinos eosque veros.

Quae autem pro contraria sententia proponuntur argumenta facile submoventur. Ad primum quod attinet; utique ex adductis probationibus patet, quod mandans licet *physice* baptizatum non suscipiat, teneat, sustineat, levet, tangat, tamen haec praestat *moraliter*, quatenus alius nomine ipsius eumdem suscipit ac tenet. Quod secundum argumentum spectat, respondetur, quod cognatio spiritualis, cognationi naturali comparatur quidem quoad actionem personae, quae ad utramque necessario requiritur, legali etiam comparatur, quoad vim dirimendi matrimonium: at lata omnino disparitas est, si de procuratore loquamur; naturalem quippe cognationem per procuratorem contrahi est impossibile; in legali ipsa lex id specialiter fieri vetat: secus autem est in cognatione spirituali, cum istam per procuratorem contrahi a mandante non prohibeant Canones, et ipsa consuetudo approbet atque confirmet. Quod tertium denique argumentum respicit, negatur paritas; qui enim, mandante Parocho, Baptisma confert, illud non alieno nomine, sed nomine proprio, et ut minister Christi confert; contra vero procurator infantem e sacro fonte suscipiens, eumdem suscipit non suo, sed mandantis nomine.

Quaeri 8° potest, quis cognationem spiritualem contrahat, quando communitas aliqua, puta civitas, Collegium, Patrini munus per procuratorem expleverit? Respondemus, quod hoc in casu eam cognationem non contrahit communitas, prout communitas, vel universitas est, quia cum tantum sit persona ficta et incerta, ipsa est huius cogna-

tionis penitus incapax; certe etiam, ex firmatis in praecedenti quaesito, hanc cognationem non contrahit procurator, si baptizatum levare intendat nomine communitatis, vel nomine proprio. An vero hanc ipsam spiritualem cognationem contrahant singuli de communitate, in disputationem adducitur. Affirmativam sententiam docuit Abbas ea ratione, quod dispositio concepta in communitatem, quando actus competere nequit ipsi communitati, resolvatur in singulos, ne dispositio ipsa reddatur frustranea ex cap. 16 de sent. excom. in 6. At plurimi contra opinantur nec singulos de communitate spiritualem hanc cognationem contrahere, siquidem, inquiunt, Tridentinum non admittit plures patrinos, nisi ad summum unum et unam in baptismo, igitur contra mentem Concilii fieret, si singuli cognationem contraherent; cumque nec procurator communitatis in casu contrahat, consentaneum erit eam a nemine contrahi. Quo autem contra Sacrorum Canonum instituta nihil fiat, aut numquam in patrinum eligi debebit communitas, aut si forte eligatur, constituenda ab eo erit particularis aliqua persona, quae baptizatum levet, iussu communitatis, sed nomine proprio. Rationem autem Abbatis nullius momenti esse arbitramur, siquidem caput ab eo allegatum habet locum in delictis, ne ea maneant impunita, et sententia iudicis careat effectu; unde ad materiam, de qua agitur, trahi nullatenus potest.

Quaeritur 9°, an is, qui in casu necessitatis infantem de sacro fonte levat, quia nullus alius patrinus haberi potest, cognationem spiritualem contrahat? Respondemus affirmative, quia vere levat, aliunde autem ius non distinguit inter levantem cum ne-

cessitate, et levantem sine necessitate. Idem affirmandum de eo, qui in casu necessitatis infantem baptizat. Etenim et hic cognationem spiritualem contrahet. Si tamen in casu necessitatis prolem propriam et quidem legitimam baptizaret, aut levaret, nullam cum uxore sua contraheret cognationem, prout definivit Ioan. VIII, Can. 7, caus. 30, q. 1. An vero si prolem legitimam, extra necessitatis casum, *scienter* baptizaret, et levaret, privaretur hodie iure coniugalis debiti petendi, inter se disputant doctores, quorum rationes perstringit Schmalzgrueber p. 3, § 11 de Cognat. Spirit. n. 26 et seq. Verum sententia affirmativa verior, ac communior in iure dicenda est, eo quod ex cap. Si vir 2 de Cognat. Spirit. descendit. «In praxi praevaluit opinio ubique recepta, quod si alter sine necessitate propriam prolem vel levaverit de sacro fonte, vel etiam baptizaverit, hanc cognationem contraheret cum altero, quae coniugii usum impediret, saltem donec Ordinarius dispensasset, » ait Giraldi loc. cit. p. 1, sect. 703. Diximus supra *prolem propriam* et *quidem legitimam;* qui enim casu etiam necessitatis, concubinae suae, imo et cuiusvis alterius mulieris filium baptizaret, eamdem valide ducere non posset in uxorem, absque praevia dispensatione. Agitur enim in hoc casu de cognatione antecedenti, quae vere inhabilitas est. Cognationis quippe spiritualis vinculum pro iis solummodo sublatum est, qui proprios eosque legitimos filios in casu necessitatis baptizant, aut levant, quia sermo est de cognatione superveniente.

Quaeri 10° potest, quo iure cognatio spiritualis matrimonium dirimat? Certum est, non naturali, aut divino, sed ecclesiastico dumtaxat iure matri-

monium dirimere; idcirco impedimentum hoc ab Ecclesia potest dispensari et tolli. Re quidem vera, in monumentis priorum Ecclesiae saeculorum nulla huiusce impedimenti apparent vestigia; sane impedimentum a iure naturali aut divino descendens constat prioribus saeculis non fuisse ignotum. Illa etiam accedit validissima ratio, quia nempe impedimentum illud, quod Ecclesia vel extendere, vel pro nutu restringere potest, certe non est iure naturali, aut divino constitutum. Iam vero huius indolis ac naturae comperitur impedimentum cognationis spiritualis, siquidem Ecclesia illud tam late diffusum pro nutu, seu potius pro sapientia temperavit, partim illud auferendo, partim illud restringendo, ut vidimus. Evidens proinde fit, quod impedimentum hoc ab Ecclesia pendeat, et ab ea possit relaxari. Unde sequitur infideles eo inter se non obstringi, nec fideles eo detineri cum baptizati parentibus infidelibus, siquidem cognatio oritur tempore baptismi collati, ita ut, si eo tempore orta non sit, oriri deinceps nequeat.

Duo adhuc observanda hic sunt. 1. est, quod is, qui carnaliter cognovit personam, cum qua spirituali cognatione iungitur, si dispensationem obtinere velit, non modo cognationem, sed et crimen patratum in supplicatione exprimere debet. 2. est, quod hoc impedimentum perpetuum est, et proinde non cessat ob mortem personae, ob quam cognatio contracta fuit. Ratio est, quia iura absolute hoc impedimentum statuunt, nec ullus textus reperitur, qui ad casum superstitis eius personae, illud limitet. Verum est, quod in linea obliqua impedimentum cognationis legalis temporale sit, quia sequuta emancipatione illud cessat. At haec

in ea legali cognatione specialis est exceptio, quae cum nullibi facta comperiatur in cognatione spirituali, illud consequitur, quod impedimentum dirimens inde exortum perpetuum sit.

Caeterum, ut quis rite ac recte patrini munere fungatur, plura requiruntur, de quibus passim morales Theologi. Conf. Rev. Théol. sér. 5 t. 1, p. 385, Corresp. de Rome 1863 p. 207, et Analecta I. P. ser. 8, coll. 1706. Illud tamen speciale est in sacramento confirmationis, ut Patrinus ipse quoque antea fuerit confirmatus, alias nullam contrahet cognationem, prout constat, tum ex decl. S. C. C. in una Lucen. 13. Iun. 1654, t. 15 decr. p. 358, tum ex pontificali Romano, tum etiam ex Can. in Baptismo 102 de Cons. dist. 4. Nequit pariter in dubium revocari, quod nullam contrahat cognationem patrinus non baptizatus, qui infantem e sacro fonte suscepit. Cum enim per Baptismum in Ecclesiam ipse ingressus non sit, ecclesiasticis legibus nullo pacto obstringetur.

Restat, ut de multiplicitate huiusce impedimenti referamus verba Cl. De Iustis de Mat. lib. 2 c. 5, n. 43: « Et sicut cognatio carnalis ex multiplici gradu augetur, ita haec spiritualis: quia si alter alterius prolem invicem suscipiat, vel ex diversis sacramentis, nempe Baptismi et Confirmationis, eumdem, vel alterum eiusdem personae filium quis suscipiat, duplicabitur cognatio: at, si quis plures eiusdem personae successive filios in eodem Sacramento teneret, non augeretur cognatio, sicut nec consanguinitas augeretur ex copula cum eadem persona pluries repetita.... et propterea stylus Curiae ita se habet, ut si quando petatur dispensatio super compaternitate, sufficiat

exprimi, quod orator oratricis prolem, ex alio viro susceptam, tenuit, denotando expresse per illud verbum *prolem* quod, quotcumque fuerint filii quos orator tenuit, unicum insurgit impedimentum. »

§ 52.

De Crimine.

Ad consulendum fidei et incolumitati coniugali, ad praecavenda adulteria et caedes coniugum, atque in iustissimam horum criminum poenam, Ecclesia provido sane decreto constituit, ut inter tanti flagitii complices matrimonium dirimeretur: videlicet constituit, ut dirimens matrimonii impedimentum esset: 1° Coniugis homicidium; 2° homicidium cum adulterio; 3° adulterium cum promissione futuri matrimonii; 4° adulterium et matrimonium, vivente coniuge, cum adultera attentatum. Haec quatuor criminum genera, quae de iure ecclesiastico matrimonium dirimunt, singillatim percurramus.

Quod ad primum attinet, caedes coniugis impedimentum dirimens matrimonii est, cum ab utraque parte in eum finem procurata fuit, ut secum nuptias inire possent. Quare ut impedimentum prodeat, tria postulantur: I. Ut tam vir, quam mulier in mortem coniugis physice aut moraliter, consilio nempe aut mandato concurrant. II. Ut ex mutua eorum machinatione innocens vere obierit. III. Ut mortis machinatio eo animo patrata sit, ut post innocentis obitum duo complices matrimonium inter se inirent. Ex quo sequitur, ut si quis interficiat maritum alterius coniu-

gis, ut eam in uxorem ducat, validum inter utrumque iniri poterit matrimonium, utpote quod nullis legibus reprobatum constet. Sunt tamen non pauci ex theologis et canonistis, qui fatentur optandum esse, ut Ecclesia hoc etiam in casu impedimentum dirimens statueret.

Homicidium autem cum adulterio coniunctum, quod alterum criminis genus est, ut impedimentum dirimens pariat, tria quoque requiruntur: I. Ut alteruter etiam absque ulla alterius adulteri participatione seu conspiratione sit vera, seu physica, seu moralis, causa homicidii. II. Ut ex tali machinatione innocens interierit. III. Ut mortis machinatio ab alterutro adultero fiat ex animo nuptias cum altero contrahendi.

Tertium criminis genus, quod matrimonium, iuxta novam disciplinam, dirimit, est adulterium cum futuri matrimonii promissione, sive haec ante, sive post perpetratum adulterium intercedat. Oportet autem: 1° Ut nuptiarum promissio, et adulterium, vivente coniuge fiat, de qua vide Bened. XIV Const. Redditae nobis, § 25. Disputant doctores, an necesse sit, ut promissio et adulterium, durante eodem coniugio concurrant, an potius sufficiat si concurrant in diversis coniugiis. Petrus, ex gr., maritus Catherinae, vivente Catherina, absque ulla promissione futuri matrimonii, peccavit cum Theresia; defuncta deinde Catherina duxit Annam, eaque ducta, absque novo adulterio nuptias promisit Theresiae; poterunt ne post Annae mortem Petrus et Theresia superstites matrimonio copulari, vel potius non poterunt ob impedimentum criminis ex promissione et adulterio promanans? Negativam sententiam tuentur non-

nulli, quia tunc verificatur Petrum, dum coniugatus esset, et matrimonium promisisse, et cum ea, cui illud promittit, adulterium perpetrasse, quod dumtaxat a SS. Canonibus requiritur. Aliis tamen contraria placet sententia; ut adulterium, ac promissio in eodem matrimonio concurrant, validioribus quidem rationibus exposcunt, quia cap. 1 et fin. de eo qui duxit in Mat., satis clare requirere videntur, ut adulterium et futuri matrimonii promissio simul sub eodem matrimonio concurrant, quia etiam SS. Canones impedire voluerunt ne quid contra vitam legitimi coniugis attentaretur; iam vero, inquiunt, sola futuri matrimonii promissio, quae in secundis nuptiis cum Anna fuit facta Theresiae non praebet fundamentum sufficiens metuendi uxoricidium, alioquin haec promissio ab omni adulterio seclusa pareret impedimentum criminis, quod falsum est; adulterium vero, quod vivente prima uxore commissum est, non impellit ad inferendam secundae uxori mortem. 2° Ut promissio sit seria, et secundum communiorem sententiam pura, expressa, et absoluta, aut saltem ante legitimi coniugis mortem purificata, et ab altera parte verbis aut signis exterioribus acceptata. Leges enim poenales strictam interpretationem admittunt, proindeque de vera promissione intelligi debent. Promissio conditionalis, honesta ac possibilis, quamdiu suspensa manet, et ab incerto futuro eventu pendet, non habet rationem verae promissionis. 3° Ut adulterium sit utrinque formale, hoc est, ut uterque adulter, dum adulterium perpetrat, sciat alterius coniugium; altero enim illud ignorante, non est locus huic impedimento. Hinc ex. gr. si mulier adulterium perpetrans ignoret virum, cum quo

peccat, esse coniugatum, adulterium huiusmodi non erit impedimentum dirimens, ut expresse habetur cap. 1. De eo qui dux. in matrim. Itemque si ambo coniugati sint, neuter autem alterius coniugium noverit, non oritur impedimentum, eo quod ex utraque parte uni eidemque matrimonio iniuria non inferatur. 4° Ut adulterium ipsum perfectum sit, consummatumque.

Quartum tandem criminis genus est, cum quis legitimo vivente coniuge matrimonium per verba de praesenti contrahere attentat cum persona, cum qua adulterium perpetravit; tunc enim etiam defuncto adulterae viro aut adulteri uxore, nubere invicem nequeunt, irritumque esset matrimonium, si nuberent. Duo autem concurrere debent ut crimen hoc nuptias dirimat: I. Ut matrimonium cum primo coniuge validum fuerit; II. ut primum hoc matrimonium, alteri parti innotuerit. Cum impedimentum huiusmodi non naturae lege, nec iure divino positivo constitutum sit, sed sola ecclesiastica voluntate, sequitur infideles eo non detineri, licet postea convertantur ad fidem, et post baptisma locum habuerit unum ex iis, quae ad impedimentum requiruntur. Si vero ex complicibus alter sit fidelis et alter infidelis, et illa posita sint, quae impedimenta inducunt, nullum dubium, quin impedimentum existat, si fidelis posuerit, absit vero, si infidelis praestaverit.

Ex dictis patet impedimentum criminis multiplex esse, adeoque confessarius sedulo accurateque considerare debet, quandonam multiplicatur, de qua re potest conferre Van de Burgt de Mat. n. 137, 150, et de disp. n. 26.

§ 53.

De cultus disparitate.

Cultus disparitas hoc loco significat eam religionis diversitatem, quae inter fidelem baptizatum et infidelem non baptizatum intercedit, et est aut *antecedens*, si baptizatus matrimonium cum infideli contrahat, aut *superveniens*, si alterutra pars infidelis ad fidem convertatur. De hac, quae non dirimit, sed dissolvit, quibusdam in casibus, matrimonium, sermo erit, ubi de insolubilitate matrimonii. Nunc de illa, quae nullum reddit matrimonium agendum est. Ex hoc itaque impedimento, si Turca vel Hebraeus, aut alius quilibet Baptismo non regeneratus mulierem christianam duxerit, aut contra vir baptizatus mulieri non baptizatae nupserit, nullum atque irritum erit matrimonium. Potissima autem huius impedimenti ratio est, quod, elevato ad dignitatem Sacramenti matrimonio, dedeceat ipsum a fidelibus iniri cum infidelibus, qui nullius Sacramenti capaces sunt. Huc accedunt periculum tum subversionis coniugis fidelis, tum pravae educationis filiorum, aliaque gravissima incommoda, quae Tertullianus graphice describit lib. 2 ad Uxorem cap. 2. Olim tamen inter cultu dispares matrimonia valida habebantur : tale fuit S. Caeciliae cum Valeriano, S. Clotildis cum Clodovaeo, et S. Monicae matrimonium cum Patritio viro ethnico, ut Augustinus ipse testatur. Hoc siquidem impedimentum non a iure naturali, vel divino profectum, sed a iure tantum ecclesiastico invectum esse constat inter omnes; quin imo iure

ecclesiastico non scripto, sed consuetudinario, seu a consuetudine huius impedimenti originem passim repetunt Canonistae, eo quod nullus reperiatur textus, quo huiusmodi impedimentum diserte et generaliter adstruatur. Vide de hac re tum litteras Ben. XIV ad Card. Ducem Eboracensem « Singulari » 9 Februar. 1749, tum instructiones eiusdem Pontificis 15 Febr. 1756. Cum huiusmodi impedimentum divini aut naturalis iuris non sit, sed humani, iam consequitur ab eo dispensari posse. Porro S. Pontifex in locis infidelium raro, et gravibus tantum de causis; rarissime vero, et dum rerum adiuncta id exposcere omnino videntur, in locis christianis dispensare solet. Quum quaesitum sit, utrum per verba «gravibus tantum de causis» intelligi possit tamquam causa gravis et sufficiens salus animae illorum, qui tali matrimonio iamdiu contracto, absque Creatoris contumelia vixerunt, praesertim si filios genuerint, vel eosdem difficillimum sit ab insolenti coniuge separari? » S. O. reposuit an. 1786: « Casum expositum esse gravem et sufficientem ad impetrandam dispensationem.» S. C. de Prop. fide 4 Febr. 1804 declarat « conditionem, ubi sunt plures infideles, quam fidelès ita intelligendam esse, ut locum habeat, ubi in tota regione, de qua habenda ratio est, plures sint infideles, etiamsi in uno aliove pago plures numerentur fideles quam infideles. » Vide Const. Clementis XIII 22 Ian. 1767, ubi de dispensationibus super disparitatis cultus impedimento plura disseruntur, quae perspecta habere Episcopis et Vicariis Apostolicis valde proderit.

In hac re maximi profecto est momenti quaestio de dubio baptismate. Nam invalidum est matrimo-

nium, si alteruter baptizatus non est; validum e contra, si neuter est baptizatus. Duo hic speciatim quaeri possunt. 1°An acatholici, de quorum baptismatis validitate serio dubitatur, tamquam infideles habendi sint, ita ut eos inter ac catholicos dirimens cultus disparitatis impedimentum adesse censeatur? De hac quaestione actum est in generali S. Romanae et universalis Inquisitionis Congregatione die 17 Novemb. 1830, et Patres Eminentissimi rescripserunt : « Quoad haereticos, quorum sectae ritualia praescribunt collationem baptismi absque necessario usu materiae et formae essentialis, examinari debet casus peculiaris : quoad alios, qui iuxta eorum ritualia baptizant valide, validum censendum esse baptisma. Quod si dubium persistat, etiam in primo casu censendum est validum baptisma in ordine ad validitatem matrimonii, si autem certe cognoscatur nullum baptisma ex consuetudine actuali illius sectae, nullum est matrimonium. » Hanc decisionem referunt Mélanges Théol. sér. 3, p. 140, adduntque sequentem casum. Dubium erat: «Vir quidam protestans anglicanae ecclesiae vult amplecti religionem catholicam. In Anglia matrimonium fecerat cum muliere, quae ad sectam anabaptistarum pertinebat, et quae, prout ipse affirmat, numquam baptizata fuit. Quum vero ipse baptismum a ministro protestante anglicano receperit, de validitate eius proprii baptismatis ratio quoque dubitandi gravis existit. Propter iurgia continua mulierem anabaptistam vir praefatus deseruit, venitque N. ubi matrimonium iterum fecit, sed cum muliere lutherana. Quaenam ex istis mulieribus tamquam eius uxor haberi debet? « Resolutio S. O.

haec fuit 20 Iulii 1840 « dummodo constet de non collatione baptismi mulieris anabaptistae, primum matrimonium fuisse nullum, secundum vero, dummodo nullum aliud obstet impedimentum, fuisse validum. Ad dubium autem validitatis baptismi standum esse decreto feriae 4, 17 Martii 1830. » 2° An impedimentum disparitatis cultus locum item obtineat in matrimoniis contractis inter eiusdem, vel diversae confessionis acatholicos, quum alter ex coniugibus catholicam fidem amplexatus, exorto de baptismatis validitate dubio, illud sub conditione recipit, alter vero de cuius baptismatis valore serio pariter dubitari potest, in haeresi perseverat? Haud magnopere de hac quaestione ambigi posse videtur, dummodo, praeter mox citatum responsum, sequens eiusdem S. Congregationis rescriptum die 5 Februarii 1851 editum mente teneamus: « generatim loquendo, qui in Hollandia convertuntur ad catholicam fidem, habendos esse ex capite baptismatis tamquam valide coniugatos, nisi forte certe et evidenter constet in aliquo casu particulari haereticum, de quo agitur, fuisse revera nulliter baptizatum; sed oratorem, quoties occurrunt casus particulares huius generis, recurrere debere cum expositione omnium omnino casus circumstantiarum ad S. Sedem. Et detur decretum authenticum feriae 4 diei 17 Novemb. 1830 a S. M. Pii Papae VIII approbatum. » Quibus sic deductis, sequitur dubium de validitate baptismi, vel baptismum sub conditione collatum per se non sufficere, ut pariter dubitetur de validitate matrimonii. Baptismum enim, attenta omnimoda eius necessitate, sub conditione, in casibus dubiis confer-

ri secreto debet, absque ullo matrimonii praeiudicio, si id prius contractum fuit. Ita S. C. C. in Brix. dubio Baptis. et Matrim. 27 Maii 1796.

§ 54.

De Matrimoniis mixtis.

Praeter cultus propriam disparitatem, quae inter baptizatos et non baptizatos existit, datur impropria cultus disparitas, quae est diversitas religionis inter catholicos et acatholicos.

Matrimonia porro quae inter haereticos et schismaticos contrahuntur, mixta vocantur, et improbata quidem sunt Concilii generalis Chalcedonensis lege, SS. Patrum testimoniis, contrariis Sacrorum Canonum sanctionibus, pluribusque SS. PP. litteris, praesertim Urbani VIII, Clementis XI, Clementis XIII, Benedicti XIV, Pii VI, Pii VII, Pii VIII, Gregorii XVI et Pii IX, idque non solum ex periculo perversionis, quod imminet coniugi catholico, non solum ex prava filiorum educatione, sed etiam ex vetita catholicorum cum haereticis flagitiosa communione in rebus sacris; qui enim cum haeretico matrimonium contrahit, unum idemque sacramentum cum ipso vel conficit, si contrahentes sint ministri, quod tamquam certum, ut superius diximus, tenendum nunc est, vel saltem percipit, si sacerdos minister sit. Quo fit, ut SS. PP. nullo non tempore ministros omnes Ecclesiae serio graviterque hortentur ac moneant, ut catholicos utriusque sexus ab huiusmodi nuptiis in propriam animarum perniciem ineundis, quantum

possint, absterreant, easdemque meliori modo suaviter intervertere, atque efficaciter impedire in omni prudentia et doctrina satagant. Vide Schulte in man. Iuris Matr. catholici, et Kutschker op. de Mat. mixtis, et insuper Const. Clem. XIII 19 Nov. 1763, Breve Pii VIII 25 Martii 1830 ad Archiepisc. Coloniens. et Episcopos suffraganeos, cum instructione Card. Albani diei 27 Martii eiusdem anni; Breve Gregorii XVI ad Episc. Bavariae 27 Maii 1832 cum instruct. Card. Bernetti die 27 Septemb. 1834, et aliud eiusdem Pontificis 20 April. 1841 ad Primatem et Archiep. Hungariae cum instructione Card. Lambruschini die 30 April. et 22 Sept. eiusdem anni, et instructionem Card. Antonelli 15 Nov. 1858. Si tamen sive ius scriptum, sive non scriptum, consuetudinem videlicet spectes, matrimonia catholicorum cum haereticis irrita et invalida per se non sunt, quin imo, in quibusdam locis ad maiora impedienda mala, ecclesiastica quadam mansuetudine, tolerantur ac dissimulantur. Verum duo concurrere debent, ut ea valida habeantur. Alterum est; ut celebrentur coram Parocho et duobus testibus, ubi Concilium Tridentinum publicatum est ac viget. Porro Parochus, quia flagitiosum est tanti criminis voluntarium esse testem, debet passive prorsus se habere, seu abstinere a qualibet cooperatione, et ab omni ritu, quo videri posset, sua, ut ita dicam, *auctoritativa* praesentia exitiosum ac sacrilegum cohonestare ac confirmare connubium, adeoque invito ac reluctante prorsus animo audire et accipere *generatim* debet consensum eorum, qui data sibi mutua fide matrimoniali, eum ex improviso ad hoc conveniunt, inopinan-

temque deprehendunt. Dixi *generatim*, quia ob Ecclesiae utilitatem, et commune animorum bonum, vel ad maiora damna et scandala praecavenda, aliaque graviora rei catholicae incommoda avertenda, prudenti Ecclesiae oeconomia ac aequanimitate permissum, vel toleratum est in quibusdam locis, ut parochus ipse, aliusve sacerdos eius vices gerens, sponso qui ad ministrum haereticum facile confugere possent, potius coram se, profano in loco, sistere patiatur, eorum matrimonium, se praesente, confici sinat, consulto audito utriusque partis consensu, et actum valide gestum in matrimoniorum librum referri permittat, cavendo tamen semper ab illicitis hisce matrimoniis ullo suo actu approbandis, multoque magis a sacris precibus et ab ecclesiastico quovis ritu eisdem admiscendo; quin imo tum maiori studio ac conatu elaborandum ipsi est, ut a parte catholica perversionis periculum, quoad fieri potest, amoveatur, ut prolis utriusque sexus educationi in religione catholica, qua meliori ratione fas erit, consulatur, atque ut catholicus coniux, sive vir sive mulier, serio admoneatur de obligatione, qua tenetur curandae pro viribus alterius coniugis conversionis. Alterum quod exposcitur est, ut nullum aliud obstet impedimentum nullaque conditio substantiae matrimonii contraria in pactum deducatur, quod saepius haeretici cum catholicis nuptias ineuntes facere solent, qualis est e. g. conditio de matrimonii vinculo ob causam adulterii, de qua supra dictum est, aliamve dissolvendo, qualis etiam nonnullis doctoribus videtur esse conditio in pactum deducta de liberis vel omnibus, vel aliquibus in haeretica se-

cta educandis, aliis contra probabilius sentientibus, de qua quaestione, praeter alios, vide Thes. Res. S. C. C. in Augustana 24 Nov. 1742, Tropperum « Tractatus duo, in quibus impedimenta matrimonii explanantur, » Monachi 1752, Mazzeum « De matrimoniis diversae religionis » Romae 1771, Feye « De matrimoniis mixtis » p. 2, c. 1; § 5, et Van der Burgt « Tract. de Matrim. Sylvae ducis » 1859 c. 5, § 4. Impedimenta non auferuntur nisi Ecclesiae, cuius auctoritate introducta sunt, legitima dispensatio intercesserit, quae cum gratia sit, fidelibus sub Eclesiae obedientia viventibus reservatur, nec ad haereticos extendi debet, qui huiusce indulgentiae se indignos reddunt per hoc, quod eius auctoritatem non agnoscunt.

Iam vero quamvis illicita sint matrimonia, quae a parte catholica cum haeretica contrahuntur, nil tamen impedit, quominus Pontifex interdum, aegre scilicet et gravibus causis adductus, dispensationem indulgere possit, ad matrimonium cum haeretico contrahendum, quemadmodum multis probat Benedictus XIV de Synod. Dioeces. lib. 9, cap. 13, et confirmat Pius VII Brevi ad Episcopos Galliarum 17 Feb. 1809. Quin imo ante saeculum nostrum solemne fuit, in causa publica, aut saltem in publicam redundante, Pontificibus Summis dispensationem non tribuere, nisi adiecta conditione « *abiurata prius haeresi:* » ut refert idem Pontifex in suis litteris « MAGNA NOBIS » ad Episcopos Poloniae die 29 Iunii 1746 datis, ubi etiam animadvertit, dispensationes, quae sine conditione de haeresi abiuranda concessae sunt « rarissimas primum fuisse, et quidem plerasque inter supremos Principes, et gravissima urgente causa, eaque ad

publicum bonum pertinente factas fuisse: insuper adiectas fuisse opportunas cautelas, tum ne coniux catholicus ab haeretico perverti posset, quin potius ille teneri se sciret ad hunc pro viribus ab errore retrahendum, tum etiam ut proles utriusque sexus ex eo matrimonio procreanda in Catholicae Religionis sanctitate omnino educaretur. » Porro S. Sedes, attentis temporum ac locorum adiunctis, ex quadam indulgentia in concedendis dispensationibus non amplius conditioni de abiuranda haeresi insistendum esse putavit, omnesque cautelas eo reduxit ac cohibuit, ut per promissionem scripto, vel alio modo factam, ac iuramento, adhibitis testibus, firmatam ab utraque parte, sin minus a parte catholica (modus varius est pro variis temporum, locorum, ac personarum adiunctis), tum subversionis periculum efficaciter removeretur, tum proles utriusque sexus universa ex coniugio procreanda in catholicae religionis sanctitate educaretur. Cum enim non ecclesiastica solum, sed naturalis ac divina quoque lex prorsus vetet, ne homo in nuptiis contrahendis se, aut futuram sobolem perversionis periculo committat, exinde sane manifestum est, memoratas cautiones idcirco adhiberi, ut naturalis, divinaque lex sarta tecta generatim servetur. Quapropter dolendum sane est, quod in quibusdam locis duplex huiusmodi cautio nec accurate, nec semper adhibeatur, sed haec negligentia S. Sedi nullo modo imputanda videtur, quandoquidem ab hac agendi ratione numquam recessit, « neque recedere se ulla ratione posse iudicat, quin et principiis ipsius catholicae religionis palam adversetur, » et « in naturalem ipsam

legem gravissime peccet, » ut aiunt Pius VII Brevi 31 Octobr. 1819 ad Vicar. Trevir., Pius VIII Brevi 21 Martii 1830, et Gregorius XVI litteris 27 Maii 1832, et Brevi 23 Maii 1846 ad Archiep. Friburgensem apud Walter « Fontes Iur. Eccl. » Bonnae 1862, p. 597. Qua super re ignotum nobis haud est, duo aliquando permissa, ac tolerata esse a Sede Apostolica, ut maiora timenda mala praecaverentur, et remedia, quibus bonum sperandum obtineri posset, facilius adhiberentur. Alterum est: dispensatio exsequutioni deducitur, licet pars acatholica conditioni de prolis educatione in catholica fide perfracte recuset, onerata tamen graviter catholicae partis conscientia, ut omnibus viribus curet tum coniugis conversionem, tum educationem prolis utriusque sexus in religione catholica S. O. 11 Aug. 1821. Alterum est; si necessitati cedendum iudicet Episcopus, et dispensationem super gradibus inferioribus concedendam esse putet, quin idonea cautio de liberis catholice educandis interveniat, eo quod monitis catholicam partem ab improbo suo proposito retrahere nequiverit, profecto dispensare poterit auctoritate S. Sedis per diploma scriptum, seu per litteras, ubi perspicuis verbis denuntiatur impedimentum ideo relaxari tantum, ne graviora scandala eveniant, unde matrimonium verum et ratum erit, sed pars catholica gravissime peccabit contra Eccl. regulas, Inst. Albani 27 Maii 1830.

Quod vero pertinet ad conditionem et formam huius coniugii celebrandi, quamvis ubi Concilium Tridentinum publicatum est. testium postuletur ac Parochi praesentia, qui ob dispensationem obtentam, matrimonio consulto ac voluntarie, pas-

sivo tamen modo praesens est, et tanquam solus testis, ut aiunt, *qualificatus* et *auctorisabilis;* ad audiendum partium consensum; his tamen nuptiis neque litterae, quas vocant dimissoriales, concedendae, neque proclamationes praemittendae, neque vestis sacra, vel caeremonia religiosa adhibenda, neque ulla sacerdotalis benedictio impertienda, nec matrimonium ipsum intra ambitum Ecclesiae contrahendum, cum horum nihil necesse sit ad eius validitatem intervenire. Hic notatu dignum est nonnullas dari regiones, ubi ad maiora mala ac damna vitanda, receptum est ac permissum, ut tum in licitis, tum in illicitis matrimoniis mixtis, quibus, ut supra diximus, indulgetur assistentia passiva, tum proclamationes fiant, tum litterae testimoniales, quae dimissoriae audiunt, concedantur, dummodo illae, si fieri potest, extra Ecclesiam, et extra locum sacrum promulgentur, praetermissa religionis nupturientium mentione, hae vero unice enuntient, nil praeter Ecclesiae vetitum matrimonio conciliando obstare, omissis verbis « mea pace, » aliisque, ex quibus consensus, vel cuiuslibet approbationis suspicio oriri possit. Iuvat hic monere a S. Sede facilius, ex prudenti oeconomia, permitti, ut assistentia passiva, etiam in sacristia, et interrogatio quae assistentiam activam non constituit, de mutuo consensu locum habeat, quam ut proclamationes publicentur, et litterae dimissoriales concedantur, praesertim quod matrimonii validitas, si de ea dubitatur, satis hoc modo in tuto ponitur, regionum necessitati medetur, et anxietatum omnis causa aufertur. Quapropter in inst. 22 Maii 1841 ad Episcopos Austriacae ditionis, in foederatis Germaniae partibus data, Card. Lam-

bruschini assistentiam se passivam tolerare fatetur, nil vero habet de proclamationibus, et litteris dimissorialibus. Novi Concilium Baldim. VI an. 1846 et Concilium Burdig. an 1850 habitum, proclamationes in Ecclesia praecipere, eo quod a S. C. de Propaganda fide, responso ad primum dato 3 Iulii 1847, id approbatur ac praescribitur. Ex quo factum est, ut nonnulli auctores proclamationes fieri posse in matrimoniis mixtis assererent ac tuerentur. Verum Secretarius eiusdem S. C. declaravit « mendose in hisce litteris irrepsisse, amanuensium incuria, quod refertur ad proclamationes faciendas etiam, quando agitur de matrimoniis mixtis. » Caeterum proclamationes in templo aliquando fieri in quibusdam locis facto constat. Etenim adsunt exempla, quae videntur probare id a S. Sede tolerari, praesertim ubi ex alia agendi ratione incommoda inde, et detrimenta religioni timenda iure videantur. Quin imo in instructione Card. Antonelli 15 Nov. 1858 iussu Pii IX edita « Prudenti SS. Antistitum arbitrio committitur, ut ipsi, salvis firmisque semper ac perdiligenter servatis cautionibus praescriptis, si cognoverint in aliquibus locis has formas ac conditiones impleri non posse, quin graviora exinde oriantur damna ac mala, in hoc casu tantum tolerent morem adhibendi ritum pro matrimoniis contrahendis in dioecesano Rituali legitime praescriptum, exclusa tamen semper Missae celebratione, ac diligentissime perpensis omnibus rerum, locorum ac personarum adiunctis, atque onerata ipsorum antistitum conscientia super omnium circumstantiarum veritate ac gravitate. » Ex quo infertur in aliquibus casibus Epi-

scopos haud vetari, quominus activam quamdam assistentiam permittant, usumque formulae, *Ego vos coniungo*, indulgeant.

Confer De Roskovàny « De Matrimoniis mixtis, » et Feye duplici dissertatione « De Matrimoniis mixtis » Lovanii 1847, nec non « De nuptiarum benedictione » Amstelodami 1848, ubi hoc argumentum copiose solideque pertractant, adiectis etiam iis omnibus, quae hactenus hac super re a S. Sede prodierunt. Vide etiam Mélanges Théologiques 2. série 1. cahier pag. 38, et 3. cahier pag. 305, decisionesque tum S. Officii 24 Nov. 1835, et 25 Iulii 1838, tum S. Congregationis de Propaganda Fide 10 Iulii 1839.

Superest nunc quaestionem attingere, an pars catholica post contractum Matrimonium mixtum, absque dispensatione, volens Sacramentorum particeps fieri, ad ea debeat admitti? Iam vero, vel agitur de Matrimonio illicito tantum, vel de Matrimonio simul illicito et invalido. Si Matrimonium est tantum illicitum, dicendum cum Pio VI litteris ad Cardinalem De Franckenberg 13 Iulii 1782: « dum idem ille demonstrabit, poenitere se peccaminosae suae coniunctionis, poterit hoc ipsi concedi, modo ante confessionem sincere declaret, procuraturum se conversionem coniugis haereticae, renovare se promissionem de educanda prole in religione orthodoxa, et reparaturum se scandalum aliis fidelibus datum. Si tales conditiones concurrant, non repugnamus nos, quoniam pars catholica Sacramentorum fiat particeps. » Gregorius XVI in Instructione 30 Aprilis 1841 ad Episcopos Hungariae per Eminentissimum Lambruschini rescripsit his verbis: « Caeterum quocunque demum modo mixta haec Matrimonia citra Ecclesiae dispensationem et necessarias cautiones, sive per passivam catholici Parochi praesentiam, sive coram acatholico ministro contracta fuerint, illud Episcopis et Parochis Sanctitas Sua magnopere commendat, ut omni pastorali sollicitudine catholicum coniugem ad patratae culpae detestationem, congruamque poenitentiam opportune conentur excitare, cumque solerter adducant ad obligationes implendas, quibus gravissime tenetur, illam praesertim, quae est de catholica universae prolis educatione impense curanda. Quae si ex voto contingant, adeoque constet eum revera resipuisse paratumque esse ad opportunam, quoad valuerit, scandali reparationem, tum sane poterit ipse Sacramentorum Ec-

clesiae particeps fieri. » Si vero illicitum est et invalidum ob dirimens praeter clandestinitatem impedimentum, nil est quod speciatim dicam, quum recurrant principia rei moralis communia vel de bona fide, vel de validando Matrimonio, vel de eo sanando in radice, ex quibus omnibus quid de admissione ad Sacramenta statui debeat, facile deducitur. Duo hic notanda sunt; alterum est: quocunque modo Matrimonium validetur, dispensatio semper petenda est in impedimento disparis cultus, et quantum fieri potest, hae omnes adhibendae sunt conditiones et cautelae, quae pro matrimonio mixto contrahendo servandae praescribuntur. Alterum est: si praevideatur coram civili tribunali nuptias brevi fore dissolvendas, adeoque nullas declarari, consultius est, se abstinere a quolibet actu, qui ad nuptias confirmandas imprudenter tendat. Verum si Matrimonium invalidum est ob solum clandestinitatis impedimentum, et pars catholica de validitate Matrimonii nullomodo dubitat, «relinquenda potius est in bona sua fide, ut verbis utar cit. S. C. C. decis. In Yprensi Vis. SS. LL. 17 Aug., quam de nullitate monenda, ne alias, cum velit Matrimonium, renovato coram Parocho et testibus consensu, convalidare, pluribus subiiciatur periculis, quae facile sibi impenderent, praesertim ex odio ac persecutione principis, seu magistratus acatholici aegre ferentis validitatem matrimonii coram ministro haeretico initi in dubium revocari. » Haec in genere dicta sint: nam in quibusdam casibus peculiaribus consultum quam maxime erit ad S. Sedem recurrere, expositis omnibus facti circumstantiis, ut modo magis opportuno provideat, et interea temporis nil vetat, quominus, pars catholica Sacramentorum particeps fiat. Si vero scrupulis angitur super sui Matrimonii validitate, videndum tunc est, an velit novum cum alia Matrimonium inire, vel non. Si non vult, iam ad scrupulum deponendum ea praestanda sunt, quae de renovatione consensus inferius exponentur. Si vero pars catholica in matrimonio mixto, aut pars ad fidem conversa in Matrimonio inter duos haereticos, novum contrahere velit matrimonium, eo quod prius clandestinum nullum sit, iure statutum est, ut id non permittatur, nisi in antecessum causa primi coniugii cognita fuerit ecclesiastico iudicio ad normam canonum exacto, quo concubinatus declaretur, ut ait Gregorius XVI brevi 28 Maii 1838.

Huc spectat instructionem referre, a S. O. sub feria IV 17 Februarii 1864 Episcopis Regni Hannoveriani datam. « Non

latet quibusdam in locis haereticum ministrum agere personam magistratus mere civilis, coram quo se sistere solent coniuges aut etiam debent ob finem politicum, nempe ut habeantur civiliter honesti coniuges prolesque censeantur legitimae. Iam vero urgentibus haereticis aut lege civili imperante non improbatur quod pars catholica una cum haeretica se sistat, ante vel post contractum ad formam Tridentini matrimonium, etiam coram ministro haeresi addicto ad actum civilem dumtaxat implendum. Etenim ad dubium olim sic expressum, utrum catholicus coram proprio catholico Parocho una cum haeretica contrahens licite possit, urgentibus haereticis, matrimonium hoc ratificare coram ministro haeretico, si nulla hinc ritus haeretici professio habeatur aut colligatur, et quidquid minister haereticus in casu peragit civilis dumtaxat et politica gratulatio sit et censeatur; per S. Congregationem responsum fuit « Affirmative. Verum enimvero, quotiescumque minister haereticus censetur veluti sacris addictus et quasi Parochi munere fungens, non licet catholicae parti una cum haeretica matrimonialem consensum coram tali ministello praestare, eo quod hic adhiberetur ad quamdam religiosam caeremoniam complendam, pars catholica ritui haeretico se consociaret, unde oriretur quaedam implicita haeresi adhaesio, ac proinde illicita omnino haberetur cum haereticis in divinis communicatio. Eapropter, etsi perniciosa haec consuetudo inoleverit, ita ut a Clero de facile corrigi non possit, nihilo tamen secius omni adhibito studio ac zelo evellenda erit. Et sane Benedictus XIV aperte docet non licere contrahentibus se sistere coram ministro haeretico, quatenus assistat ut minister addictus sacris, et contrahentes peccare mortaliter et esse monendos. Opportune itaque abs te instructi et commoniti Parochi ac missionarii edoceant fideles, qua publicis in Ecclesiis catechesibus, qua privatis instructionibus circa constantem Ecclesiae doctrinam et praxim ita ut salubriter a mixtis contrahendis nuptiis, quoad fieri possit, avertantur; sin autem abhorreant prorsus a celebrando matrimonio coram haeretico ministro sacris addicto, id quod omnimode illicitum et sacrilegum est. Ita responsum fuit Ordinario Trevirensi sub feria IV die 21 Aprilis 1847. Sciant insuper Parochi si interrogentur a contrahentibus vel si certe noverint eos adituros ministrum haereticum sacris addictum ad consensum matrimonialem praestandum, se silere non posse, sed monere eosdem debere sponsos de gravissimo peccato quod patrant et de censuris in quas in-

currunt. Veruntamen ad gravia praecavenda mala, si in aliquo peculiari casu Parochus non fuerit interpellatus a sponsis, an liceat nunc adire ministrum haereticum ; et nulla fiat ab iisdem sponsis explicita declaratio de adeundo ministro haeretico , praevideat tamen eos forsan adituros ad matrimonialem renovandum consensum , ac insuper ex adiunctis in casu concurrentibus praevideat monitionem certo non fore profuturam imo nocituram, indeque peccatum materiale in formalem culpam vertendum, tunc sileat, remoto tamen scandalo, et dummodo aliae ab Ecclesia requisitae conditiones atque cautiones rite positae sint , praesertim de libero religionis exercitio parti catholicae concedendo, nec non de universa prole in religione catholica educanda. Quod si tandem consensus coram Parocho velit renovari, postquam praestitus iam fuerit coram ministro haeretico, idque publice notum sit, vel ab ipsis sponsis Parocho notificetur, Parochus huic matrimonio non intererit, nisi servatis, ut supponitur, ceteroquin servandis, pars catholica facti poenitens , praeviis salutaribus poenitentiis absolutionem a contractis censuris rite prius obtinuerit. Sacra igitur Congregatio plurimum in Domino confidit Te praemissis prudenter ac firmiter inhaerentem effecturum, ut inviolabilis doctrinae sartum tectum servetur depositum , catholicorum mores fidei respondeant, damna apprehensa arceantur, et fideles doctrina et exemplo roborati incedant per semitas iustitiae »

Cum in quibusdam regionibus haereticorum principum imperio subiectis matrimonium civile, ex legis praescripto, inductum ita sit, ut illud praecedere semper debeat connubium ecclesiasticum; cum praeterea matrimonium hoc inter haereticos, inter se, et cum catholicis initum absque Parochi et testium praesentia validum omnino sit, illud quaeritur, an tuto ac secure admitti ac sequi possit mos ibi receptus, vi cuius sponsi, dispensatione super cultus disparitate rite obtenta, peractoque matrimonio civili, successive adeunt tum Parochum catholicum, tum ministrum protestantem, quorum alter passive se habens, absque ritu solemni eos in sacristia recipit, alter vero sive domi, sive in aula consistoriali, sive etiam in templo, nulla sui ritus professione habita, matrimonium ipsis tantum adprecatur, eosque de coniugum officiis et operibus alloquitur? Quaestio haec, ni fallimur, eo tota reducitur, ut videatur, an minister haereticus in casu partes omnino ac solum gerat ministri sacris addicti. Sunt qui affirmativam sequuntur sententiam, tum quia ministri

praesentia aliter explicari nequeat, quandoquidem politica ac civilis praesentia abs ministro civili facta matrimonii mixti validitatem iam importavit, tum quia partis acatholicae, dum se coram ministro suae religionis sistit, ea mens est, ut actum religiosum perficiat. Qui negativam tuentur sententiam, innituntur tum facti ipsius ministri natura, quod omni prorsus sacro ritu destituitur, nihilque sanctitatis praesefert, tum menti ipsius sponsi catholici, qui nil aliud intendit, quam acatholicae parti morem ex quadam comitate gerere, absque ulla communicatione in divinis cum ipsa. In hoc sententiarum conflictu meum esse duxi, dum Legati S. Sedis munere apud Regem Hollandiae fungebar, S. C. de Propaganda fide Praefecto casum proponere, atque abs eo insuper petii an. 1860, quid a Parocho, et Confessario esset in casu peragendum, praesertim, si noverit sponsos esse certo adituros ministrum haereticum, ac praeviderit nullam monitionem fore profuturam. Potest ne confessarius catholicum ita dispositum, reticita commonitione, ad absolutionis beneficium admittere, in casu? Debet ne parochus assistentiam negare, quae ad matrimonii validitatem nullatenus in casu requiritur? Verum, dum geminatis meis precibus maxima anxietate responsum expectabam, vix verbis exprimere possum, quem concepi animo moererem, quum praeter meam expectationem eminentissimi Viri litteras accepi, quibus haec inveni: « Difficile haud tibi erit propositis dubiis occurrere, et conscientiarum tranquillitati consulere. »

§ 55.

De vi.

Si quis unquam contractus libertate fruatur oportet, is profecto est, quo vir et femina ad individuam vitae societatem, nexu quodam, eoque scilicet indissolubili, copulantur. Itaque Ecclesia iure meritoque sancivit, ut matrimonia per vim contracta dirimantur. Vis autem in absolutam et conditionatam dividitur: vis absoluta est coactio omnimoda et corporalis personae reluctanti illata,

veluti si quis per vim externam cogatur ad capitis inclinationem aut porrectionem manuum, quae signa pro manifesto consensu accipiuntur. Matrimonium per huiusmodi vim contractum omni iure nullum atque irritum esse nemo non intelligit. Vis conditionata est metus alicui incussus, ut in nuptias consentiat; metus autem dicitur vis conditionalis, quod absolute non cogit partes ad contrahendum, efficit tamen, ut invito animo consentiant. Metus vero duplex est, gravis et levis: gravis, qui dicitur cadere in constantem virum, ille est, quem vir fortis prudenter concipit de gravi malo aut sibi, aut consanguineis, seu affinibus suis inferendo. Quare metus gravis est, si tria conveniant: I. Si grave sit malum quod timetur, ut metus mortis, gravis cruciatus, amittendae libertatis, et huiusmodi. II. Si prudenter, hoc est probabiliter et rationabiliter timeatur. Hoc enim distat inter constantem et inconstantem, quod hic ex levi et inani, ille forti et rationabili aestimatione moveatur; ac propterea nec gravis, nec prudens est metus, quando is qui minatur, non possit; aut nunquam soleat id quod minatur efficere. III. Si metuens nec minitanti resistere, nec malum quod timet vitare possit. Si qua ex his conditionibus desit, levis metus est. Caeterum Honorius III. in cap. Consultationi de Sponsal. et Matrim. monet: « De illato metu cum diligentia inquirendum. » Ex quo plerique Doctores, quos sequitur et laudat Sanchez de Matrim. lib. 4, disp. 3, n. 2, contendunt metum gravem aestimandum esse non absolute, attenta scilicet qualitate, et natura ipsius mali, sed respective, considerata qualitate eius, qui metum patitur. Quamobrem prudentis Iudicis

erit in peculiaribus casibus diligenter inspicere personarum sexum, conditionem, aetatem, animi robur, aliasque circumstantias, ex iisque definire, num metus gravis fuerit vel levis. Porro metus gravis alius ab intrinseco, alius ab extrinseco incussus dicitur; prior ab ipso metuente concipitur vel ex animi eius perturbatione, vel ex causa naturali, cuiusmodi est metus mortis propter morbum, vel naufragium; alter ab homine incutitur, veluti cum quis alteri mortem, aliudve grave malum, nisi hoc vel illud faciat, serio comminatur. Hic tamen posterior metus aliquando iuste, et aliquando iniuste incutitur: iuste quidem, quando ab potestatem habente incutitur, ut si Iudex stupratori poenam minetur, nisi stupratae nubat: iniuste autem, quando is, qui grave malum comminatur, vel eius inferendi potestatem non habet, vel id exigit, ad quod metuens non obligatur, veluti si pater stupratori mortem comminatus esset, nisi filiam duxerit: pater enim ius quidem habet coram Iudice accusandi, non autem propria auctoritate occidendi. Sic etiam iniuste cogit iudex, si non cogit secundum allegata et probata, etiamsi a parte rei verum sit id, quod male probatum est.

Iam vero Matrimonium initum ex levi metu ad extorquendum consensum iniuste illato validum est, tum quia ex L. 184 ff. de R. I. vani seu levis timoris iusta excusatio non est, dum libertatem notabiliter non minuit et facile contemni potest, tum quia innumera matrimonia vel nulla, vel admodum dubia essent, et multis difficultatibus obnoxia, si ex omni inani metu contracta dirimerentur. Ipsa religiosa professio ex levi metu emissa omnino valet ex cap. 1 et 2 de his, quae

vi met. caus. Item apud omnes certum est metum etiam gravissimum, qui ex causa naturali, vel ex animi affectione, vel ex poenarum metu oritur, non irritas nuptias facere. Si quis itaque metu damnationis aeternae, vel mortis ex morbo aut naufragio, vel ex perversa sententia, instantis concubinam ducat, quam aliter non duxisset, matrimonium firmum est. Sic vota ex simili metu emissa rata sunt: tunc enim homo non cogitur ad contrahendum, vel vovendum, sed ipse id eligit voluntate sua tamquam medium ad periculum animae, vel corporis evadendum. Pariter metus etiam gravis, et ab extrinseco, sed ad consensum extorquendum non incussus, nuptias non vitiat. Itaque firmum erit matrimonium, si quis in aliqua civitate obsessus, metu expugnationis, incendii, aut caedis, duceret filiam obsidentis; quoniam in hoc etiam eventu cum metus non eo tendat, ut matrimonium ineat, contrahens sponte sua nuptias eligit, ut mala impendentia avertat. Denique metus gravis ab extrinseco ad extorquendum consensum, iure tamen illatus, matrimonium non vitiat: quod locum habet, quando metum incutienti ius inest tum exigendi matrimonium, tum illud minis adurgendi, sive sit is iudex, sive privata persona, sive publica. Hinc si vir a magistratu metu poenarum cogatur, ut mulierem, quam violavit, uxorem ducat, matrimonium subsistit. Sic eos, qui fidei sponsalium non servandae causas idoneas non afferunt, Ecclesia gravissimis poenis compellet, ut nuptias contrahant. Tunc enim matrimonium non vitiatur ratione iniuriae, quippe contrahens iniuria non afficitur, dum cogitur ad id praestandum, quod nisi praestiterit, iniu-

stus et iniquus est; neque ratione coactionis ipsius consensui illatae, quia contrahens proprie non cogitur ab homine, sed a lege, et a facto proprio ac libero, dum ipse libere illud egit, ex quo obligatio contrahendi matrimonii iure ipso proficiscitur. Hic tamen accurate notandum est aliquando fieri, ut bene et iuridice probetur id, quod a parte rei falsum est, ex. gr. Sempronium violasse virginem, quam revera non violavit. In hoc eventu, quidquid contra asserat Sanchez l. 4, de Mat. disp. 13, n. 8, Matrimonium in foro interno non valet, quia occurrit timor gravis saltem radicaliter, ut aiunt, iniuste incussus.

Restat itaque, ut solus metus gravis ab extrinseco ad extorquendum consensum, et iniuste incussus matrimonium dirimat, si ex tali metu contrahatur. Contracturus enim matrimonium « plena debet securitate gaudere, ne per timorem dicat sibi placere quod odit, et sequatur exitus, qui de invitis solet nuptiis provenire. Cum locum non habeat consensus, ubi metus et coactio intercedat, necesse est, ut ubi assensus cuiusque requiritur, coactionis materia repellatur. Matrimonium autem solo contrahitur consensu. » Ita in cap. Cum locum de Sponsal. et Matrim., et in cap. Veniens 15 eod., cum adolescens duabus feminis, alteri per verba de futuro, subsequuta dein copula proleque suscepta, et alteri per verba de praesenti, sed ob metum a patre puellae incussum nupsisset, Pontifex respondet: « Mandamus quatenus, si inveneris, quod primam post fidem praestitam cognoverit, ipsum cum ea facias remanere: alioquin secundae (nisi metu coactus, qui posset in virum constantem cadere, eam desponsaverit) adhaerere

facias ut uxori.» Similiter, in cap. SIGNIFICAVIT De eo qui dux. in matrim., casus est de viro, qui duplex matrimonium iniverat; primum compulsus metu, alterum ultro et sponte sua, rogatusque Pontifex, utrum validum esset, rescripsit: « Si constiterit, quod tanta vis eidem illata fuerit, quod non sponte in primam consenserit, propter hoc non dimittas, quin ad aliam, quam postea in uxorem accepit, revertendi liberam tribuas facultatem. » Nihil autem refert, an metus gravis ab eo ipso, qui matrimonium exoptat, an absque eius culpa aut scientia ex consanguineo vel amico, aut alio quocumque inferatur. Etenim Sacri Canones non tam in odium illius, qui iniuste metum incutit, quam in favorem libertatis matrimonii nullitatem istam statuerunt. Libertas autem matrimonii non minus laeditur, sive timor ab eo qui matrimonium optat, sive ab alio quocunque iniiciatur. Sic in cit. cap. VENIENS irritum pronuntiatur matrimonium, quod ex metu initum fuerat, licet neuter ex contrahentibus, sed pater puellae metum intulisset.

At vero non longe absumus ab ea sententia, quae docet matrimonium ex tali metu initum iure duntaxat ecclesiastico, non iure naturali invalidum et irritum esse. Nam, spectato iure naturae, nihil postulatur aliud ad validitatem contractuum, quam iustus titulus et consensus contrahentium. Prior habetur per mutuam traditionem iuris in corpora, posterior autem non tollitur per metum, licet imminuatur. Nam coacta voluntas, voluntas est: idque eo confirmatur, quod metus gravis ex causa necessaria, ex. gr. morbo, peste, naufragio incussus non irritat matrimonium, quemadmodum supra dictum est, idemque sentiunt Canonistae

omnes. At libero voluntatis consensui non minus contrarius est metus gravis, qui ab extrinseco per iniuriam inferatur, quam qui citra iniuriam ex causis naturalibus incutitur: utroque enim casu voluntas non plane ac simpliciter vult, sed secundum quid, ut scholae loquuntur, sive ad vitandum periculum, quod pertimescit. Igitur ea differentia, quod nuptiae per vim iniustam extortae invalidae sint, iure ecclesiastico instituta est, siquidem, inspecto iure naturali irritae, utroque casu habendae essent, quia utroque casu voluntas ratione metus consentit in nuptias, profecto in eas non consensura si abfuisset. Neque illud obstat, quod in metu gravi per hominem illato iniuria afferatur, contra autem a causis naturalibus omnis iniuria procul absit. Nam posito consensu quantum est opus ad translationem iuris in corpora, id satis est ut matrimonium naturali iure consistat. Iniuria quidem aequam tribuit causam, cur in favorem eius, qui metum passus est, contractus rescindatur, si tamen eiusdem contractus natura patitur, ut solvi possit. Noli tamen mirari, si in hac quaestione aliud esse proferendum iudicium putem de Matrimonio ac de Sponsalibus. Nam dum sponsalia inita metu gravi irritari iure naturae superius demonstravimus, huiusmodi argumentis usi sumus, quae non videntur adamussim aptari matrimonio, licet et illa habeant rationem contractus, et matrimonii insuper naturam sequantur. Etenim inter haec duo maximum, ut vidimus § 14, adest discrimen, et insuper in uno agitur de vera traditione, seu de actu exsecutivo, in altero de sola promissione seu actu praeparatorio, adeoque intima ac omnimoda connexione

haud iunguntur, nec iisdem regulis ac principiis reguntur. Qui huic adhaerent sententiae, necessaria consecutione admittunt infidelium matrimonia metu inita valida esse.

Hoc autem impedimentum quamvis ecclesiasticum sit, ab Ecclesia tamen non relaxatur, quod fieri iuste prudenterque non possit. Aequum profecto non esset iniuriam illatam confirmare atque approbare, et efficere, ut timorem iniustum inferenti fraus sua et dolus patrocinaretur. Attamen deficientem ex metu consensum liberum poterunt vim passi, ubi sciant matrimonium nullum esse et invalidum, ex intervallo supplere vel per copulam sponte sua et affectu maritali subsequutam, vel per diuturnam cohabitationem spontaneam etiam sine copula, vel novo consensu libero etiam clandestino. Primo modo validatur matrimonium, quia ad eius valorem dumtaxat requiritur consensus illius personae, quae metum passa est, cum praecesserit et virtualiter perseveret consensus illius, qui metum induxit; sed qui copulam libere et affectu maritali, non animo fornicario habet, consensum suum praestat, proindeque matrimonium validetur necesse est. In foro externo locum sibi vindicat praesumptio, quod copula sponte et affectu maritali habita fuerit, nisi contrarium probetur. Cap. 30 de Sponsal. Pariter validatur matrimonium per spontaneam cohabitationem, quum ea sit signum sufficiens novi consensus, qui solum ad convalidandum matrimonium desideratur. Porro cohabitatio tum censetur spontanea, cum incussi antea timoris causa ita est sublata. ut pars, quae metum passa est, vel fugere, vel commode reclamare potuerit: non enim sufficit,

ut cesset metus causa, nisi etiam ea cessent, quae impediunt ne ille, cui timor incussus est, reclamet. Quanti autem temporis cohabitatio sufficiat, cum hac de re nihil a lege definitum sit (quod enim habet cap. 21 de Spons. ad facti, de quo agebatur, narrationem spectat), discutiendum relinquimus prudenti iudicis arbitrio, qui in dubio et fugiendi opportunitatem, et cohabitationis diuturnitatem in foro externo, accurate perpendet. Tertio validatur matrimonium novo consensu, qui sive verbo, sive signo, sive facto expressus praesumitur in foro externo liber, quamdiu contrarium non probetur. Haec ex iure canonico, et ex antiqua Ecclesiae disciplina certa sunt. Vide Sanchez l. 4, t. 18, n. 2. Bossium cap. 12; Panimollae decis. moral. et crit. l. 102. Verum, an et quandonam, post novam formam a Concilio Tridentino, ad impediendam fraudem, inductam, matrimonium initum vi et metu, ex triplici illo modo revalidari possit, in locis ubi decretum Tridentinum de clandestinitate, receptum est, quin novus insuper consensus coram Parocho depromatur, quaesitum fuit. Certa ab incertis sunt secernenda. In primis si impedimentum occultum manet, non est dubium, quin mutuo coniugum consensu, et spontanea habitatione, ac copula matrimonium convalescat, ut patet ex nonnullis S. C. C. decisionibus, ac ex S. Pii V rescripto ad Episcopum Hieracensem, ubi expresse dicitur, matrimonium metu initum, consummatumque, si in eius celebratione forma Tridentini servata sit, et impedimentum occultum maneat, mutuo coniugum consensu, et spontanea habitatione convalescere, ut refert Fagnanus in cap. 75, qui fidem de Spons. et Matr. Quaestio itaque in eo versatur, an hoc triplici

medio matrimonium metu initum convalescat, si in eius celebratione forma Concilii servata sit, et impedimentum deindè innotescat, ac publicum evadat. Sunt qui affirmant, eo quod nihil omnino a Concilio innovatum fuit quoad matrimonia vi ac metu inita. Cum itaque ante Concilium, sive novo consensu, sive copula affectu maritali habita, si spontanea habitatione matrimonium metu initum revalidari poterat, idem profecto iudicium ferendum est, si casus contingat post Concilii Tridentini decretum de clandestinitate. Accedit illud, quod impedimentum tempore celebrati matrimonii occultum reapse fuit; aliter coram Ecclesia iniri nequivisset, postea non amplius existit, quando publicum evadit, quandoquidem ex facto ipso coniugum per spontaneam habitationem, aut novum consensum aut copulam prorsus deletum est. Tandem non agitur de matrimonio ob clandestinitatem, vel aliud impedimentum quod absque dispensatione sanari nequeat, sed de matrimonio, cuius impedimentum est vitium aliquod consensus, solo novo consensu sanabile. Alii autem contra sentiunt, ac tenent novum semper requiri consensum coram Parocho et testibus, praesertim quod haec est S. C. C. praxis ac disciplina. Vide litt. Card. Arch. Viennensis ad Episc. Transilvan. datis 21 Febr. 1857.

Hoc loco quaeri poterit, an metus reverentialis nuptias dirimat? Praemittendum est, nomine metus reverentialis non eam solum intelligi verecundiae et reverentiae speciem, qua filii prosequuntur parentes et alios, quibus honor habendus est, verum etiam eo nomine intelligi existimationem et formidinem mali, quod timetur ab iis, quorum legitimae po-.

testati obnoxii sumus, nisi eorum voluntati obtemperemus. Itaque ex metu reverentiali filius ex. gr. matrimonium inire dicitur, quando oblatis a patre nuptiis non audet contradicere: in easque invito animo et quasi coactus consentit, tum ob pudorem et reverentiam, quae filiis naturaliter inest coram parentibus, tum etiam ob timorem, quem eadem reverentia inducit, ne in patris offensionem incurrat, ab eoque mulctetur. Mala autem, quae ex huiusmodi filiorum resistentia manare solent, diversa sunt, attenta parentum indole; alii moerorem ex filiorum resistentia conceptum tristitia dumtaxat vultus manifestant; alii in querelas erumpunt quandoque graviores, quandoque leviores; alii denique querelis adiungunt asperam agendi rationem, minas verberum, minuendae haereditatis, aliasque graves et iniustas vexationes; quae omnia iuxta diversas personarum circumstantias perpendenda sunt, ut probe iudicetur, an metus levis fuerit, an gravis. Generatim tamen dicendum est metum reverentialem seiunctum a verberibus, minisve gravibus, vel cohabitatione difficili et admodum molesta, aliove gravi periculo, matrimonium non dirimere, tum quia eius generis metus in virum prudentem constantemque non cadit, tum quia aequum est, ut filii voluntati parentum obsequantur ex metu quodam reverentiali: parentes enim oculatiores esse solent ipsis filiis, qui saepius experientiae parum, multum vero libidinis habent, et caeco impetu in nuptias proruunt.

§ 56.

De Ordine.

Antiqua est Ecclesiae disciplina, quae maiores clericos omnino castos esse iubet. Huius disciplinae fundamentum situm est in sanctitate status et ministerii, atque in primis divini sacrificii, cui in Ordinibus sacris constituti dant operam: « Cum simul voluptatibus et carnalibus desideriis, ac divinis et ecclesiasticis obsequiis vacare non valeant,» ut dicitur cap. 3 de Cler. coniug. Hinc Concilium Lateranense I, can. 21 : « Presbyteris, Diaconibus, et Subdiaconibus, et Monachis concubinas habere, seu matrimonia contrahere penitus interdicimus ; contracta quoque matrimonia ab huiusmodi personis disiungi, et personas ad poenitentiam debere redigi iuxta Sacrorum Canonum definitionem iudicamus. » Et Lateran. II, cap. 7 et 8: « Ut lex continentiae et Deo placens munditia in Ecclesiasticis personis, et sacris Ordinibus dilatetur , statuimus quatenus Episcopi , Presbyteri , Diaconi , Subdiaconi, Regulares Canonici, et Monachi, atque Conversi professi , qui sanctum transgredientes propositum, uxores sibi copulare praesumpserint, separentur. Huiusmodi namque copulationem , quam contra Ecclesiasticam regulam constat esse contractam, matrimonium non esse censemus. Id ipsum quoque de Sanctimonialibus, si, quod absit, nubere tentaverint, observari praecipimus. » Multa alia sunt Conciliorum et Pontificum decreta, quae Lateranensi sanctioni omnino concinunt. Itaque

Ordo sacer susceptus, licet non dirimat matrimonium iure contractum, tamen est impedimentum dirimens matrimonii contrahendi, atque adeo nuptiae ab eo attentatae, qui in aliquo sacro Ordine constitutus est, invalidae habentur, easdemque attentans tum gravissimi sacrilegii reus est, tum in tanti criminis poenam excommunicationem maiorem ipso facto incurrit latam a Clemente V his verbis: « Clericos in sacris Ordinibus constitutos matrimonium contrahentes excommunicationis sententiae ipso facto subiacere decernimus : » Clement. unic. de Consang. et Affin. ; itemque fit irregularis ob bigamiam similitudinariam , quam per attentatas huiusmodi nuptias contrahit, et denique ab officio et beneficio deponendus est, iuxta sequens Decretum Innocentii II in Concil. Romano : « Decernimus, ut hi , qui in Ordine Subdiaconatus et supra uxores duxerint, officio et beneficio ecclesiastico careant. »

At Graeci continentiae legem, vel votum sacrum Ordinibus non adnectunt, sive, ut loquitur Innocentius III, cap. 6, de Cler. coniug. « Orientalis Ecclesia votum continentiae non admisit, quoniam Orientales in minoribus Ordinibus contrahunt , et in superioribus utuntur matrimonio iam contracto. » Quamobrem Graeci uxoribus suis unicis ac virginibus , ante Ordinationem ductis uti non vetantur , non vero permittuntur post susceptos Ordines sacros nuptias inire. Haec Graecorum disciplina paullatim irrepsit, dein per Canones Trullanos stabilita, et ab Ecclesia latina ad schisma vitandum tolerata est. Vide Const. Ben. XIV. Etsi Pastoralis 26 Maii 1742. Papp-Szilagyi « Enchir. I. C. Orient. Cath. § 101 , et Zhishman op. « das

Eherecht der Orientalischen Kirche, » Vindob. 1864, p. 449.

Caeterum nullus Ordo sacer iure naturali, vel divino, sed tantum ex lege ecclesiastica, et voto nuptias dirimit. Non iure naturali, quia licet per sacram ordinationem deputetur homo et obligetur ad ministerium et cultum divinum, atque ad hanc obligationem rite et sancte adimplendam puritas et perpetua continentia multum conferat, ipsum tamen matrimonium, et honestus illius usus sacro ordini ex natura sua, seu ex naturali iure non refragatur, alias enim iis, qui sacro ordine in orientali Ecclesia sunt initiati concedi non potuisset. Non habet ex iure divino, quia in sacris litteris nulla exstat prohibitio, quae constitutos in sacro ordine a nuptiis omnino removeat; neque asseri potest, quod lex divina ex traditione habeatur. Licet enim Latina Ecclesia ex traditione servatum semper voluerit maiorum clericorum coelibatum, et in utraque ecclesia graeca et latina sacris ordinibus initiati impediantur ex traditione matrimonium contrahere, haec tamen non divina, sed ecclesiastica traditio dumtaxat est, nec ultra legis ecclesiasticae limites protenditur, ut inferius videbimus. Itaque Romani Pontifices ex gravissimis causis super hoc impedimento interdum, et praesertim, acerbissimo Angliae schismatis, et Gallicae perturbationis tempore, Iulius III per Cardinalem Polum, et Pius VII per eminentissimum Virum Caprara dispensarunt. Si quis vero ante rationis usum, vel etiam post, sed tamen ante pubertatem, Sacris Ordinibus initietur, lege continentiae haud obstringitur, nisi post completam pubertatem, hoc est post an. 16 suam ordinationem expresse, vel ta-

cite ratam habuerit. Vide Const. Ben. XIV Eo quamvis 4 Maii 1745, et Anno vertente 19 Iunii 1750. E contra expleta pubertate, sed ante legitimam aetatem ordinati sunt, per susceptionem sacri Ordinis legi servandae continentiae obstringuntur, adeoque impedimento ordinis dirimente detinentur. Quid dicendum est de eo, qui invitus, reluctans, ac coactus ordinatur? De hac re notandum est, eum, qui coactione absoluta ordinatur, invalide ordinari, eum vero qui per coactionem, vel vim causativam, sive conditionalem, licet valide ordinatum, tamen ab oneribus ordini adnexis solutum ac vacuum existere. Semper tamen iudicium, seu late dicta dispensatio, seu rescriptum iustitiae S. Apostolica requiritur, quod conceditur, metu probato et servata in processu forma Const. Ben. XIV Si datam, de ordine servando in causis nullitatis professionis regularis, ita ut ordinis defensor constitui et audiri debeat. Quaenam absoluta, quaenam causativa coactio habenda sit, exponit Barbosa vet. decis. vol. 37, l. 2, et 77, l. 3.

§ 57.

De impedimento ligaminis.

Tridentinum sess. xxiv de Matr. can. 2, definivit: « Si quis dixerit licere christianis plures simul habere uxores, et hoc nulla lege divina esse prohibitum, anathema sit. » Nemini itaque tum iure ecclesiastico, tum divino fas est, constante vinculo prioris matrimonii, etiamsi ratum tantummodo sit, ad alias nuptias convolare, matrimoniumque consummare, atque adeo irritae et invali-

dae sunt posteriores nuptiae, si contrahantur, quod impedimentum ligaminis appellatur. Id certum est, nec caput 3 de sponsa duorum negotium facessit, ut probant Maschat et Giraldi, ac praesertim Bartholus Inst. Iur. Can. c. 14, cuius explicatio citati capitis maxime nobis arridet. Neque per supervenientem prioris coniugis obitum matrimonium illud invalide contractum convalescit, nam ex Reg. 18 iuris in 6, *non firmatur tractu temporis, quod de iure ab initio non subsistit.* » Hinc Canones omnino vetant secundas nuptias iniri, nisi de morte prioris coniugis certo constet, quod Lucius III. rescripsit Christianis in captivitate positis cap. 2 de secund. Nupt.: « Id vobis respondemus, ut nullus amodo ad secundas nuptias migrare praesumat, donec ei constet, quod ab hac vita migraverit coniux eius. » Et Clemens III ad Caesaraugustensem Episcopum cap. 19 de Sponsal. et Matrim.: « In praesentia nostra quaesivisti, quid agendum sit de mulieribus, quae viros causa captivitatis et peregrinationis absentes ultra septennium praestolatae fuerint, nec certificare possunt de vita, vel de morte ipsorum, licet super hoc sollicitudinem adhibuerint diligentem, et pro iuvenili aetate, seu fragilitate carnis nequeunt se continere petentes aliis copulari. Consultationi ergo tuae taliter respondemus, quod quantocumque annorum numero ita remaneant, viventibus viris suis, non possunt ad aliorum consortium canonice convolare, nec auctoritate Ecclesiae permittes contrahere, donec certum nuntium recipiant de morte virorum. » Porro certitudo de obitu prioris coniugis generatim talis esse debet, ut de prudentis viri iudicio omnis scrupuli et dubii causa tol-

latur. Quare per se satis non est vel desperatae infirmitatis testimonium, cum multi qui in tali statu habentur, pristinam recuperent sanitatem, vel absentiae diuturnitas, quia multi etiam servitutis laboribus et calamitatibus oppressi longam vitam ducunt, vel tandem testimonium viri cuiusvis etiam oculati. Unde in genere Parochus exigere debet probationes, quae fulciantur vel duobus testibus non dubiae fidei, vel instrumento authentico e registris sepulturarum extracto et recognito ab Episcopo loci, in quo sepultus est defunctus, imo et quod approbatum fuerit ab Episcopo loci, in quo matrimonium secundum contrahi debet. Verum speciatim qualis sit oportet certitudo, et quinam istius assequendae modus a singulorum casuum conditionibus ac circumstantiis pendet, habita ratione vel regionis admodum remotae, vel belli aut pestilentiae grassantis in ea provincia, in qua coniux degebat, vel etiam eius provectae aetatis, aut aegrae valetudinis. Sic certitudo adesse censetur, 1° si de obitu coniugis persona in auctoritate publica constituta fidem faciat; 2° si unus adsit testis de visu, et plures de auditu, qui sub iuramento testentur, aliaque indicia verosimilia concurrant; 3° si fama sit universalis, eaque attentis adiunctis vehementem praesumptionem iniiciat. In hisce circumstantiis, Parochus non prohibetur, quominus novo matrimonio, absque ordinarii licentia assistat; verum caute admodum procedere debet, et expediens erit ordinarium consulere, qui de casu iudicabit, et si viderit certitudinem ab omni formidine de opposito solutam non esse, rem ad s. Sedem referet.

Si quis autem falsis documentis deceptus prio-

rem coniugem obiisse putans matrimonium bona fide contraxerit, postmodum vero comperiat adhuc vivere « relictis adulterinis amplexibus ad priorem coniugem reverti debet, » ut loquitur Lucius III, cit. cap. 2 de secund. Nupt.

§ 58.

De publicae honestatis iustitia.

Publicae honestatis iustitia est quaedam ex sponsalibus de futuro, aut ex matrimonio rato orta propinquitas, quam sponsus contrahit cum sponsae consanguineis etiam illegitimis, non autem affinibus utriusque, ex qua exurgit impedimentum matrimonii dirimens, quod eodem publicae honestatis nomine designatur. Dicitur *propinquitas*, quia praesefert aliquam speciem affinitatis, propter quam quaedam honestas ac decentia postulare videtur, ut nemo ei puellae nubat, cuius consanguineam aut sibi desponsavit, aut etiam matrimonio quodammodo suam effecit. Dicitur orta ex *sponsalibus de futuro*, aut *de praesenti*, et in hoc differt publica honestas ab affinitate; siquidem affinitas, de qua inferius, oritur vel ex copula licita, idest matrimonio, vel ex copula illicita, idest commercio carnali extra matrimonium; honestas autem provenit ex sponsalibus absque ullo commercio carnali. Dicitur *consanguineis*, non vero affinibus, quia ad affines non extenditur; quapropter posset sponsus, mortuae sponsae ducere non quidem sororem, sed viduam fratris sponsae, quia haec est affinis ipsi sponsae. Olim publicae honestatis impedimentum ex quibusvis sponsalibus, etiam invalidis oriebatur,

modo invalida non essent ex defectu consensus, et ad quartum usque gradum inter Sponsum et Sponsae consanguineos, ac vicissim nuptias dirimebat. In Concilio Lugdun. II, cap. unic. ex Sponsal. de Spons. et Mat. in 6, de mutanda aliquantulum hac disciplina cogitatum fuit, nil vero confectum. At vero iure novo per Tridentinum inducto, statutum est, quod impedimentum hoc ex sponsalibus tantum validis emergit, et primum gradum non excedit. Sess. XXIV, cap. 3 de Reform. Matr. sic statuitur: « Iustitiae publicae honestatis impedimentum, ubi sponsalia quacumque ratione invalida erunt, Sancta Synodus prorsus tollit. Ubi autem valida fuerint, primum gradum non excedant, quoniam in ulterioribus gradibus iam non potest huiusmodi prohibitio absque dispendio observari. » Itaque huiusmodi impedimentum non oritur: 1° ex sponsalibus indeterminatis, veluti si pater adolescenti promittat unam ex filiabus suis in uxorem daturum; quod sponsalia proprie non sint, cum in personam certam non ferantur. 2° Non oritur ex sponsalibus conditionatis ante conditionis eventum, ut colligitur ex cap. unic. de Sponsal. in 6, et interpretes communiter docent, quia conditione pendente consensus suspensus manet. 3° Non oritur ex sponsalibus initis inter eos, qui aliquo impedimento dirimente inhabiles sunt ad contrahendum, quia eius generis sponsalia nulla sunt. 4° Demum ex sponsalibus per parentes contractis nomine filiorum absentium, donec ipsi filii consenserint, rataque sponsalia fecerint. An impedimentum publicae honestatis extendi debeat etiam ad sponsalia de futuro, quae sint nulla et invalida ex causa fictionis, vel ex alio defectu ita occulto, ut in foro

externo probari nequeat controversia est inter doctores, de qua consuli poterit Sanchez l. 7, disp. 68, l. 13 et seq. et Pontius l. 7, c. 25, n. 10, pro affirmativa, pro negativa sententia Schmalzgrueber l. 8, f. 1, n. 105, ac S. Alphonsus de Ligorio Theol. Mor. l. 6, n. 1062. Caeterum publicae honestatis impedimentum, quod semel ex sponsalibus validis ortum est, perpetuo manet; nec aufertur etiamsi sponsalia mutuo consensu dissolvantur, quemadmodum S. C. C. saepius declaravit, et praecipue die 6 iulii an. 1658 apud Fagnanum in cap. AD AUDIENTIAM de Sponsal. et apud Zamboni Collect. decl. v. Mat. § 14, n. 4.

Quod vero ad matrimonium pertinet, publicae honestatis impedimentum consurgit ex matrimonio dumtaxat rato. « Matrimonium enim consummatum aut veram producit affinitatem, aut certe aliud impedimentum non parit, » ut recte monet Benedictus XIV de Syn. Dioec. lib. 9, c. 13, n. 4. Notandum hic est publicae honestatis impedimentum ex matrimonio rato invalide contracto ortum, post consummationem, remanere, et concurrere cum affinitate, quae supervenit; id ratione intelligitur et documentis comprobatur. Vide Const. S. Pii V. ad Romanum, 4 iulii 1568, et S. C. C. in Brixien. 1767, et in Valentina 15 aug. 1752. Cum vero Tridentina Synodus circa impedimentum publicae honestatis, quod oritur ex matrimonio rato, nihil innovaverit, hinc sicut olim, ita nunc quoque impedimentum huiusmodi exsurgit ex quolibet matrimonio rato, etiam invalido, dummodo invalidum non sit ex defectu consensus, et nuptias dirimit ad quartum usque gradum inclusive. Matrimonium autem ratum invalidum est ex defectu consensus, si

initum fuerit ob errorem in personam, vel ob servilis qualitatis ignorantiam, vel ob vim metumve gravem iniuste incussum; et propterea in his casibus impedimentum publicae honestatis non parit: si vero matrimonium ratum ex quocumque alio capite nullum, et invalidum sit, ex. gr. ob impedimentum consanguinitatis, affinitatis, impotentiae, voti solemnis, impedimentum semper gignit, et usque ad quartum gradum nuptias dirimit. At non levis inter doctores agitatur controversia, an impedimentum istud inducatur etiam per matrimonium ratum, quod nullum sit et irritum ob impedimentum clandestinitatis, quia videlicet non fuerit contractum iuxta decretum Tridentinum coram Parocho et testibus. Sanchez l. 7 de Mat. disp. 70, n. 13, censet neutiquam induci hoc impedimentum dirimens publicae honestatis, quia huiusmodi contractus ex defectu assistentiae parochi et testium non habet formam aut figuram matrimonii, sicut illam habet, quando contractus fiat cum aliquo impedimento. Oritur autem publica honestas ex coniunctione animorum, non quacumque, sed ex illa, quae fit in forma matrimonii, et sponsalium. Contra vero Pontius l. 8 de Matr. c. 36, n. 5, asserit hoc publicae honestatis impedimentum contrahi in proposito casu, quo nempe contractus fuerit initus absque praesentia Parochi et testium, quia publica honestas de iure antiquo inducebatur per quodcumque matrimonium ratum, licet nullum et irritum, dummodo non foret irritum ex defectu consensus. Iam vero hoc antiquum ius non fuit correctum circa matrimonium ratum a Concilio Tridentino. Haec sententia verior ac communior est, et impe-

dimentum, in casu, se extendit ad quartum gradum.

Quid vero dicendum est de quaestione, quam auctores nuperrimi proponunt, an ex matrimonio civili, impedimentum publicae honestatis exsurgat, dum contrahentes, civilis legis praescripto se subiicientes, matrimonium verum clandestinum conficere intendunt? Cum in casu agatur de matrimonio, quod aliter quam praesente parocho et duobus testibus initum est; iam patet casus ab illo, quem posuimus, non discriminari, unde qui sequuntur sententiam Sanchez respondent negative; affirmative e contra qui Pontio adhaerent, quos inter recensendi sunt Carrière, n. 365, Gury n. 1516, aliique doctores qui verius affirmant adesse publicam honestatem, in quarto gradu. Quid autem dicendum est, si contrahentes tantum ponant actum civilem, ut legi civili pareant, et effectus civiles consequantur, et simul sua intentione expresse excludant ullum matrimonium contrahere? Citati duo auctores putant oriri impedimentum publicae honestatis in primo gradu, eo quod simplex formarum civilium exsecutio dicenda est quaedam legitimi matrimonii inchoatio, vi cuius sponsi promissione mutua, saltem implicita, matrimonii petendi devinciuntur, adeo ut contractus civilis contractus sponsalitii characterem praeseferat. Alii autem arbitrantur nullum impedimentum exsurgere, quia actus civilis nec matrimonium clandestinum, nec obligationem sponsalitiam induxit. Non existere matrimonium clandestinum ex eo deducunt, quod sponsi contrahendi vere intentionem nullam habent. Quod vero nec inducat sponsalia, tum auctoritate, tum ratione demon-

strant: ratione quidem, quia in matrimonio civili assensus est de praesenti; ast assensus de futuro, non autem de praesenti sponsalia constituit; definiente Nicolao Pontifice c. Nostratis 30, q. 3, sponsalia « sunt futurarum nuptiarum promissio. » Auctoritate, quia S. C. C. constanter declaravit matrimonia, quae per Concilium Tridentinum abrogata sunt, in sponsalia minime transire; de qua re vide Ben. XIV, tract. 46, n. 23. Ita censet Van de Burgt de Mat. n. 181. Sunt demum qui putant matrimonio civili applicanda prorsus esse ea, quae de clandestino dicuntur, adeoque tenent oriri semper impedimentum publicae honestatis usque ad quartum gradum inclusive. Etenim in matrimonio civili, non magis deest consensus, quam in alio matrimonio clandestino, et licet quis sciat se nulliter contrahere, id tamen haud efficere potest, ut matrimonium dicatur nullum propter defectum consensus. In hoc sententiarum conflictu cum agatur de validitate sacramenti, valde prudenter parochus aget si in praxi, ubi casus occurrat, qui vix occurret, quia matrimonium ordinarie consummatur, nunquam consideret impedimentum, veluti non existens, aut in solo primo gradu existens.

Licet matrimonia rata impuberum, nisi malitia suppleat aetatem, in se invalida habeantur, tamen ex speciali Iuris Canonici dispositione in cap. Tuae de Sponsal. Impub., et c. un. eod. in 6, in sponsalia valida de futuro resolvuntur, nisi id expressa intentione excluserint; inde fit, ut ex eisdem matrimoniis tanquam ex validis sponsalibus impedimentum dirimens publicae honestatis ad primum tantum gradum contrahatur. Illud est huic

impedimento praecipuum et proprium; 1° quod dissolutis mutuo etiam consensu sponsalibus, illud nullo modo tollatur, quia inductam fuit sponsalibus validis, scilicet illis quae semel valida fuerint. Adest decl. S. C. C. 6 iulii an. 1658 approbata ab Alexandro VII; 2° quod retro non agat, hoc est prioribus sponsalibus unquam deroget, veluti si quis post sponsalia cum Berta valide contracta, cum eiusdem matre aut sorore nova sponsalia ineat, non vetatur Bertam ducere in uxorem, cap. un. de Sponsal. in 6, quia secunda sponsalia invalida sunt; at si post sponsalia cum Berta matrem vel sororem eius cognoverit, affinitatem contrahit, quae exsecutioni priorum sponsalium et matrimonio cum Berta ineundo prorsus obstat, cap. 8 et 9. De eo, qui cogn. consang. Hinc affinitas dicitur retro agere, idque de aliis impedimentis tradit Sanchez lib. 7 de Matrim. disp. 68, n. 23 et 24. Porro quid dicendum sit de eo, qui habitis cum Berta sponsalibus conditionatis, cum eius sorore habeat deinde copulam, et postmodum, purificata conditione, cum hac postrema matrimonium ineat, validum ne erit huiusmodi matrimonium? Diversa scribunt de hac re Revue Théol. sér. 3, p. 29, et Études Théol. l. c. Verum nullus dubito, quin matrimonium sit validum, quum nondum purificata conditione vera sponsalia non exsistant. Per sponsalia conditionata oritur quidem obligatio exspectandi eventum, sed effectus nullus sponsalium exsurgit.

Iam vero hoc impedimentum cum inductum sit solo ecclesiastico iure, et dispensationem admittit, et infideles non adstringit, quorum proinde matrimonia cum eo contracta valida sunt, et post bapti-

smum valida remanent, unde et conversus, in casu apostoli, poterit partis in infidelitate remanentis consanguineam in quocumque gradu ducere. Verum si infidelis cum hoc impedimento solum sponsalia valida, vel etiam matrimonium ratum iniverit, et deinde conversus animadverterit impedimentum adesse, quod tamen tempore infidelitatis locum habuit, affirmant plures necessario dispensationem requiri, propterea quod publica honestas, licet non obstet valori matrimonii tempore infidelitatis contracti, obstat tamen eius valori post baptisma, si ratum tantum sit et impedimentum dirimens evadit.

§ 59.

De Affinitate.

Affinitas est personarum propinquitas ex perfecta carnis commixtione proveniens, eoque nomine vocatur affinitas, quod per carnalem copulam una cognatio ad alterius cognationis finem accedit. Siquidem per copulam vir et femina unum fiunt: unde efficitur, ut vinculo isto consanguinei feminae cum viro, et consanguinei viri cum femina affinitate coniungantur. Hinc sequitur: 1° Virum et feminam, qui corporum commixtione copulantur, affines inter se proprie non esse, sed principium affinitatis, et quasi stipitem, a quo affinitatis gradus numerantur, sive, ut Gratiani verbis utar in notis ad arborem affinitatis caus. 35, quaest. 5: « inter virum et mulierem non contrahitur affinitatis causa. » Hinc vir poterit mulierem in matrimonium ducere, quam carnaliter antea cognoverat. 2° Neque ex sponsalibus

de futuro, neque ex matrimonio rato affinitatem oriri, quod in utroque casu deest ratio affinitatis, nimirum corporum coniunctio, per quam vir et mulier una caro efficiuntur. Proinde ex sponsalibus de futuro et ex matrimonio rato impedimentum oritur publicae honestatis, de quo egimus. 3° Affinitatem non oriri, nisi seminum commixtio intercedat; secus enim copula perfecta non est, nec facti sunt duo in carne una; « quantumvis, ait S. Thomas in 4 distinct. 41, quaest. un. art. 1, aliquis claustra pudoris invadat, nisi commixtio seminum sequatur, non oritur ex hoc affinitas.» 4° Affinitatem oriri non solum ex copula licita, sed etiam illicita; nam « qui adhaeret meretrici, unum corpus cum illa efficitur, » ut legitur I. ad Corinth. cap. 4. 5° Affinitatem oriri ex copula, quae habeatur cum muliere prorsus invita ac renitente, aut etiam dormiente, aut ebria, cap. Discretionem. De eo qui cogn. consang.; namque ad affinitatem contrahendam satis est carnalis cognitio, seminumque commixtio, non voluntas personarum postulatur.

Triplex olim exstitit affinitatis genus. Primum erat illud, de quo loquuti sumus, alterum in eo situm erat, ut affinitas pareret affinitatem, tertium denique habebatur, quum consanguinei mulieris affines fierent consanguineis viri, et vicissim. Verum Innocentius III in Concilio Lateranensi IV, prout refertur in Cap. Non debet 8 de Consan. et affin. iustissimis de causis ibidem recensitis, secundum et tertium affinitatis genus de medio sustulit, et primum dumtaxat genus in suo robore permanere constituit. Nunc itaque cum affinitas non pariat affinitatem, neque promanet inter consangui-

neos uxoris et consanguineos viri, aut vice versa, sed tantum inter mulierem cognitam et consanguineos viri cognoscentis, et vicissim inter virum cognoscentem et consanguineos mulieris cognitae contrahatur, hinc fit, ut duo unius familiae fratres duabus alterius familiae sororibus nubere possint, pater et filius unius familiae matrem et filiam alterius familiae in uxores ducere. « Super eo inquit idem Pontifex Innocentius III cap. QUOD SUPER de Consang. et Affin., quod pater et filius cum matre et filia, avunculus et nepos cum duabus sororibus contrahant matrimonium, taliter tibi duximus respondendum, quod licet omnes consanguinei viri sint affines uxoris, inter consanguineos tamen uxoris et viri, ex eorumdem scilicet viri et uxoris coniugio, nulla est prorsus affinitas contracta, propter quam inter eos matrimonium debeat impediri. » Similiter matrimonium valide contrahi potest inter vitricum et uxorem privigni, inter privignum et matrem, filiam, aut sororem novercae, inter superstites coniuges fratris ac sororum mortuorum, uti late probat Benedictus XIV de Synod. Dioeces. lib. 9, cap. 12, aliaque eius generis matrimonia iniri queunt.

Affinitas habet stipitem, lineam, et gradum. Stipitem constituunt vir et femina, inter quos carnalis copula intercessit, quia sunt, ut diximus, affinitatis principium. Linea duplex est, alia recta, alia obliqua. In linea recta affines uxoris sunt qui in eadem linea sunt consanguinei mariti. In linea obliqua, affines sunt respectu uxoris, qui in linea obliqua consanguinei sunt mariti, et vicissim. Denique in affinitate gradus est distantia u-

nius affinis ab altero affini. Nomina diversorum affinium, et quomodo arbor affinitatem conficiatur, auctores passim indicant.

Pro dignoscendis gradibus affinitatis haec regula traditur: quoto gradu persona quaelibet est consanguinea viro cognoscenti, eodem gradu fit affinis mulieri cognitae, idque in linea recta vel obliqua. Hinc mater et filia mulieri eisdem consanguineae in primo gradu lineae rectae, eodem gradu in linea rectà fiunt affines viro: soror, quae mulieri est consanguinea in primo gradu lineae obliquae, eodem gradu in linea obliqua fit affinis viro, et sic de caeteris. Opportunum modo est, ut inquiramus ad quem usque gradum impedimentum dirimens affinitatis extendatur. Iure antiquo matrimonium inter affines prohibebatur et irritabatur usque ad septimum gradum, et hoc habebat locum, sive affinitas oriretur ex copula licita, sive illicita. At de iure recentiori, seu, ut melius dicamus, de iure medio, affinitas ex copula licita sive illicita promanans matrimonium dirimit ad quartum usque gradum inclusive: « Prohibitio copulae coniugalis ad quartum gradum de caetero non excedat, quoniam in ulterioribus gradibus iam non potest absque gravi dispendio huiusmodi prohibitio generaliter observari.» Ita statutum est a Concilio Later. IV, can. 30, quo impedimentum istud, quemadmodum impedimentum consanguinitatis, latius antea patens coërcitum est, nullo facto discrimine inter copulam licitam et illicitam, quae semper matrimonium ad quartum usque gradum inclusive dirimit. Verum iure novissimo indutum est inter utramque copulam discrimen; siquidem affinitas ex copula licita proma-

nans adhuc dirimit matrimonium usque ad quartum gradum inclusive; si vero affinitas ex copula illicita seu fornicaria, aut adulterina exoriatur, ex dec. Syn. Trid. sess. XXIV, cap. 4 de Ref. Matrim., ad secundum tantum gradum inclusive nuptias dirimit; ibi: «Praeterea S. Synodus gravissimis de causis adducta impedimentum, quod propter affinitatem ex fornicatione contractam inducitur, et matrimonium postea factum dirimit, ad eos tantum, qui in primo et secundo gradu coniunguntur, restringit; in ulterioribus vero gradibus statuit huiusmodi affinitatem matrimonium postea contractum non dirimere.» Quod quidem uberius adhuc S. Pius V in Constit. « AD ROMANUM » declaravit, ubi ait: « Nos omnem ambiguitatem tollere, et animarum tranquillitati, quantum cum Deo possumus, consulere volentes, declaramus, et auctoritate Apostolica decernimus, nullum hodie impedimentum remanere, quominus in ulterioribus gradibus huiusmodi libere ac licite matrimonium contrahi possit.» Quaeritur hic, an ad quartum gradum extendatur affinitas ex matrimonio consummato, sed invalido? Iam vero si matrimonium consummatum est bona fide ex utraque parte, nullum adesse dubium videtur, quin ad quartum gradum affinitas extendatur. S. C. C. in Brixiens. Matrim. 3 Decemb. 1667 agit de casu huiusmodi, namque vir, postquam matrimonium consummatum a se declaratum fuit irritum ob consanguinitatem, quum praetensae suae uxoris consanguineam in tertio gradu ducere vellet, S. C. reposuit: « Non posse, obstante illi impedimento tum publicae honestatis, tum affinitatis. « Vide decis. in Valent. 15 Apr. 1762. Si vero matrimonium consummatum

fuit mala fide utriusque, vel alterutrius partis, auctores non consentiunt inter se, et alii ad secundum gradum extendunt, quia copulam fornicariam tum subiective tum obiective habent; alii e contra ad quartum gradum protendunt, et argumentum hauriunt, non in reali copulae qualitate, sed in ratione legis, et praecipue in publico affinitatis charactere, qui ex matrimonio invalido, aeque ac ex valido, pariter oritur, nec discrimen inter bonam aut malam fidem admittit. Isti auctores excipiunt matrimonium invalidum propter clandestinitatem, eo quod deest character et figura matrimonii, quod tamen nec iure, nec facto haud facile admitti posse videtur; siquidem defectus characteris nil efficit omnino, et praeterea aliqua saltem figura sacramenti semper adest. In hoc sententiarum discrimine consultius est ut, casu occurrente, quaestio ad S. Sedem deferatur. Affinitas multiplex esse potest, ut consanguinitas, et totidem vincula constituit, quae necessario exprimenda sunt, ut dispensatio valeat. De multiplici affinitate vide Corradum l. 7, c. 5, n. 95, et Caillaud t. 2, n. 170, et t. 2, n. 229.

Affinitas in quolibet gradu lineae transversae solo iure ecclesiastico nuptias dirimit. Etenim in veteri lege viduam fratris vita functi in matrimonium ducere licuit: quin imo exstat lex Deuteronomii XXV sic expressa: « Quando habitaverint fratres simul, et unus ex his mortuus fuerit absque liberis, uxor defuncti non nubet alteri, sed accipiet eam frater eius. » Quis autem in animum suum induxerit latam a Deo legem iuri naturali contrariam? Hinc Romani Pontifices super huiusmodi impedimento interdum dispensarunt atque, ut alia omit-

tamus exempla, Iulius II dispensavit cum Henrico VIII Angliae Rege, ut Catharinam Aragoniam fratris sui Arthuri viduam, sibique in primo affinitatis gradu lineae transversae coniunctam, duceret in uxorem, quam quidem dispensationem cum irritam esse contenderet Henricus, ut Annae Bolenae nuberet, Clemens V, consultis catholici orbis universitatibus, et post maturum examen eamdem validam omnino et legitimam fuisse pronuntiavit. At gravior difficultas est, an affinitas in linea recta, et saltem in primo gradu eiusdem lineae, iure naturali, nuptias dirimat? Iam vero si affinitas ex illicita copula ortum habeat, Doctores facile consentiunt, quidquid pauci cum S. Antonino Archiep. Florentino contra dicant, huiusmodi affinitatem lege tantum ecclesiastica validitati nuptiarum obesse, atque adeo Pontificem posse eam legem relaxare, quemadmodum Apostolica Sedes haud raro dispensat, ita tamen ut si huiusmodi affinitas proveniat ex copula cum matre desponsatae, nativitas desponsatae copulam ipsam antecedat, ad evitandum periculum propriam ducendi filiam in uxorem. Affinitas enim, quae ex fornicatione oritur, nec tantum praeseferт indecentiae, ac scandali, quantum ex coniugio inter affines ex legitima copula enascitur, nec est adeo perfecta atque illa, quae ex legitimo matrimonio originem trahit; nam per matrimonium affines in linea recta praeseferunt quamdam rationem inter se parentum ac liberorum; qua quidem ratione affines ex copula fornicaria destituuntur. Quamobrem, ut observat Sanchez lib. 7 disp. 65, num. 9: « Sunt nomina imposita affinibus per copulam coniugalem: nulla sunt imposita affinibus ex copula fornicaria. » Quibus sic

enucleatis, si quis tempore infidelitatis fornicatus fuerit cum Berta, et postmodum duxerit eius filiam, matrimonium erit omnino validum, neque separandi erunt, si postea ad fidem convertantur.

Itaque difficultas praecipua est, an affinitas ex copula licita, seu matrimoniali, inter affines in linea recta, et saltem in primo gradu, veluti inter socerum et nurum, socrum et generum, vitricum et privignam, novercam et privignum, iure naturali, nuptias irritet? Huius difficultatis nodus nondum expeditus est. At videtur magis rationi et auctoritati consentanea sententia esse, quae putat quidem huiusmodi nuptias valde indecoras, non tamen naturali lege invalidas. Nam personae huiusmodi, puta noverca et privignus, rationem parentum et liberorum re ipsa non habent sine fictione quadam, dum inter eos non occurrit vera ratio principii et principiati, ut Scholastici loquuntur, et proinde non ea datur inter eos mutua auctoritatis et subiectionis relatio, isque pudor et reverentia, quae debito coniunctionis ordini opponatur, quemadmodum inter patrem et filiam, inter filium et matrem reperitur. Haec sententia confirmatur auctoritate Conciliorum. Siquidem Concilium Agatense an. 506, can. 61, haec habet: « Si quis frater germanam uxoris acceperit, si quis novercam duxerit, quos omnes et olim, atque sub hac constitutione incestos esse non dubitamus, quod ita praesenti tempore prohibemus, ut ea quae sunt hactenus instituta, non dissolvamus. » Et Concilium Epaonense an. 517, can. 61: « Incestos hos esse censemus, si quis relictam fratris, quae pene prius soror exstiterat, carnali coniunctione violaverit, si quis novercam du-

xerit, quod a praesenti tempore prohibemus, ita ea quae sunt anterius instituta, non solvimus. » Concinit Concilium Aurelianense III can. 10. Iam vero si huiusmodi coniugia lege naturali dirimerentur, tum fideles, tum etiam infideles fidem catholicam amplexi, quia legi naturali subsunt, ab huiusmodi uxoribus separandi omnino fuissent. Nihilo tamen minus eius generis matrimonia adeo inhonesta sunt et indecora, ut nullum exstet exemplum dispensationum super similibus nuptiis ineundis, quamvis Romani Pontifices pluries rogati fuerint. Vide Riganti Comment. in reg. 49 Can., Ben. XIV de Syn. Dioec. l. 9, c. 13.

Ex quibus sic deductis statui potest 1° affinitatem non constituere impedimentum matrimonii quoad infideles, qui tempore infidelitatis contraxerunt, adeoque post eorum conversionem, si nullum aliud adsit impedimentum, connubium validum remanere nec dissolvi, aut irritari. 2° affinitatis impedimento detineri infidelem, qui post baptisma matrimonium contrahit cum consanguineis etiam infidelibus personae per copulam sive licitam, sive illicitam cognitae tempore infidelitatis, siquidem affinitas, quae, durante infidelitate, valori matrimonii haud obsistebat, per baptismum impedimentum dirimens fit. Hisce de affinitate antecedente expositis, restat nunc ut notemus per affinitatem supervenientem non dissolvi matrimonium contractum, quod ubi legitime fuerit consummatum sola morte perimi inter fideles possit. Haec affinitas, quae matrimonio iam contracto supervenit, reum privat iure petendi debitum, quando copula exstitit cum persona in primo vel secundo gradu coniugi alteri consanguinea, et quum haec privatio potius poenae, quam inhabilitatis naturam induat, dici potest haud incurri, si adsit tum ignorantia facti, tum probabiliter etiam iuris, de qua vide S. Alphonsum de Liguori l. 6, p. 1071-1074, et Tract. Mechlin. p. 137.

§ 60.

De impotentia.

Impotentiam hoc loco vocamus inhabilitatem vel ex parte viri, vel ex parte feminae ad matrimonium consummandum, perfectamque copulam habendam. Cum autem commercium carnale naturaliter compleri possit, etiamsi generatio non sequatur, non est iudicanda impotentia, si mulier fuerit sterilis. Hic agitur de impotentia coëundi, idest habendi copulam ex se aptam ad generationem, non de impotentia generandi, seu producendi prolem. Est autem impotentia vel naturalis et intrinseca, vel accidentalis et extrinseca. Prior ex naturae defectu, posterior ex maleficio, vel ex hominis opera proficiscitur. Utraque vel perpetua est vel temporalis; perpetua, est si nonnisi cum mortis periculo, aut per miraculum, aut per media illicita auferri possit. Temporalis vero dicitur, si queat aut medicae artis ope, aut per exorcismos Ecclesiae, aut aliis modis licitis superari. Tandem alia est absoluta, alia respectiva: absoluta est, quae in viro respectu omnium mulierum, aut in femina respectu omnium virorum reperitur; respectiva est, quae aut virum aut mulierem respectu certae personae, non vero respectu aliarum omnium inhabilem reddit ad matrimonium consummandum. Quaelibet autem impotentia, si matrimonium praecesserit, antecedens, si iam contractum subsequuta sit, subsequens appellatur.

His praemissis, haec apud omnes certa sunt:

1° Impotentiam temporalem, sive antecedentem, sive subsequentem non dirimere matrimonium, cap. 6 Fraternitati De frig. et malef. Nam impotens ad tempus potest ius in corpus transferre cum obligatione copulae, ubi impotentia cessaverit: quemadmodum rite contrahitur obligatio ad id praestandum quod, quamvis praestare praesenti tempore non valeas, in posterum tamen poteris, aut saltem prudenter speras te fore in posterum solvendo parem. Ad matrimonii validitatem non exposcitur eiusdem usus, sed potentia ad usum. Hanc potentiam habent ii omnes, qui licet hic et nunc ob morbum aliquem coire nequeunt, poterunt tamen in posterum. Hinc nuptiae impuberum, quandoquidem impotentia perpetua non est, irritae sunt iure tantum ecclesiastico, ut observat Bened. XIV Const. Magna Nobis 8 Ian. 1748, et deinceps dicemus, ac proinde poterit Pontifex dispensare. Quin, ipso iure ecclesiastico impuberum coniugia valida sunt, si praecox malitia, et corporis aptitudo aetatem suppleat, et eo casu nulla opus est Pontificis dispensatione, sed sola Episcopi declaratione eos esse coniugio idoneos. 2° Impotentiam subsequentem, licet perpetuam, non dirimere matrimonium, tum quia omnis contractus natura est, ut per supervenientem rei mutationem non dissolvatur, tum praecipue quia vinculum matrimonii indissolubile omnino est. Idque locum sibi vindicat, etiamsi impotentia consummationem matrimonii praecesserit; siquidem semel validum matrimonium, ob subsequentem quovis tempore defectum, neque rite contractum esse cessat, neque ideo dissolvi potest. Relinquitur tantum hoc casu, ut ratum matrimonium dissol-

vatur, si alteruter ex contrahentibus religionem approbatam solemniter profiteatur, vel Summus Pontifex per viam gratiae dispenset. 3° Certum est solam impotentiam perpetuam et antecedentem, sive naturalis sit, sive accidentalis, sive absoluta, sive respectiva, sive ante matrimonium contrahentibus nota fuerit, sive ignota, matrimonium dirimere utroque iure et naturali et ecclesiastico. Cum enim procreandae prolis causa nuptiae comparatae sint, ad essentiam matrimonii pertinet potentia perfectae copulae habendae, sine qua haud potest ipsius matrimonii usus et finis obtineri. Ad rem S. Thomas in 4 distinct. 34, quaest. unic. a 2 ad 1: « Quamvis actus carnalis copulae non sit de essentia matrimonii, potentia tamen ad hoc est de eius essentia, quia per matrimonium datur utrique coniugum potestas in corpore alterius respectu carnalis copulae. » Cum igitur quaelibet res absque sua essentia naturaliter consistere nequeat, ex iure naturali irritum erit matrimonium, si ea sit ab initio viri aut mulieris imbecillitas, ut ipsum consummare non valeant. Huc etiam facit Regula Iuris, L. 185, *impossibilium nulla est obligatio*. Hinc Alexander III cap. QUOD SEDEM de frig. et malef. respondet Episcopo Ambianensi; « Sicut puer, qui non potest reddere debitum, non est aptus coniugio, sic qui impotentes sunt, minime apti ad contrahenda matrimonia reputantur. » Et Sixtus V in suis litteris « CUM FREQUENTER » ad Episcopum Novariensem apud Regem Hispaniarum Apostolicum Nuntium 2 Ian. 1587 datis, universim declarat quod « secundum Canonum sanctiones et naturae rationem, qui frigidae naturae sunt et impotentes,

iidem minime apti ad matrimonium contrahendum reperiuntur.» Regulariter autem in eisdem litteris de Eunuchorum matrimoniis sic edixit: «Fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut coniugia per dictos et alios quoscumque eunuchos et spadones utroque teste carentes cum quibusvis mulieribus defectum praedictum sive ignorantibus, sive etiam scientibus contrahi prohibeas, eosque ad matrimonia quomodocumque contrahenda inhabiles auctoritate nostra declares, et tam locorum Ordinariis, ne huiusmodi coniunctiones de caetero fieri quoquo permittant modo interdices, quam eos etiam qui sic de facto matrimonium contraxerint, separari cures, et matrimonia ipsa sic de facto contracta, nulla, irrita et invalida esse decernas.»

Iam vero si evidentibus physicis signis, aut legitimis documentis post corporis examen, certo constet, impotentiam adesse, eamque et perpetuam esse, et matrimonium praecessisse, statim vir et mulier separandi sunt, et matrimonium declarari nullum a iudice potest. Si vero signa impotentiae sint tantum moraliter certa, iuramentum ab ipsis coniugibus, et insuper a septem pro utraque parte consanguineis vel vicinis emittendum est. Hi septem consanguinei, ac vicini vocari solent *septima manus*. Coniuges debent iurare, se matrimonium non potuisse consummare, alii vero credere, coniuges dixisse verum. Hi ergo testantur de credulitate, illi de veritate. Quo facto, si periti iudicant adesse impotentiam, nullitas absque longiori mora pronuntiari potest. Si vero aliquod dubium exoriatur, natura et qualitas dubitationis expendenda est. Nam si dubitetur, utrum dicta impotentia matri-

monium praecesserit, aut subsequuta fuerit, tunc, si ea naturalis sit et intrinseca, praecessisse praesumitur; quod enim a natura inest, semper adfuisse censetur. Si vero accidentalis sit et extrinseca, matrimonium subsequutam esse praesumitur. « Cum enim, ait Sanchez lib. 7, disp. 103, num. 5, natura ipsa hominem illum potentem produxerit, asserenti eum aliquando impotentem fuisse onus probandi incumbit, utpote cui adversatur praesumptio a natura ipsa descendens. » Quae praesumptio maxime valet, quando coniux de alterius impotentia diu post contractum matrimonium conqueri incipit: « Si enim reclamare voluit, cur tandiu tacuit? cito enim et praevio tempore scire potuit, si secum coire potuisset. » Ita cap. Accepisti de frig. et malef. At si dubia adhuc adsint signa, nec moralis certitudo a iudice acquiri potest, vel si constiterit de impotentia antecedente, et dubitetur an absoluta, vel relativa, an ea perpetua sit, an temporalis, tum locum habet celeberrima Constitutio Coelestini III cap. Laudabilem eod., in qua sic statuit: « Requisivisti quantum temporis indulgendum sit naturaliter frigidis ad experientiam copulae coniugalis? Nos vero praesenti consultatione sentimus, ut a tempore celebrati matrimonii, si frigiditas prius probari non possit, cohabitent per triennium. « Triennium porro ex praxi, ac stylo curiae a die decreti si paullo post matrimonium reclamatio locum habuit, computandum esse videtur ex iis, quae habet S. C. C. in Lucen. 4 Maii 1775. Si per plures annos coniuges cohabitaverint, experimentum a tempore copulae attentatae computatur. Manente autem dubio, haec a Sacris Canonibus sancita sunt: 1° Si

vir a se cognitam uxorem contendat, mulier autem neget, viro affirmanti credendum est, quia vir est caput mulieris. Haec regula firmatur ab Alexandro III cap. CONTINEBATUR de Desponsat. impub. : « Consultationi tuae taliter respondemus, quod cum in decretis habeatur expressum, quod si vir dixerit, quod uxorem suam cognoverit, et mulier negaverit, viri standum est veritati; praefato viro, qui dicit se mulierem ipsam cognovisse fides habenda, si iuramento id firmaverit. » Quod si mulier virum arguat mendacii et periurii, seque virginem probari velit, inspectio decerni potest. « Cum partes, inquit Gregorius VIII in cap. PROPOSUISTI de Probat., essent in tua praesentia constitutae, mulier proposuit, se nequivisse a viro cognosci; quod tam proprio iuramento, quam testimonio septem mulierum probaverit, quae per aspectum corporis eam esse virginem asseverant, viro per iuramentum suum contrarium asserente. Videtur igitur nobis quod iuramento puellae, et testimonio illarum septem mulierum fides est potius adhibenda. » 2° Si vir negaverit, mulier vero se cognitam esse contestetur, et aliae probationes pro viro non suppetant, videtur mulieri fides habenda esse, tum « quia vir, ut observat S. Raymundus lib. 14. Summae tit. de Impotent. coëundi, in ea hypothesi actor est, et si non probat quod asseverat, mulier cum sit rea, etsi nihil praestiterit, absolvi debet ab imputatione viri; » tum quia in pari causa melior est conditio possidentis, tum quia non praesumitur feminam velle cum viro impotente cohabitare. 3° Si uterque coniux impotentiam fateatur, etiamsi triennium experimenti completum sit, eisdem iuramentum

defertur, ut omnis fraus aut collusio, quoad eius fieri possit, avertatur. Itaque uterque coniux cum septima manu parentum, aut vicinorum bonae famae, si propinqui defuerint, tactis sacrosanctis Evangeliis, iurare debent, quod numquam per carnis copulam una caro effecti sint. Coniuges autem de veritate, hoc est de certa scientia iurare debent, propinqui de credulitate, se nimirum credere, quod coniuges bona fide et absque dolo matrimonium consummare nequiverint. 4° Soluto matrimonio ex capite impotentiae alteri, quae impotens non est, vel si impotentia respectiva sit, utrique parti conceditur transitus ad alias nuptias. Si vero post novas nuptias coniux, qui perpetuo impotens putabatur, subeundis matrimonii oneribus postmodum habilis inveniatur, matrimonium prius redintegratur iuxta cap. Laudabilem, et cap. Fraternitatis de Frig. et malef. Neque enim sententia in causa impotentiae lata transit in rem iudicatam. 5° Si coniuges impotentes velint cohabitare tamquam frater et soror, id eis permittitur per cit. cap. Laudabilem, et cap. Consultationi eod. Unde colligitur matrimonium bona fide contractum a nemine posse, ex causa impotentiae, nisi ab ipsis coniugibus accusari. Quia vero haec fraterna societas plena periculi est, praesertim si vir et mulier florentis adhuc aetatis sint, praestat agere, ut ad separationem auctoritate Ecclesiae inducantur: quippe in eo casu praevalet ius naturale, quod iubet omnem peccandi occasionem declinari. Caeterum fraterna huiusmodi societas impotentium nullum ius tribuit in corpora, neque matrimonium est, quemadmodum Doctores communiter tradunt contra Paludanum, Pontium, a-

liosque paucos. Vide Giraldi p. I, sect. 724-725.

Ex quibus omnibus colligitur matrimonium eorum quorum alter probatur impotens, non esse propria contrahentium voluntate, sed iudicis Ecclesiastici auctoritate dissolvendum, tum quia alioquin suboriretur scandalum, cum huiusmodi personae pro legitimis coniugibus passim haberi soleant, tum quia facile contingeret, ut alter vel uterque, mutuae habitationis pertaesus, fictitiae impotentiae labem alteri imponeret. Processus porro ad formam Const. Ben. XIV Dei miseratione, et iuxta S. C. C. instructionem 22 Aug. 1840 confici debet, et ita quidem, ut primum excutiatur, an procedendum sit ex iustitia super nullitate matrimonii ex capite impotentiae praecedentis ac perpetuae, vel potius ex gratia solum super disputatione a matrimonio rato, et non consummato, ob impotentiam temporariam ac sequentem, aliaque causa, aut simul ex iustitia et gratia, quo casu ponitur quaestio nullitatis et dispensationis hoc duplici dubio: 1° An constet de nullitate matrimonii in casu, 2° et quatenus negative, an sit consulendum SS^mo^ pro dispensatione a matrimonio rato et non consummato? Si vir et mulier, iudicis Ecclesiastici auctoritate, ex impotentiae causa, declarata matrimonii nullitate, separati fuerint, nullum dubium, quin pars copulae idonea secundum possit contrahere matrimonium, non autem pars ad copulam impotens, nisi impotentia sit solum respectiva cum certa persona; quo in casu potest matrimonium contrahere cum alia, ad quam potens esse praesumitur. Si non constat de impotentia, adeoque de nullitate matrimonii, tota quaestio eo reducitur, ut videatur, an ex gratia dispensari possit a matrimonio rato, dummo-

do consummatum illud non fuerit, et si rationum adsint momenta, ac causae suppetant, proposito duplici dubio respondetur; ad 1^m providebitur in 2°; ad secundum affirmative, vel simpliciter, si de coniugis impotentia non adsit dubium, vel addita clausula in casu dubii, vetito coniugi transitu ad alias nuptias, inconsulta Sacra Congregatione. Si vero haud probatur matrimonium fuisse ratum tantummodo, adeoque dubitatur, quin consummatum exstiterit, duplici dubio negativum responsum datur.

Quae diximus de impedimento impotentiae viam nobis sternunt, ut propter materiae affinitatem investigemus, quae ad matrimonii valorem aetas requiratur. Ea vero de iure Canonico est pubertas, seu annus 14 in masculo et 12 in femina utrinque completus, vel mathematice de momento in momentum, vel saltem moraliter, quemadmodum patet ex pluribus capitibus, quae prostant in tit. de Desponsatione impuberorum et ex interpretibus ad eumdem titulum. An haec aetas necessaria etiam sit de iure naturali, disputatur, et alii affirmativam, alii negativam tuentur sententiam. Nos autem dicimus solo iure ecclesiastico, ad valorem matrimonii pubertatem requiri, quia iure naturali, praeter consensum nil aliud requiritur, quam habilitas corporum, etsi haec proxime et actu non verificetur. Sane impotentia impuberum est temporalis, utpote quae adveniente aetate penitus tollitur; aliunde nihil tam certum est, quam illud, quod nempe valide quis obligare possit ad praestandum id, quod actu quidem praestare non potest, potest tamen, aut saltem spem habet praestandi in futurum. Vide Bened. XIV Const. MAGNAE

NOBIS, 8 Iul. 1748. Qua posita sententia sequitur 1° matrimonia impuberum inter infideles, nisi adsit lex, quae illa irritet, valida esse, quia ecclesiasticis legibus non obstringuntur. 2° A Romano Pontifice dispensari posse etiam cum fidelibus ut adhuc impuberes rationis usu pollentes matrimonium contrahant, idque pro bono pacis, vel ex alia iusta gravique causa, adhibitis tamen necessariis cautelis, quod factum fuisse a S. Pio V, Clemente VIII, et Gregorio XIV historiae documenta testantur. 3° Validum esse matrimonium, quod legitima aetate pubes inivit, licet nondum carnalem copulam habere possit. Cum enim aetas legitima adsit, nec aliunde constet de ullo perpetuo impedimento, matrimonium subsistere debet, quamvis contrahens de facto nequeat coniugales actus exercere: ratio autem rationis huiusmodi ea est, quia Ecclesia in iis, qui puberes iam sunt, neutiquam exposcit potentiam de praesenti, ut aiunt, alias siquidem illud sequeretur absurdum, quod impotens ad actus coniugales, propter temporariam corporis infirmitatem matrimonium contrahere neutiquam posset.

Praeterea affirmandum omnino est, matrimonium ante 12 annum in feminis, vel 14 in masculis valide contrahi posse, si malitia aetatem praeveniat, nulla praevia Ecclesiae dispensatione. Etenim in contrahendo matrimonio spectatur habilitas ad actus coniugales, seu aptitudo physica, et capacitas doli, sive ea aptitudo moralis, ac mentis et iudicii discretio, quae ad vim coniugalis consensus intelligendam satis sit, quocirca, si haec duo concurrant,validum omnino erit matrimonium etiam ante aetatem praesumptam; et sane ideo

tempus, iure canonico praescribitur matrimonio, quia ante illud tempus puberes regulariter esse non solent. Posito autem, quod malitia praeveniat aetatem, nulla dispensatione opus est ad matrimonium contrahendum, siquidem determinatio aetatis est dumtaxat conditionata, quatenus nempe malitia aetatem non praevenerit. Ast ad ordinarium loci spectat decernere de quaestione facti, an scilicet, ut asseritur, malitia suppleat aetatem, nec est necessarium adire Apostolicam Sedem, nisi pro maiori actus validitate, et ad omne dubium submovendum. Itaque Episcopus declarabit matrimonium valide contractum fuisse, si de facto certo constet, sin minus, a S. Sede petenda est dispensatio, si gravis ac urgens causa subest.

Non est omittenda quaestio sane utilis, an matrimonium, sine legitima dispensatione contractum inter puberem et impuberem, vel duos impuberes, in quibus malitia defectum aetatis non suppleat, licet nullum et irritum, valeat tamen in vim sponsalium de futuro, seu quod idem est, in sponsalia de futuro resolvatur. Variae hac de re circumferuntur sententiae: melius tamen quaestio resolvitur debita distinctione; vel enim impuberes contrahendo matrimonium expressa intentione excluserunt sponsalia de futuro, vel non excluserunt. Si non excluserunt, inducitur obligatio sponsalium de futuro, prout decisum est in cap. Fin. de disp. imp. et cap. Vero eod tit. in 6, et vulgata regula exposcit « si actus non valet, ut nunc ago, valeat eo meliori modo, quo potest. » Si excluserunt, aliud est affirmandum, quia textus citatus interpretatur dumtaxat voluntatem contrahentium occultam, neutiquam vero adversatur voluntati expressae, ut pa-

tet ex verbis, quae leguntur in dicto cap. Idem dicendum esse videtur, si agatur de matrimonio nullo ob clandestinitatem.

§ 61.

De clandestinitate.

Matrimonium pluribus modis clandestinum dici potest, 1° propter defectum consensus parentum; 2° propter defectum denuntiationum; 3° ob defectum praesentiae Parochi et testium. De denuntiationibus iam loquuti sumus; de matrimoniis filiorum absque parentum consensu deinceps sermo habebitur. Nunc de matrimonio clam contracto absque Parochi praesentia, sermo instituitur. Matrimonium hoc ante Concilium Tridentinum Sancta Dei Ecclesia ex iustissimis causis semper detestata est atque prohibuit: verum, si fiebat, validum erat. In foro externo hae servabantur regulae: 1. si utraque pars vel alterutra inficiaretur matrimonium existere, et eius existentia aliunde probari nequiret, matrimonium non exstare statuebatur, etiamsi copula carnalis intercessisset. Si tractatus de matrimonio ex g. per sponsalia praecessisset, et copula locum habuisset, praesumptio erat iuris, et de iure matrimonium existere, et sponsalia per copulam censebantur transiisse in matrimonium, nisi probatio existeret alterius matrimonii contracti ante copulam. 2. Si utraque pars affirmaret matrimonium existere, ut certum id habebatur, si tamen pronuntiandum erat inter matrimonium, quod partes asserebant olim initum, et aliud publice contractum, et plene per testes

probatum, pro posteriori ferebatur sententia, quoties plena probatio prioris matrimonii clandestini prorsus deerat. Quum vero gravissimis malis saepe causam praeberent haec matrimonia clam habita, Concilium Tridentinum hoc iure optimo decrevit, sess. XXIV, c. 1, de Ref. Matr.: « Qui aliter, quam praesente Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi, seu ordinarii licentia, et duobus vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt, eos S. Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, et huiusmodi contractus irritos et nullos esse decernit, prout eos praesenti decreto irritos facit et annullat..... Decernit insuper, ut huiusmodi decretum in unaquaque Parochia suum robur post triginta dies habere incipiat a die primae publicationis in eadem Parochia factae numerandos. » Itaque in iis locis, ubi hoc decretum publicatum est, nuptiae irritae et nullae sunt, quae sine Parochi, et sine duorum aut trium testium praesentia celebrentur, nec locus est amplius matrimoniis praesumptis, illisque fori externi regulis, quas superius indicavimus, quae servandae solum sunt in Parochiis, ubi decretum nec publicatum est nec viget. Itaque post Conc. Trid. matrimonium clandestinum illud est proprie, quod non contrahitur coram Parocho, et duobus testibus.

Porro nomine Parochi intelliguntur qui Ecclesiis Parochialibus praefecti sunt, sive eis praesint immediate, uti ipsarum Parochi; sive praesint mediate, uti Episcopi seu Ordinarii, eorumque Vicarii Generales in suis Dioecesibus, Romanus Pontifex in toto terrarum Orbe, Legati a latere in suis Provinciis, Cardinales in Ecclesiis suorum titulorum, Capitulum seu Vicarius Capitularis, Sede vacante,

tum illi demum qui Parochi vices agunt, uti Vicarii perpetui, vel temporales. Hi enim omnes et valide et licite matrimonio assistunt suorum parochianorum non minus in paroecia ac dioecesi, sed etiam extra propriam paroeciam ac dioecesim, quia Conc. Trid. praesentiam Parochi exposcit sine ulla mentione loci, in quo matrimonium contrahitur. Hi omnes licentiam assistendi dare possunt aliis Presbyteris sive saecularibus, sive regularibus. Circa hanc delegationem prae oculis est habenda declaratio, quam refert Gonzalez ad reg. 8, gloss. 47, n. 5 his verbis: « Non sufficit tacita licentia, quae resultat ex tolerantia, requiritur vero vel commissio generalis ad administranda Sacramenta, vel si haec absit, expressa vel specialis licentia. » Vide Fagnanum c. Quod nobis n. 32, et Ben. XIV Const. Nimiam licentiam, 17 Aug. 1743. Oportet autem, ut delegati Sacerdotali charactere insigniti sint. Hanc enim qualitatem in delegatis ad assistendum matrimonio Tridentina Synodus diserte postulat. Eamdem vero qualitatem cum Synodus in Parocho non requirat, cum insuper assistentia Parochi non sit actus ordinis, aut ab ordine pendens, sed testimonium authenticum constituat, cui fides habeatur, inde fit ut Parochus, qui nondum Sacerdos est, matrimonio possit et valide et licite interesse. Valide etiam assistit matrimonio Parochus dumtaxat aestimatus, cui scilicet Parochia invalide collata est ob defectum occultum, qui communiter tamen et vulgo verus Parochus existimatur, tunc enim ob communem errorem et bonum publicum lex supplet defectum tituli, Argum. L. Barbarius ff. de Offic. Praetor. Similiter Parochus excommunicatus etiam vitan-

dus vel suspensus, vel a sacrorum ministerio interdictus, quoad Parochiali beneficio, ipso facto, non privetur, et in sua qualitate remaneat, valide matrimonio assistit ob eam rationem, quia officio *testis qualificati* iure fungitur, et Parochus adhuc est; ita pariter qui ad beneficium ius amisit, vel quia intra annum non fuerit ad sacerdotium promotus, vel quia aliud beneficium incompatibile acceperit, adhuc Parochus est, quia beneficii possessione nondum spoliatus est, et interim praesumitur habere iustam causam retinendi. Si publicus et declaratus haereticus evadat, matrimonio assistere nequit, propterea quod ipso iure beneficio parochiali privatur, ex Const. Nicolai III Noverit, adeoque, eo praesente, matrimonium nullum est. Vide Études de Théologie, Paris 1860 p. 324. An matrimonium contractum coram Parocho, cui interdictum specialiter est ab Episcopo, ne assistat, nullum sit, quaestio est, quam negative resolvit Bened. XIV de Syn. Dioec. lib. 12, c. 3 et lib. 13, c. 23 scribens: « Is enim adhuc est vere Parochus, suaeque retinet parochiae titulum ac propterea omnibus praestat qualitatibus, quas Tridentinum exposcit ad matrimonii validitatem: prohibitio autem Episcopi solum operatur, ne licite, non itidem ne valide ille assistat. » Quoniam vero, ut habet Cardinalis de Zelada in instructione ad Galliae Episcopos 26 Sept. 1791, intrusus minime est Parochus legitimus, neque ullum habet titulum seu verum, seu coloratum, matrimonium coram eo contractum, nullius certe roboris est, qua de causa abstinere fideles debent ne, Parocho suo praetermisso, adeant intrusum.

Praeterea cum Synodus simpliciter praesentiam

Parochi, non Parochorum requirat, neque exprimat an viri, an mulieris, receptum est, quod alterutrius contrahentium Parochi praesentia sufficiat. Quamquam enim S. C. C. an 1571, lib. 1, Decret. pag. 125 interrogata : « cuiusnam Parochi praesentia requiratur? Sponsine, an Sponsae, an vero utriusque, an etiam alterius Parochi consensus accedere debeat? » responderit: « Ad matrimonii validitatem sufficere praesentiam solius Parochi proprii Sponsae, quando matrimonium in Parochia Sponsae contrahitur ; similiter sufficere praesentiam solius Parochi Sponsi, si in ipsius Sponsi Parochia contrahatur : » ipsa tamen Congregatio postea declaravit matrimonium valere, si Sponsi Parochus in Parochia Sponsae absque eius Parochi licentia matrimonio assistat, vel viceversa: atque hoc decretum Summus Pontifex approbavit, sic in posterum responderi iubens, quod testatur Fagnanus in cap. QUOD NOBIS de clandest. despon. Parochus autem, qui in aliena Parochia assistit, si solemniter assistat, sponsisque nuptialem benedictionem impertiatur, illicite agit ; quemdam enim quasi strepitum iudiciarium et solemnitatem adhibet, quod in alterius territorio minime licet. At si privatim, et sine publica nuptiali benedictione intersit, licite assistit, idque a S. C. C. declaratum fuisse testis est Fagnanus loc. cit. Tridentinum enim nihil expressit de loco celebrandi matrimonii, solamque Parochi proprii praesentiam postulat, in quo nullus est actus iurisdictionis contentiosae, quemadmodum superius diximus.

Ille autem censetur proprius esse sponsae aut sponsi Parochus, in cuius paroecia sponsus aut sponsa domicilium, aut quasi domicilium habet.

Parochus enim originis ad assistendum matrimonio proprius non est, dum sponsus aut sponsa alio domicilium transtulerunt. Quod si quis duo domicilia in diversis parochiis contraxerit, « in duobus autem locis potest aliquis habere domicilium, si utrobique ita instruxerit, ut non minus apud alteros se collocasse videatur, » ut loquitur L. Assumptio ff. ad Municipalem: quamvis consultius sit, ut matrimonium coram illo Parocho ineatur, in cuius Parochia tum contrahens degit, quum nubit, matrimonium tamen valet, si coram utroque contrahatur; « qui habet duplicem parochiam, ait Sylvius in Sup. S. Thomae quaest. 45, art. 5, regulariter videtur debere contrahere coram illo, in cuius parochia manet tempore matrimonii contrahendi; quamvis si coram altero contraheret, videatur fore validum, quia etiam ille censetur proprius eorum Parochus. » Quae sententia communiter recepta est. Domicilium acquiritur habitatione actuali et animo perpetuo manendi in aliquo loco, donec causa aliqua avocet. Duo itaque requiruntur ad domicilium, actualis habitatio in loco, et animus ibi perpetuo manendi. Habitatio res facti est, quae illico innotescit: animus autem manendi tum declaratione, tum facto, tum praesumptione patescit. Ubi declaratione manifestetur, vel a primo habitationis momento domicilium acquiritur. Si facto animus manendi pateat, eo quod quis alio familiam traducit, bona acquirit vel transfert, aliaque id genus peragit, necessarium prorsus est ad domicilium contrahendum, ut habitatio per aliquod temporis spatium perduret. Tandem praesumptione inducitur ex decennali habitatione. Haec praesumptio nullius coniecturae, vel

adminiculi ope indiget ; secus enim decennii lapsus non exigeretur. Verum praesumptio cessat, quando constat de aliqua causa accidentali, ob quam quis eo se contulit ad habitandum, inde discessurus causa cessante ; ex. g., si quis alio se contulit studiorum causa, vel ad officium aliquod obeundum. « Isti, ait Rigantius ad reg. 24 cancel. § 3, n. 43, domicilium numquam contrahunt, etiamsi ultra decennium habitarent, quia causa habitandi diversa est ab animo domicilium contrahendi... nisi post completum studium, lecturam, officium, etc. taliter continuetur habitatio, ut, ex circumstantiis et adminiculis prudenti iudicis arbitrio examinandis constet de animo perpetuo in loco manendi. » Adminicula et circumstantiae, quarum mentio facta est, non in omnibus regionibus eamdem vim ac naturam habent, adeoque earum significatio in singulis rimari peculiariter debet. Ubi semel domicilium acquisitum est, non amplius omittitur, nisi verbis, aut factis derelictum fuisse constiterit. Haec de vero domicilio dixisse sufficiat. Modo de quasi domicilio, seu de habitatione, quae cum illo confunditur, et unum idemque est, paullo fusius proloquar. « Post haec necessarium fore censemus, sunt verba Benedicti XIV in Const. « Paucis ab hinc » 19 Martii 1758, nonnihil adiungere, ut in propatulo sit, quidnam requiratur ad quasi domicilium adipiscendum. Verum hac in re non alio pacto responderi potest, nisi quod antequam matrimonium contrahatur, spatio saltem unius mensis ille, qui matrimonium contrahit, habitaverit in loco, ubi matrimonium celebratur. Definitiones S. C. C. hac de re observari poterunt apud Fagnanum in cap. Significavit de Paroch.: ubi eorumdem con-

textu perpenso haec habet sub num. 39: Vir et mulier Ultraiectenses timentes impedimentum a parentibus, cum ad vicinam urbem Acquisgranam se contulissent, et ibi aliquandiu morati matrimonium contraxissent, S. C. consulta super validitate censuit exprimendum tempus, quo contrahentes Aquisgranae manserunt, quod si fuerit saltem unius mensis, dandam esse decisionem pro validitate, alias, ut subdit Fagnanus, de novo recurrendum in Congregatione.» Huc spectat decisio S. Inquisitionis diei 6 Nov. 1843 sequentis tenoris: « Ioannes et Maria Mechliniae domicilium habentes Londinum veniunt, et sine auctoritate et licentia suorum Parochorum, uno solummodo mense elapso, Londini matrimonium contrahunt. Quaeritur, utrum hoc matrimonium invalidum sit propter supradictum decretum Conc. Tridentini nec ne? » S. Congregatio reposuit: « Stet Epistolae Benedicti XIV ad Archiep. Goanum.» Quaeritur itaque, an ad adipiscendum quasi domicilium, praevia unius mensis in aliquo loco habitatio solum spectari debeat, eaque tantum ad matrimonium contrahendum, absque ulla animi declaratione, requiratur ac sufficiat? Sunt qui innixi auctoritate Benedicti XIV et S. Inquisitionis decisione, confidenter respondent sufficere iure quodam novo unius mensis moram, etiamsi ea fiat intuitu matrimonii ineundi, et illico recedendi. Vide Mél. Théol., sér. 1, p. 301, sér. 2, p. 449, sér. 3, p. 348, et Rev. Théol. sér. 3, p. 25. Alii putant cum Fagnano praeviam unius mensis habitationem sufficere « dummodo ea non sit recreationis gratia, aut ad ruralia exercenda, alia aut ex brevi causa.» Non desunt qui requirunt habitationem in loco per maiorem anni partem,

qua posita, facto, absque ulla intentione, ac declaratione, quasi domicilium acquiritur. Alii demum affirmant, praeter commorationem in loco, etiam intentionem requiri saltem per notabile tempus ibi manendi ; qua posita habitatione ac declaratione, a primo instanti domicilium comparatur. In hoc sententiarum conflictu, ea nobis sententia magis arridet, quae tenet quasi-domicilium haud semper comparari iure per se et absolute, per modum regulae, ex simplici unius mensis habitatione, sed statui ac determinari ex variis rerum ac circumstantiarum adiunctis, quae attente ac sedulo considerandae sunt, ubi expressus ac apertus deest commorandi per notabile tempus animus ; quandoquidem contingere potest, ut ad quasi domicilium comparandum, aliquando integri unius mensis habitatio nec requiratur, nec necessaria sit, aliquando vero nonnullorum etiam mensium lapsus nec satis sit, nec sufficiat. Revera aliquando non requiri mansionem per menses protractam, ex citata decisione de viro et muliere ultraiectensi, facile deducitur. Cum enim ibi S. C. declaret « valere coniugium, si mansio nuptiis praecedens fuerit saltem unius mensis; tanta autem, si non fuerit, rem de novo in Congregatione esse proponendam; » profecto sequitur, dari casum, quo quasi domicilium acquiratur, antequam mensis integer mansionis elabatur. Ni enim id contingere posset, prorsus non intelligitur, cur S. C. de novo recurrendum esse praescripserit. Accedit argumentum depromptum ex S. C. C. decisione in Gratianop. 3 Apr. 1841. Agebatur de matrimonio, quod Londini in Anglia, post octo aut decem dierum commorationem, vir gratianopoli-

tanus cum puella eiusdem civitatis coram missionario apostolico iniit. S. C. reposuit: « Ex hactenus deductis non constare de matrimonii validitate, sed ad declarationem nullitatis esse procedendum confectione processus, servata saltem in substantialibus forma Const. Bened. XIV. Dei miseratione INSPECTO PRAESERTIM ANIMO, et tempore, quo asserti sponsi commorati sunt, nedum Londini, sed etiam in districtu illius Apostolici vicariatus. » Quaestio, ut patet, in eo tota erat, an brevis octo vel decem dierum habitatio, ad quasi domicilium adipiscendum Londini sufficiens fuerit. S. C. non reposuit absolute negative, sed ex hactenus deductis, et insuper voluit, ut procederetur ad confectionem processus pro nullitate declaranda, inspecto praesertim animo, et tempore; quibus verbis docemur S.C. mentem esse quasi domicilium non modo ex animo et mora determinari, sed etiam ex adiunctis, et antequam mensis elabatur, etiam acquiri. Si quis ex. gr. aliquem petat locum cum animo ibi per annum, aut maiorem anni partem manendi et post aliquos sui incolatus dies matrimonium contrahat, et iter aggrediatur, quin amplius ad locum revertatur, ob ingruentes rationes, profecto maximi momenti ex omnibus adiunctis argumentum desumi potest ad matrimonium validum declarandum. Pariter si quis absque animo diu manendi alio divertit impulsus causa, quae talis non est, ut possit probabiliter illico ac continuo cessare, qualis causa belli, ac pestis, et post paucos dies matrimonium contrahit, iam magni momenti adest adminiculum, ut dici merito possit matrimonium valide initum esse, sive is posthac habitationem in loco protrahat sive non. Vide Pavone Spicilegio

Canonico eccl. num. 226. Quod vero aliquando usuvenire etiam possit, ut mensis integer non sufficiat, dum aliud rerum adiuncta suadeant, ipsa S. C. C. exempla nobis luculenta suppeditat: etenim etiam post Const. cit. Bened. XIV matrimonia coram parocho loci contracta, ubi quis rusticari solet, prorsus nulla sunt, siquidem responsum in Urbin. 1 Dec. 1640, ubi inhaerendo declarationibus alias factis statuitur: «Parochum ruralem non esse proprium et verum parochum quando rus itur causa recreationis, aut pro rusticanis negotiis, ideoque matrimonium valide coram huiusmodi Parocho celebrari non posse » in viridi observantia est. In casu itaque non attenditur ipsa mansio, nec inspicitur, an per mensem perseveraverit, nec ne, sed variorum adiunctorum ratio habetur, ita ut qui ob dictas causas rus pergit, quasi domicilium non acquirat, quia notio habitationis hac ratione destruitur. Id confirmatur auctoritate Fagnani ad Cap. Significavit, et ipsius Benedicti XIV, tum inst. 33, n. 6, tum litteris Paucis, ubi post ea, quae superius citavimus, ita pergit: « Dubitari autem posset, num ad quasi-domicilium acquirendum matrimonii causa, non solum requiratur praecedens habitatio, verum etiam subsequens ad aliquod temporis spatium? Verum cum observaverimus, subsequentem habitationem ab iis auctoribus, qui hanc tractarunt materiam, tamquam magni momenti adminiculum reputari, ut novum domicilium quaesitum dicatur, nihil vero de illa praescriptum fuisse a Concilii Congregatione in adducta paullo ante definitione, penes Fagnanum, nolumus hac de re quidquam novi decernere. Quare, quaeso, Benedictus XIV ex subsequenti habitatione admi-

niculum magni momenti apud auctores desumi affirmat? Cur dubium generatim a se positum solvere non vult? Haec omnia facile explicabis, si dices Pontificem putasse unius mensis residentiam per se non sufficere, sed attendi debere adiuncta, ut diiudicet sit ne quasi-domicilium acquisitum. Quae cum ita sint, nemo est qui non videat quaestionem de quasi-domicilio in pluribus casibus ex adiunctis definiri. Summa expositae doctrinae haec est: unius mensis habitatio ad acquirendum quasi-domicilium neque semper necessaria est, neque semper sufficit.

Quaeri hic insuper potest, quid dicendum de eo sit, qui in fraudem legis, vel parochi, aut ad aliquas declinandas difficultates ex loco proprii domicilii, propriaeque habitationis transeat ad alium locum, unius matrimonii celebrandi causa, et confestim, matrimonio celebrato, ad pristini domicilii locum revertatur? Illicite ne, et invalide contrahet? Quaestionis solutio pendet a quaestione domicilii. Nam si antequam matrimonium ineat, domicilium, aut quasi domicilium contrahens est adeptus in eo loco, in quo contraxit, iam nullum adest dubium, quin validum sit matrimonium; siquidem contrahens, licet suum pristinum adhuc retineat domicilium, iure tamen novum domicilium, aut quasi domicilium in alio loco adeptus facto est, ubi proinde integrum erit ipsi matrimonium contrahere vel coram parocho et duobus testibus, si ibi Conc. Trid. decretum publicatum est, ac viget, vel clandestine, si non est publicatum. Nec fraudulenta intentio impedit, quominus dicatur domicilium vel quasi domicilium ibi reapse fixisse, et paroeciae ius in ordine ad nuptias

acquisivisse. Conspicue id docet Bened. XIV cit. literis ad Archiepisc. Goanum, et expresse declaravit Urbanus VIII litteris 14 Aug. 1627 ad Archiep. Coloniensem datis. Vide S. C. C. 13 Iulii 1725 et Ben. XIV de Syn. dioec. l. 23, c. 4, n. 10, et inst. 33, n. 8. Quae cum ita sint, iam sequitur, matrimonium nullum ac irritum habendum esse, si contrahentes ad alium locum transeuntes, unius matrimonii celebrandi causa, nec domicilium, nec quasi domicilium inibi fuerint consequuti. Haec sententia communiter hodie recepta atque observata, non sustentatur praecise fraudulentae intentioni, sed defectui domicilii, vel quasi domicilii. An sufficiat domicilium vel quasi domicilium, quod iure civili praescribitur ad contrahendum matrimonium quaesitum est, et licet nonnullis affirmativa arrideat, sententia, qua posita, cum Londini ex.gr.15 dierum spatium sufficiat ad domicilium in ordine ad matrimonium obtinendum, sequitur intra hoc spatium matrimonium valide iniri posse; tamen negativa sententia communior est.

Quibus sic expositis, facile erit decernere quid dicendum sit 1° de iis, qui e loco ubi lex obligat, transeunt ad locum, ubi ea prorsus non viget, ibique matrimonium clandestine contrahunt; 2° de iis, qui transeuntes de loco, in quo lex non obligat, contrahunt clandestine in loco, in quo obligat; 3° de iis tandem, qui ex loco, in quo lex non obligat transeuntes, contrahunt in loco, in quo pariter lex non obligat. Hic non agitur de vagis, quibus permittitur coram quolibet parocho contrahere, quia proprium parochum non habent. Iam vero in primo casu, nullum dubium, quin

matrimonium invalidum sit, nisi alteruter domicilium prius in loco acquisiverit, quod dici debet, etiam si alteruter vel uterque sit haereticus, et soli haeretici in loco, in quo matrimonium contrahitur lege Tridentina haud obstringantur. Vide cit. dec. Urbani VIII et Bened. XIV Const. PAUCIS AB HINC. In secundo casu matrimonium clandestinum pariter invalidum est, sive uterque, vel alteruter domicilium acquisiverit, vel non. Si enim acquisiverit domicilium, aut quasi, cum lege Tridentina obstringatur, matrimonium nequit contrahi, nisi coram parocho et testibus; si non acquisivit, vel ad priorem locum redire uterque cogitur, ut matrimonium clandestinum valide contrahat, vel si velit in loco, in quo nec domicilium neque quasi domicilium obtinuit, matrimonium inire, cum loci parochus dici nequeat eorum proprius parochus, manifestum fit sui parochi, vel alterius sacerdotis de huius licentia praesentiam requiri. In tertio casu matrimonium validum est, et si soli haeretici utroque in loco a lege soluti sunt, validum est matrimonium, dummodo alteruter contrahentium haereticus sit. Id enim secure de praedictis casibus statui posse videtur ex canonici iuris regulis iam pridem constitutis de domicilio, vel quasi, quoad valorem matrimonii requisito; nec necesse est inquirere, an lex Tridentina localis, an personalis, an mixta dicenda sit; de qua quaestione, si lubet, vide, praeter caeteros, Van de Burgt, op. cit. p. 246. Hisce positis, alia notanda hic sunt.

« Ex unanimi scriptorum sententia, ait Bened. XIV Inst. 33, p. 11, iudices, medici, facultatis alicuius professores, discipuli, famulique, licet

exteri, rite matrimonium contrahunt, si parochus adsit eius loci, ubi degunt, quippe, si per aliquod temporis spatium in eodem loco versentur, domicilium, vel quasi domicilium, quod satis est, ad matrimonium perficiendum, sibi conciliant. » In Inst. 88, n. 10. Monacelli, aliorumque sententiam Pontifex approbat, qui validum reputant matrimonium contractum a puella, quae existit in monasterio, ad crates monasterii coram testibus et parocho Ecclesiae parochialis, intra cuius limites monasterium situm est. Unde patet, quid dicendum sit de iis qui educationis, famulatus, ac officii exercendi causa, in monasteriis, seminariis, herique domibus commorantur. Hi quasi domicilium saltem ibi acquirunt, relate ad matrimonium, licet animum habeant alio postea divertendi, patriosque lares, ubi verum adest domicilium, remeandi, adeoque valide contrahunt coram parocho, in cuius paroecia est domus, monasterium, et seminarium. Quaeritur hic quid dicendum statuendumque sit, de famulis et ancillis, deque puellis in monasterio degentibus ac de iuvenibus in aliquo collegio studiis addictis, qui praeter quasi domicilium in aedibus heri, in coenobio, ac collegio, proprium etiam paternum, maternum, ac fraternum domicilium in alia eiusdem civitatis paroecia obtinent? Hos omnes matrimonium contrahere debere coram parocho ipsius paroeciae, in qua habent verum domicilium, praescribit statutum Cleri Romani c. 4, § 21. Benedictus XIV cum esset Archiepiscopus Bononiensis, ad dissensiones omnes, si fieri posset, e medio tollendas, haec edixit Inst. 33, n. 16 innixus citato statuto: « Si puella, quae matrimonii fidem prae-

stitit, in alia parochia domicilium non habeat, tunc parochus, in cuius parochia est monasterium ac domus heri, puellam in matrimonio coniunget; sin autem paternum, maternum, vel fraternum domicilium habebit, tunc Parochus, cui domicilium idem subiicitur, pro conficiendo matrimonio praesens assistet. In utraque vero parochia, ubi nempe domicilium et monasterium posita sunt, iuxta Ecclesiae consuetudinem matrimonium antea denuntiabitur.» Porro Inst. 88 pluribus explicat Pontifex, cur id praescripserit, et auctoritatem tum Clericati, tum Cardinalis Barbadicus affert, qui asserunt in casu haud omittendum domicilium paternum per hoc quod causa educationis in monasterio degunt. S. C. C. pluries decrevit, ut idem Episcopi pro sua dioecesi praescriberent, ac servarent. Sic eadem S.C. ab Episcopo Eugubino sententiam rogata: «An matrimoniis famularum assistere debeat Parochus domicilii paterni, seu potius alter, in cuius parochia puellae famulatum praestent?» sub die 24 maii 1788 respondit: « Episcopus per decretum iubeat, ut matrimoniis puellarum, quae famulatum Eugubii praestant, assistat Parochus domicilii paterni, materni, fraterni eiusdem puellae, quatenus illud habeant in eadem Civitate; si non habeant, assistat parochus domicilii, in quo degunt, quatenus in eadem civitate matrimonium contrahant. » Vide decis. Pisaur. Quarta funeralis, 29 Maii et 26 Iunii 1824, ac Florent. Brephot. Quoad Mat. 17 Sept. 1842. Quae cum ita sint, illud in dubium adducitur an hisce in casibus veri domicilii parochus ita necessario accersendus sit, ut matrimonium nullum ac irritum iure censeatur, si coram parocho iniri contingat,

cuius ditione aedes heri, vel monasterium vel seminarium continetur? Iam vero huic quaestioni negative respondendum esse, tum generalia iuris principia, tum ipsa, quae adduximus, documenta, ubi serio considerentur, facile nobis suadent. Confer Van de Burgt op. cit. num. 240, pag. 218, et Carrière n. 1282. Caeterum ad dissensiones de hac re e medio tollendas omnemque aditum, si fieri poterit, controversiis occludendum, opportunum ac expediens est, ut Episcopus actione synodali, litterisque edictalibus diserte praecipiat, ut qui futuras nuptias promiserit ad parentum domos, si habeat, revertatur, eumque ad matrimonium ineundum parochum adeat, cuius ditioni paterna aedes adscita est, vel potius magis prudens erit, ac tutum consilium si simul decernat Episcopus, praesertim si parochorum accedat suffragium, ut quisque inire matrimonium legitime valeat coram eo parocho, qui aedes heri, vel monasterii septa, vel seminarium suae paroeciae limitibus percenseat, quin necesse sit investigare utrum in alia civitatis paroecia contrahentes domicilium verum habeant. De iis vero, qui carceribus detinentur distinctione opus est. Horum nonnulli perpetuo, vel ad certum tempus carcere damnati sunt in poenam criminis; nonnulli vero detinentur in carcere ad custodiam, quoad sententia a Iudice proferatur. Priorum proprius Parochus ad effectum assistendi matrimonio censetur is esse, in cuius parochia situs est carcer: « Relegatus enim in eo loco, in quo relegatus est, interim necessarium habet domicilium, » ut habetur L. Filii ff. ad Munic.; posteriorum autem proprius parochus est, qui curam animarum ha-

bet in eo loco, in quo qui carcere detinetur, domicilium habet. Puellae vero quae vel expositae in Brephotrophio, vel orbatae parentibus in Orphanotrophio degunt, ex decr. S. C. C. 22 Aprilis 1651 coniugium inire debent coram parocho, cuius paroeciae hospitium subest, non autem coram loci capellano, licet is iurisdictionem quasi parochialem exerceat. Vide S. C. C. 17 Septembr. 1842 et 22 Novembr. 1856. Quisnam eligi debeat, quo praesente, matrimonia in nosocomiis ac xenodochiis, urgente necessitate, et in gravi vitae discrimine peragantur, in quaestionem vocatum est, ita quidem ut Benedictus XIV quando erat Archiepiscopus de casu huiusmodi quoties contingeret, illico certior reddi voluerit, ut statueret, coram quo demum celebrandum matrimonium foret. Quod iam ad militum parochum spectat, multa olim dicta sunt, varieque disputata. At nullus iam dubitandi locus relinquitur, quin milites habeant quasi domicilium in parochia, sub qua degunt, dum sunt in praesidiis, vel in stationibus, vel in castris, non vero dum sunt in expeditione. Vide Bened. XIV Inst. 88, n. 9. Huc spectat resolutio S. C. C. die 6 Martii 1694 et 29 Ian. 1707. Propositis namque dubiis: « An Capellani cuiuscumque exercitus, sive regulares sive seculares Catholici, possint 2° . . . assistere matrimoniis militum cuiuscumque nationis degentium in praesidiis, cum militaribus feminis, sine dicta facultate apostolica, et praecedente probatione liberi status, eiusque recognitione coram Ordinario loci et licentia parochi, sub cuius parochia maneant? 3° An idem cum militibus degentibus in castris et stationibus hybernis vel aestivis? 4° An idem cum

militibus in actuali expeditione positis? 5° An idem cum militibus nubere volentibus cum feminis non militaribus, sed Italis, originariis loci seu dioecesis, in qua reperiuntur? » S. C. reposuit : « Ad secundum, tertium, quartum, et quintum negative. »

Notandum hic est, Summum Pontificem saepe concessisse, ut supremi regni vel imperii Eleemosynarii vel Capellani maiores castrensibus Capellanis facultates tribuerent parochialia omnia Sacramenta administrandi militaribus copiis ac personis omnibus eorum servitio pertinentibus, dummodo extra imperii ac regni territorium iter facere, et per aliquod temporis spatium manere ipsis contigerit, excepta Urbe Roma, ac pontificia ditione. Vide Litt. Pii IX, QUAE SUPREMI, 31 Martii 1857.

Vagi sunt qui, suo relicto domicilio, sedem in exteris terris inquirunt: quod didicimus ex L. EIUS, § *Celsus* ff. ad Municip., ubi haec habentur: « Puto autem et hoc procedere posse, si quis domicilio relicto navigat, vel iter faciens quaerat, quo se conferat, atque ubi consistat ; nam hunc puto sine domicilio esse. » A vagis autem differunt peregrini, qui ea voluntate iter faciunt, ut ad pristinum domicilium, exacta peregrinatione, revertantur. Proprius vagorum parochus est, in cuius parochia versantur, cum inire matrimonium volunt; idque etiam obtinet, licet eorum dumtaxat alter numero vagorum adscribatur. Parochi tamen, ex praecepto Concilii Tridentini sess. XXIV, cap. 7 de Reform. Matr., caveant « ne vagorum matrimoniis intersint, nisi prius diligentem inquisitionem (ad tramites decreti S. Inquisitionis an.

1670) fecerint, et re ad Ordinarium delata ab eo licentiam id faciendi obtinuerint. » Si tamen de facto assisterent absque tali licentia, quamvis peccarent, matrimonium tamen valeret, quia tam sunt parochi talium, quam Episcopus eorum Ordinarius, ut observant Sylvius, Ledesma Sanchez, aliique plures.

Praeter parochum duo aut tres testes matrimonio interesse debent ut valide ineatur. Verum cum nullam in eis peculiarem qualitatem postulet S. Synodus, hinc nuptiis contrahendis possunt esse testes quicumque usu rationis pollent, et secundum ius naturae habiles et apti sunt ad ferendum testimonium sive impuberes, sive consanguinei, sive domestici, sive religiosi, sive feminae, sive infideles, sive excommunicati, sive haeretici, aliique demum etiam iure positivo ad testimonium dicendum inhabiles, modo non per vices, sed uno simul eodemque tempore celebrationi nuptiarum intersint. Validum quoque matrimonium est, etiamsi parochus et testes non sponte, sed fortuito aut dolo inducti, aut coacti et inviti, imo etiam contradicentes aut dissidentes adfuerint: finis enim Tridentini Decreti, quo ipsorum praesentia ad testimonium de contracto matrimonio duntaxat perhibendum requiritur, satis obtinetur, utcumque ipsi adsint, modo adhibiti fuerint, et quid ageretur intellexerint. Quamobrem illud tantum postulatur, ut praesentia parochi et testium non sit mere physica et materialis, sed etiam moralis, et formalis, ut scilicet et contrahentes videant, et verba audiant, vel ea non percipientes signa saltem videant et intelligant, quibus mutuus utriusque contrahentis sensus coram ipso, ut eo prae-

sente nuptiae contrahantur, exprimitur, significetur. Quî enim poterunt de contracto matrimonio testimonium Ecclesiae reddere, nisi quid ageretur intellexerint? « Coram Titio aliquid facere iussus non videtur praesente eo fecisse, nisi id intelligat; itaque si furiosus, aut infans sit, aut dormiat non videtur coram fecisse, » ut habemus in L. Coram ff. de V. S. Quamobrem S. C. C. ad 4. dubium eidem propositum ab Episcopo Giennensi: « Si Sacerdos adfuerit, nihil tamen eorum quae agebantur, vidit, neque audivit; utrum tale matrimonium valide contrahatur, vel potius tamquam sine Sacerdote nullius sit ponderis et momenti? » respondit: « Non valere, si Sacerdos non intellexit, nisi tamen affectasset non intelligere. » Postrema haec S. C. verba, quum paulo subobscura sint, affabre explicantur a Benedicto XIV lib. 13 de Synod. Dioeces. cap. 23 his ferme verbis: « Verus horum verborum sensus est matrimonium validum fore, quod celebratum fuerit coram parocho, qui nec vidit, nec intellexit, si ipse sibi in causa fuit, ut non videret nec intelligeret, propterea quod vel aures sibi obstruxerit, vel faciem velaverit, ne audire vel aspicere cogeretur. Neque enim ulla haberi debet ratio affectatae ignorantiae illius, qui cum videre et audire commode posset, ipse sibi voluntarium posuit impedimentum, ne videret audiretque, neque aequum est, ut ab arbitrio factoque parochi pendeat libertatem matrimonii impedire. » Adnitendum quidem parocho pro viribus est, ut huiusmodi matrimonia fieri prohibeat, multoque magis eidem cavendum est, ne eorum celebrationi voluntariam praesentiam exhibeat. Ex his tamen hoc tantummodo

sequitur, ut ipse data opera non debeat iis interesse, ut occasionem praestandae eisdem assistentiae, quantum fas, evitare teneatur; ut etiam si forte circumventus aliove obtentu accersitus fuerit contrahentes serio monere debeat, matrimonia huiusmodi sine gravi culpa celebrari non posse, sibi autem dictam esse legem, ut eosdem contrahentes, si id quod deliberarunt, reipsa perfecerint, ad Superiorem deferat, a quo gravi poena plectendi erunt; praeterea ut animo et voluntate a praestanda eorum nuptiis praesentia longe abhorreat, cum huiusmodi contrahendi ratio a sacris canonibus reprobetur. At necesse non est aures obturare, velare faciem, aliaque huius generis facere, quae ad id solum valent, ut animos contrahentium aliquando scrupulis torqueant, qui scilicet, quamvis ut plurimum nesciant illicita ab invalidis distinguere, adhuc tamen non solum matrimonium, uti destinaverant, contrahere, sed etiam consummare non praetermittunt: utrumque enim perficere in animo habent, quoties circumvento aut deprehenso parocho, coram eo proferunt verba ad mutuum consensum significandum idonea.» Hactenus Benedictus XIV loc. cit. Vide S. C. C. 20 Sept. 1843. Quapropter S. C. C. in Neapolitana Matrim. 6 Maii 1741 cum agebatur de parocho, qui suspicatus virum ac mulierem, Ecclesiam iamiam ingressos, clandestine fore contracturos, in sacrarium, audita sola voce « *Signor Parroco* » aufugerat, proposito dubio « An constet de sponsalibus et matrimonio, vel potius sint concedendae litterae testimoniales super statu libero in casu? » respondit: « Affirmative ad 1^m^ partem, negative ad 2^m^ et amplius, » et in Carthag.

matr. cum esset quaestio de matrimonio contracto coram parocho domi suae circa horam octavam noctis deprehenso, qui virum agnoverat, eiusque verba audiverat « *Signor Curato lei sia testimonio* » mulierem autem nec viderat, nec audiverat, eadem S. C., audito voto Canonistae et duorum Theologorum, respondit 22 Sept. 1753 « affirmative pro validitate matrimonii, attentis facti circumstantiis in casu de quo agitur. » Sic S. C. apud Fagnanum lib. de cland. desp. c. Quod nobis n. 54, et Bened. XIV l. c. n. 5 ad dubium : « An sit matrimonium, si duo contrahant per verba de praesenti, proprio parocho praesente, et aliis requisitis non omissis, cui contractui parochus *formaliter adhibitus* non fuit, sed dum forte convivii vel confabulationis vel aliud tractandi causa adesset, audit huiusmodi contractum geri, et postea alter contrahentium velit ab huiusmodi contractu ratione huius defectus resilire ? » resp. : « Posse (resilire) nisi alia intervenerint, quae parochum a contrahentibus *adhibitum fuisse* arguant. » Porro ut parochus dicatur *adhibitus*, non requiritur, quod antea moneatur, expresse vocetur, ac certioretur, sed sufficit, ut coram eo consensus exprimatur, quia eo praesente exprimi debet.

Non possum quin hic afferam quasdam S. C. C. decisiones a Zypaeo l. 4 de sponsal., a Böchk Comment. in I. C. W. l. 4, t. 3, n. 35, aliisque relatas, quas perspectas habere tironibus valde proderit. S. C. C. censuit: 1° « Ubi decretum eiusdem Concilii non est publicatum, valere matrimonia contracta absque observantia formae a Concilio praescriptae. 2° Publicationem praesumi, ubi decretum fuit aliquo tempore in parochia tam-

quam decretum Concilii observatum. 3° Ubi constat Concilium esse publicatum, vel aliquo tempore in parochia tamquam decretum Concilii observatum, sed parochialis Ecclesia, utpote vacans, proprio parocho careat, et Cathedralis itidem, Episcopo atque Capitulo habentibus a Concilio facultatem alium Sacerdotem ad id delegandi, nullusque alius ibi sit, qui vices parochi vel Episcopi suppleat, matrimonium valere absque praesentia parochi, servata tamen in eo, in quo potest, forma Concilii, nempe adhibitis saltem duobus testibus. 4° Si extent quidem parochus et Episcopus, et uterque nullo constituto Vicario, metu haereticorum lateat, ita ut vere ignoretur ubinam sit, vel eodem metu a dioecesi absit, nec ad alterutrum sit tutus accessus, validum est matrimonium contractum absque forma, adhibitis tamen, ut dictum est, duobus testibus. » Ex quibus colligitur matrimonia, quae non servata forma a Tridentino praescripta contrahuntur, valida esse tum in locis, ubi decretum de clandestinitatis impedimento non est publicatum, neque susceptum, tum etiam in locis, ubi licet promulgatum fuerit, usuque receptum, nulli tamen proprii adsunt pastores, quandoquidem ubi impossibilitas universalis et perpetua foret, totamque rempublicam, regionem, aut communitatem aliquam afficeret, aequitas postulat, ut forma tridentina, quoad illud personarum genus, cui difficillimum, aut fere impossibile redditur eam servare, non censeatur inducta.

Monendum hic est cum Pio VI, Brevi ad Episcopum Genevensem die 5 Septemb. 1793 dato, « quoties duo saltem testes minime adfuerint, matrimonia esse invalida, et quatenus fieri possit,

revalidanda, ita tamen ut, si obstet aliquod impedimentum iuris ecclesiastici, dispensetur ab Episcopo, quoties dispensandi facultate polleat ex concessione Sedis Apostolicae, ad quam recurrendum erit, sī de impedimentis agatur, in quibus facultatem non habeat ex eiusdem Sedis Apostolicae delegatione. » Vide etiam declar. Cardinalis Caprara die 26 Maii 1803.

§ 62.

De clandestinis haereticorum Matrimoniis.

Praestat hic de clandestinis haereticorum matrimoniis nonnulla speciatim disserere. Ac primo quidem duo tamquam explorati principii loco notanda sunt, quorum alterum est : Si matrimonia inter duos haereticos sine Parochi praesentia valida iudicantur, valida etiam dici debent matrimonia, quae inter duas partes, alteram catholicam et alteram haereticam eodem modo contrahuntur. « Quoniam cum coniugum alter, ait Ben.XIV de Syn. l. 6, c. 6, n. 12, tum ratione loci, in quo habitat, tum ratione societatis, in qua vivit, exemptus sit a Trid. Synodi lege, exemptio, qua ipse fruitur, alteri parti communicata remanet propter individuitatem contractus, vi cuius exemptio, quae uni ex partibus competit, ad alteram secundum etiam leges civiles extenditur, eique communicatur. » Vide Clem. XIII ad Archiep. Mechlin. an. 1767. Itaque validum est matrimonium clandestinum inter duas personas, quarum una tantum a lege tridentina, ratione loci, vel alia

ratione, exempta est. Alterum est: Matrimonia haereticorum, quae non servata Ecclesiae forma solo vel mutuo consensu, absque praesentia magistratus civilis, aut ministelli acatholici, celebrantur, rata et firma absque dubio sunt, ac consistunt iis in locis, in quibus Trid. Concilii decretum vel numquam publicatum, aut saltem, ob rerum perturbationes ac vicissitudines, numquam observatum est, tamquam eiusdem Concilii decretum, vel si quando receptum et observatum fuit, longo deinde temporis intervallo in desuetudinem abiit, ut habet Pius VII Brevi « Probe novit » ad Archiep. Moguntinum die 8 Oct. 1803 datum; vel si viget adhuc, ac a catholicis in contrahendis inter se mutuo matrimoniis et cum heterodoxis, servetur, parochus tamen catholicus absens est, vel nonnisi *difficillime aut periculosissime* adiri potest, ut ait Pius VI ad Episcopum Genevensem litteris diei 5 Oct. 1793. *Intelleximus*. Vide Card. de Zelada lit. 28 Maii 1783 ad Episc. Lucionen., responsum S. C. pro negotiis Eccl. Galliarum 22 Apr. 1793 et Card. Caprara 25 Apr. 1803 apud Moser de Impedim. App. n. 78, q. 16.

Hisce positis, quaeritur 1° An ubi decretum publicatum est, constantissimeque observatum, nec ulla faveant S. Sedis indulta, matrimonia haereticorum coram ministro acatholico, vel coram magistratu civili inita, absque forma Concilii, nulla generatim sint, ac irrita? Non defuerunt auctores, qui negativam sententiam tenerent, sive quod lex Tridentina haereticos non obligat, utpote quae ab iis non fuit acceptata, aut in usum deducta, sive quod ea nullo modo fuit de facto publicata in eorum religiosa societate, ac communitate, sive demum

quod ea Concilii Tridentini mens fuit, in praescribenda publicatione legis in singulis Parochiis, ut valida matrimonia haereticorum essent, eo quod inter ipsos legem publicandam non fore praevidebat. Verum haec sententia, sic generatim accepta, contraria est praxi et doctrinae Ecclesiae, quae frequenter nulla declaravit propter clandestinitatem matrimonia haereticorum, quae in locis, ubi Concilium Tridentinum publicatum est, absque praesentia Parochi inirentur. S. C. C. responso dato ad Nuntium Apostolicum in Belgio, die 26 Sept. 1602, et decreto edito in Tricarin., Innoc. XI probante, 8 Ian. 1678 statuit: « Haereticos quoque, ubi decretum est publicatum, teneri talem formam observare, ac praeterea etiam ipsorum matrimonia, absque forma Concilii, quamvis coram ministro haeretico, vel magistratu civili contracta irrita ac nulla esse. » Idem confirmatur ex decis. in una Polon. ad dubium « An quando mulier catholica cum haeretico, vel contra, matrimonium, praesente ministro haeretico, contrahit in loco, in quo dubitatur, an S. Concilium Trid. fuerit publicatum, debeat coram Parocho catholico iterum contrahere? » die 13 Nov. 1638 reposuit: « Si non constat de publicatione S. C. Trid. in Parochia contrahentium, non esse invalida matrimonia coram ministro haeretico contracta: si vero constat de publicatione S. C. in parochia, saltem ex illius observantia per aliquod tempus tamquam decreti sacri Concilii, ad validitatem matrimonii requiri, ut coram Parocho catholico iterum contrahant. S. C. eodem modo decidit in una Ruremond. Matrim. 2 Maii 1676; in una Genaden. Matr. 4 Sept. 1677, et in Boscoduc. Matrim. 13 Febr. 1683, et 6 Martii 1694,

ubi ad dubium, « An milites catholici cum acatholicis mulieribus teneantur servare formam praescriptam a Conc. Trid.? » reposuit: « affirmative in locis, ubi publicatum esset Concilium, iuxta decretum S. C. 26 Sept. 1602 ad tertium dubium, approbante S. M. Clem. VIII.

Argumenta, quae pro contraria sententia a nobis fuerunt summatim exposita, facile solvuntur. Nam primum deductum ex acceptationis defectu ex parte haereticorum nullum habet pondus; siquidem notum est acceptationem ex parte subditorum, praesertim rebellium, non expostulari, ut lex obligandi vim habeat. Non subsistit pariter secundum argumentum, praesertim quod quaestio generatim proposita est, nec coarctatur ad ea loca, ubi protestantes distinctas parochias, propriosque pastores habent, de qua inferius videbimus. Tertium tandem argumentum non valet, quia mens Concilii non ea fuit, ut omnes ubique protestantes a lege generatim eximeret. Quae cum ita sint, illud, ut certum in iure, ac tutum in praxi statui inde potest ac debet, nempe: ubi per positivam probationem, indubitanter demonstratur Concilii decretum promulgatum esse et admissum, nec in desuetudinem abiisse in parochiis, intra quarum ambitum contrahentes haeretici, catholicis hic illinc commixti vivunt, ac veluti incolae commorantur, ita ut separatam numerosamque in loco haud constituant societatem cum propriis coetibus religiosis, veluti parochiis, nullus profecto dubitationi locus superesse potest, quin ii, tridentina lege obstringantur, praesertim quod, ut observat Pignatelli T. 5 Consult. can. 77, n. 27 domus habitationum dicuntur sub dictis ca-

tholicis parochiis exs'are, et haeretici eorum legibus vinciuntur; adeoque matrimonia eorum inter se et cum Catholicis contra Ecclesiae legem inita habenda sunt irrita. Fallitur itaque cl. Pehem Prael. in I. Ecc. Un. § 507 dum generatim affirmat « Ecclesia hoc impedimentum (clandestinitatis) adversus eos (Protestantes) non urget, nec in Germania nostra urgere posset, quum tenacior eiusdem exsequutio plus mali, quam boni post se traheret, pacemque atque mutuam concordiam perturbandi quotidianam occasionem praeberet. » Haec Pehem sententia clar. Nardi arridere videtur tum in op. « Elementi di diritto Canonico » t. 2, l. 3, § 62, tum in op. « Diritto Matrimoniale cattolico » § 78.

Quaeritur 2° « An irrita et prorsus nulla dicenda sint matrimonia in iis regionibus absque concilii forma contracta, in quibus haeretici statum civilem a gubernio probatum habent, et religionis suae cultum in propriis templis, cum propriis ministris libere exercent, quin tamen societatem distinctam ac separatam a catholica cum suis iuribus, ac legibus adhuc efforment ac constituant, sive quod exiguo admodum numero sint, sive quod subiiciantur catholico principi, qui sectae professionem tolerat, quin approbet, sive quod cultus, qui in templis permittitur, exercitium ad nonnulla articulata loca definita restringitur, quae et ipsa, edicto Regis, Parochi catholici iurisdictioni subiiciuntur? Non defuerunt auctores, qui pro negativa sententia pugnarent, innixi non defectu potestatis Ecclesiae, sed defectu eius voluntatis, quem defectum tum e Concilii Tridentini mente, tum ex Bened. XIV declaratione de matrimoniis Hollandiae desumere arbitrati sunt. Verum post docu-

menta, postremis praecipue temporibus, hac super re a S. C. C. edita, nullum amplius exstat dubium, quin affirmativa sententia omnino tenenda sit. Omissis responsis an. 1726 ad Episc. Corcyranum, an. 1803 ad Episc. Melitensem, an. 1817, ad Vic. Generalem Parisiensem, an. 1828, ad Vicarium Apost. Bredanum, an. 1831 ad Episc. Cameracensem, an. 1847 ad Episc. Fluminis ianuarii, et an. 1848 ad Episc. Viverensem datis, quae collecta reperies penes clar. Perrone, « De Matrim. Christiano T. 2, l. 2, sect. 1, c. 6, a. 2, satis nobis erit afferre decisionem S. Poenitentiariae 28 Mart. 1834, ubi ad dubium « Utrum matrimonia ab haereticis inter se, aut cum catholicis, iuxta solas leges civiles, seu coram ministro haeretico, sine praesentia Parochi catholici inita, valida sint in Galliis, et in aliis regionibus, ubi ut in Galliis protestantes et haeretici omnes habent suos ministros, templa, seu statum legalem a Gubernio probatum? » reposuit « Negative, exceptis regionibus, de quibus loquitur Ben. XIV in decl. diei 4 Nov. 1741, atque ad quas per successores suos illa eadem declaratio extensa est. »

Duo hic praestat animadvertere. Primum est: Matrimonia haec fieri valida, ubi contrahentes, de nullitate matrimonii optime gnari, alio se conferant, ubi Tridentinum Concilium non est publicatum, habitationem ibi figant et per tempus necessarium commorantes, novo consensu, illud revalident. Vide SS. Inquisit. decis. an. 1842 et 1848. Alterum est, citata declaratione benedictina decerni, 1° matrimonia in foederatis Belgii provinciis inter duos haereticos, usque modo contracta, quaeque in posterum contrahentur, etiamsi

forma a Trid. praescripta, non fuerit in iis celebrandis servata, dummodo aliud non adstiterit canonicum impedimentum, pro validis habenda esse, adeoque si contingat utrumque coniugum ad catholicae Ecclesiae sinum se recipere, eodem quo antea coniugali vinculo ipsos omnino teneri, etiamsi mutuus consensus coram Parocho catholico ab iis non renovetur; sin autem unus tantum ex coniugibus, sive masculus, sive femina convertatur, neutrum posse, quamdiu alter superstes erit, ad alias nuptias transire. 2° Idem dicendum esse de matrimoniis mixtis in iisdem pariter foederatis Belgii provinciis, absque forma a Tridentino statuta, adeoque ea matrimonia, alio non concurrente canonico impedimento, valida habenda esse, et neutrum ex coniugibus, donec alter eorum supervixerit, ullatenus posse, sub obtentu dictae formae non servatae, novum matrimonium inire. 3° Quidquid hactenus sancitum dictumque est, intelligi etiam de similibus matrimoniis, extra fines dominii eorundem foederatorum ordinum contractis ab iis, qui addicti sunt legionibus, seu militaribus copiis, quae ab iisdem foederatis ordinibus transmitti solent ad custodiendas, muniendasque arces conterminas, vulgo dictas *di barriera*, dummodo tamen uterque coniux ad easdem copias, sive legiones pertineat. 4° hanc declarationem complecti etiam civitatem Mosae Traiectensis, a Republica foederatorum ordinum, quamvis non iure dominii, sed tantum oppignorationis, ut aiunt, nomine possessam. 5° Nil decerni aut declarari de coniugiis, quae vel in regionibus principum catholicorum ab habentibus domicilium in provinciis foederatis ineuntur, vel de illis, quae in

provinciis foederatis contrahuntur ab iis, quorum domicilium in regionibus catholicorum principum eorumque dominio situm est, de quibus ubi disputatio contingat, iuxta canonica iuris principia, et probatas S. C. resolutiones, decidatur. Quibusnam rationibus Ben. XIV ductus sit ad hanc declarationem emittendam, inquirere longum est, nec ad id quod spectamus necessarium. Verum haec declaratio, absque nova ac speciali S. Sedis decisione applicari nequit matrimoniis in aliis locis, ac regionibus initis, licet eadem circumstantiarum adiuncta faveant, ut S. O. ait ad Vicarium Capitularem Pictaviensem 28 Aug. 1818. De regionibus, quibus eadem ex S. Sedis indulgentia vim suam potestatemque exserit, inferius sermo redibit.

Quaeritur 3° an nulla et invalida sint matrimonia, quae, non servata forma Concilii, ab haereticis contrahuntur in illis regionibus, in quibus, praeter suos ministros, templa, et statum legalem a gubernio probatum, protestantes societatem veram ac propriam per se stantem a catholica omnino separatam constituunt; sive quod iam ab anno 1563, quo decretum Conc. Trid. editum fuit, ipsi impune ibi grassantur; sive quod posthac, successu temporis, per pacta conventa in pace monasteriensi, sub principe acatholico, publicis rebus potiuntur et dominantur; sive quod demum catholicis intermixti numero pares, aut etiam longe superiores, existunt, et iuris aequalitate, consuetudine civili, cultusque libertate, licet sub catholico principe, integre perfruuntur? Verbo, quaeritur utrum separatae heterodoxae societates, quarum origo et existentia Trid. Conc. publicationem an-

tecedit, aeque ac illae, quae deinceps constitutae sunt, et efformari adhuc possunt, in locis, ubi catholici pauciores numero sunt, attentis circumstantiis, ac periculis quae inde exorirentur, Tridentini decreti lege adhuc generatim comprehendi debeant? Duplex adest sententia; qui affirmativam sequuntur, innituntur tum SS. CC. decisionibus superius allatis, quae absque ulla distinctione, ac limitatione ipsis statuere visae sunt, ut haeretici formae Concilii, ubi publicatum et receptum est, strictim semper obstringantur; tum peculiari S. C. C. responso an. 1742, quo matrimonium mixtum, non servata Ecclesiae forma, Ulmae celebratum, ubi Concilii decretum publicatum esse affirmabatur, nullum et irritum dicitur; tum denique Brevi Pii VIII 15 mart. 1830, et Instructione Card. Albani diebus 25 et 27 maii 1830, ad Archiepiscopum Coloniensem, et Epis. Trev. Paderbon. et Monaster. datis, quibus decernitur matrimonia in iis locis usque eo tempore, sine Parochi praesentia, celebrata nulla esse et irrita. Qui negativam tenent sententiam suum hauriunt fundamentum sive ex mente Concilii, sive ex tacita, quin imo ex expressa S. Sedis conniventia et usu Ecclesiae, sive ex iis rationum momentis, quae in celebri causa Yprensi visitat. SS. LL. fuso calamo exposita sunt, ac sapienter disputata, sive demum ex ipsa declaratione Bened. XIV. In hac sententiarum discrepantia, nostri instituti ratio non patitur crisim et epicrisim argumentorum utriusque sententiae instituere, et rationibus ac coniecturis rationes ac coniecturas opponere. Satius est documenta et exempla in medium afferre, ex quibus probare nonnulli gravissimi sane nominis auctores conni-

tuntur, sanctam Sedem, nulla praevia decreti Tridentini derogatione, dispensatione, aut declaratione, aliquando decrevisse pro validis habenda esse matrimonia haereticorum etiam in locis, ubi forte constat Concilium esse receptum, attentis praecipue gravibus rationum momentis, ac circumstantiis ex societatis acatholicae existentia depromptis. Itaque ad rem propius accedendo, scio equidem hos auctores haud multum inniti exemplo ex matrimoniis in foederatis Belgii provinciis initis deprompto, quum notum ipsis sit de hoc facto auctores diversa sentire, nec uno eodemque modo explicare motiva, quibus Ben. XIV inductus est ad ea valida declaranda. Hoc itaque silentio consulto praetermisso,in medium primo afferunt exemplum, quod Helvetia exhibet. Cum enim dubium propositum esset de validitate matrimonii inter duas personas ex secta Calviniana in pago Coppet, S. O. feria 5, 3 apr. 1752 validum connubium esse decrevit, et Bened. XIV coram consultoribus generatim dixit: « Non esse amplius hodie in discrimen revocandam validitatem matrimoniorum inter haereticos, et insuper animadversione dignum censuit, quod separatio coniugalis non ita facile admittenda est in iis locis, in quibus, ut notorium est per pacta conventa in pace Westphalica a S. Sede semper reprobata, impune grassantur haereses, et matrimonia catholicorum et haereticorum valide, licet illicite, contrahuntur.» 2° Exemplum, cui innituntur, praebet Hibernia. Episcopi enim omnes, exceptis Archiep. Dublinensi, et Episcopo Ossosyensi, postquam aperte declararunt Conc. Trid. decretum a tempore immemoriali in ea regione receptum esse ac promulgatum, dem-

ptis Augustae Galviae districtu et Archidioecesi Thiramensi, ubi a 40 circiter annis promulgatum vigebat, animadvertere non praetermiserunt, societatem haereticam a catholica separatam, vel a tempore editi decreti iam exstitisse, vel certo deinde efformatam fuisse, adeoque, attentis his circumstantiis, praesertim postrema, matrimonia haereticorum, tamquam firma et valida haberi. S. O. fer. 5, 19 martii 1785, auditis SS. DD. CC. generalium inquisitorum suffragiis, decrevit «matrimonia mixta in Hibernia contracta et contrahenda, non servata forma Conc. Trid. iis in locis, in quibus Conc. ipsum, sive etiam decretum sess. XXIV, c. 1 de ref. forsan fuit publicatum, alio non concurrente canonico impedimento, quamvis illicita, habenda tamen esse ut valida.» 3° Exemplum desumunt ex provinciis protestantibus regno Bavariae, an. 1814 adiunctis. Cum enim ex una parte constaret protestantes, usque ad illud tempus in societatem separatam ibi coaluisse, suoque ritu, sub principe acatholico, matrimonia inivisse, cumque ex alia innotesceret, nil prorsus a Gubernio catholico, quod suffectum erat, decerni hac super re pro Ecclesiae bono, atque praescribi, Gregorius XVI haec omnia attente serioque considerans, potiusquam quaestionem proponeret, an Conc. decretum ibi fuerit nec ne publicatum, satius duxit, breve ad Episcopos Bavariae 28 maii 1832 mittere, et a Card. Bernetti instructionem edi, ubi statuebatur die 12 sept. 1834 «eiusmodi coniugia firma, ac valida, proptereaque indissolubilia habenda esse.» 4^m^ exemplum suppeditat Hungaria. Ad dubium ab Episcopo Rosnaviensi propositum: «An cessante omni alio canonico impedimento,

valeat in Hungaria matrimonium inter partem utramque haereticam, non servata forma Conc. Trid.; S. O. fer. 5 16 martii 1780 reposuit: « matrimonia haereticorum inter se, coram ministro haeretico inita ita oportere dissimulare, ut supra eorum validitate, vel invaliditate ab omni prorsus abstineas ne dum proferendo iudicio, verum etiam proferenda disputatione. » Huiusmodi dissimulationem tamquam tacitam approbationem habendam esse, citati auctores deducunt, tum ex regula glossae in cap. Super eo de Cognat. Spir., ubi super illa verba, dissimulare poterit, habet: «Talis dissimulatio loco probationis tacitae habetur, et merito, cum nullum obstet impedimentum:» tum ex Pii VI responso eodem tempore ad Episcopi dubium dato, quo Summus Pontifex a voto ac sententia consultorum, qui stabant pro nullitate matrimonii, recedens, et verba id exprimentia e formula expungens, haec substituenda esse voluit: « Prudentiam tuam non latet, huiusmodi nuptias catholico homine prorsus indignas Ecclesiam semper abhorruisse, nec quidquam intentatum reliquisse, quo fideles suos ab eis ineundis omnino deterreret; propterea que si in quibusdam regionibus, propter locorum et temporum difficultates, eadem connubia tolerari contingit, id quidem ad eam referendam est aequanimitatem, quae nulla ratione approbationis, vel consensus cuiuspiam loco habenda est; sed merae patientiae, quam ad maiora vitanda mala affert necessitas, non voluntas. » Accedit, ad rem confirmandam, Gregorii XVI instructio per Emin. Lambruschini die 30 maii 1841 ad Primatem, Archiepiscopos, et Episcopos Hungariae data, qua praescribitur, matrimonia mixta, non servata Con-

cilii forma, « ea ratione inita, inspectis tam praeteritis, quam praesentibus locorum, de quibus est sermo, peculiaribus circumstantiis, esse ab Episcopis et Parochis dissimulanda, et quamvis illicita, pro validis habenda. » Ubi notandum, peculiares hasce circumstantias non desumi aut deduci ex eo, quod non constaret de promulgatione decreti Concilii, sed praesertim ex eo quod, haeretici vel multo antea in Hungaria publicum religionis suae exercitium, pactis ac legibus, nacti essent, et parem cum catholicis civilem ac politicum statum haberent, vel saltem ex eo quod successu temporis, et post edicta Iosephi II, an. 1781, ac Leopoldi I, an. 1791, quibus iurium aequalitas, nullis locis circumscripta, et cultus omnimoda libertas, et expedita matrimoniorum mixtorum, absque ulla limitatione, celebratio impertiebatur, societatem omnino separatam constituerent. 5 tandem argumentum ex decisione S. Officii ad 4 dubium propositum a quodam Germaniae Antistite, deducitur. Quaerebatur « quid de matrimonio iudicandum, quod sponsi mixtae religionis, ad quod Parochus catholicos propter defectum cautionis opportunae de catholica educatione prolis, illud benedicere, aut litteras dimissoriales dare recusavit, coram ministello protestantico contraxere? Numquid mulier hic, ubi Concilium Tridentinum est receptum concubina erit habenda? Et si ita, quibus sub conditionibus Ecclesiae poterit reconciliari, eiusque matrimonium validari? » Die 30 Ian. 1842 responsum fuit: « Quoad primam et secundam partem recurrant in casibus peculiaribus. » Porro ex hoc responso illud consequi videtur, nempe fieri posse, ut attentis adiunctis, matrimonia inter haereticos

in locis ubi Concilium Trident. receptum est, tamquam valida habeantur.

Quae cum ita sint, nil aliud remanet nunc, quam ut responsiones hic breviter afferamus, quas huius sententiae patroni in medium afferunt ad destruenda argumenta, quae ab oppositae sententiae auctoribus proponuntur. Primum itaque quod spectat ex SS. CC. decisionibus desumptum argumentum, facile solvitur. Nam citatae decisiones alio omnes spectant, eo quod attingunt haereticos incolas, qui nondum, constituta separata societate, intra catholicae paroeciae limites, in qua Conc. Trid. est publicatum, domicilium et habitationem habent, ecclesiasticaeque iurisdictioni subiiciuntur. Cum itaque sermo sit de haereticis, de quibus loquuti fuimus in prima quaestione, nullum adest dubium, quin eorum matrimonia, non servata lege Ecclesiae, nulla sint ac irrita. Ad rescriptum S. C. C. de matrimonio Ulmae celebrato quod spectat, iidem auctores animadvertunt agi de matrimonio, quod sponsi ex loco, ubi Concilii decretum fuit promulgatum, et acceptum, se Ulmam, unius matrimonii celebrandi causa transtulerunt, quin legitimum domicilium, vel quasi domicilium ibi revera adepti essent. Iam vero paullulum memoriae revolventi iuris regulas iampridem constitutas ac superius a nobis expositas, de iis, qui relicta regione in qua domicilium habent, alio se conferunt, ut, nullo novo ibi domicilio, vel quasi domicilio adhuc acquisito, matrimonium contrahant, illico patebit ac manifestum erit matrimonium Ulmae contractum ea solum ratione irritum esse, quia illuc contrahentes fixerunt habitationem, eo solo animo, ut, nullo

novo domicilio, vel quasi domicilio habito, absque Parocho contraherent. Itaque matrimonium nullum erat, utpote contractum in loco, ubi sponsi nullum erant adepti domicilium, aut quasi domicilium, ex cuius defectu, matrimonium semper nullum exstitisset, etiamsi admittatur Concilii decretum Ulmae numquam promulgatum fuisse, quod patet ex resolutionibus Sacrae Congregationis Concil. superius pariter citatis, quibus constat « nullum esse illorum censendum coniugium, qui illic celebrant, ubi receptum non est Concilii decretum, non habentes sive domicilium, sive quasi-domicilium. » Quin imo dicendum, nullum fuisse matrimonium, licet coram Parocho Ulmae, proprii domicilii Parocho praetermisso, celebratum fuisset. Nam S. C. C. die 22 Feb. 1631, censuit dandam esse declarationem in abstracto in forma sequenti: « Vir et mulier e loco suae habitationis, absque animo illam relinquendi, discedentes et ad locum alterius Parochiae solo animo ibi matrimonium celebrandi, non autem domicilium transferendi, ibi coram Parocho illius loci matrimonium inter se contraxerunt. Supplicatur per S. C. declarari, an huiusmodi matrimonium sit nullum, vel validum? S. C. secundum ea, quae exponuntur censuit esse nullum. » Tandem ad Breve Pii VIII et instructionem Card. Albani quod spectat, quae ultimo loco obiiciebantur, opportunum esse duco quae de hoc documento, in suae sententiae fulcimen ab auctoribus exponuntur, fuso calamo exponere, ut aperte constet quid eo tandem affertur, ac decernitur. Duo sunt, reapse, quae inibi praescribuntur; alterum est, matrimonia mixta usque ad diem 21 Martii 1830, absque Concilii forma

inita, irrita esse ; alterum est, valitura quae deinceps iniri contingeret. Iamvero primum nil prodesse contrariae sententiae patronis, quisque facile sibi persuadet, si pacato animo animadvertere voluerit, sermonem esse de provinciis maxima ex parte a catholicis inhabitatis, et catholicis principibus usque ad annum 1770 subiectis, quo primum tempore sub Regis Borussici acatholici usque ad an. 1798 dominatu devenerunt. Scimus praeterea ex eo tempore usque ad an. 1814 sub Gallorum regimine catholicos vixisse, atque adeo haereticos ibi commorantes valde paucos numero fuisse, saltem usque ad annum 1825, unde factum est, ut populi omnes catholicam religionem profiterentur, et si qui essent protestantes, vel nullum religionis suae publicum cultum haberent, lege id vetante, vel ad nonnulla loca coarctatum et ea, non minus quam alia quaecunque, iurisdictioni Parochi subiecta omnino continerentur. Neminem latet anno 1825, primum ad Rhenanas provincias legem illam nefariam Codicis Borussici an. 1792 editi, fuisse applicatam, qua statuebatur, ut in matrimoniis mixtis masculi institui deberent in religione patris, et feminae in religione matris, quin imo ad easdem extensam legem die 21 Nov. 1803, qua declaratum fuit, universam prolem institui debere in religione patris, et insuper sacerdotibus interdictum, ne a personis matrimonium contracturis ullam exigerent sponsionem super religiosa nasciturae prolis institutione. In his rerum ac locorum adiunctis, mirum non est, quod Pius VIII de illorum causa respondens, qui mixta matrimonia inire ausi fuerant, catholico Parocho non praesente, iuxta iuris canonici princi-

pia, probatasque SS. CC. decisiones decreverit; « Matrimonia usque ad id tempus, absque Parochi praesentia inita, nulla esse et invalida. » Quo decreto nil adinvenitur quod sententiae, quam auctores defendunt, opponatur. Alterum autem decretum eidem magis favet, quam obsit. Nam S. Pontifex ex una parte maximo animi sui moerore perspiciebat, plures catholicos, terrore saevitiarum fractos iniustae ac exitiosae legi parere, et simul praevidebat futurum in posterum, ut matrimonia mixta, lege praecipiente, coram ministro solum protestante, contraherentur, nullis obstantibus monitis; praesertim quod protestantes potentia, ac numero fere catholicis praestabant, ac societatem separatam, in iis provinciis, cum suis templis, ac ministris constituebant, et quae suae sunt sectae exercebant; ex altera parte pertimescebat, ne iterum quaestio proponeretur, an scilicet, attentis hisce circumstantiis, praesertim citata lege, matrimonia mixta, quae mutato earum regionum temporali dominio, iisque e catholici Regis ditione in haeretici principis potestatem translatis, in posterum fierent, absque Parochi praesentia, nulla et irrita censenda essent, veluti facta contra Conc. Trid. dispositionem, an vero valida, utpote sub eiusdem Concilii censura non amplius comprehensa. Quae cum seria attentione perpendisset Pontifex Summus, prudentissimo sane ac providentissimo consilio decernendum duxit, religionis causam, utilitatemque prae oculis habens « matrimonia mixta, quae posthac contrahi contingeret, non servata Ecclesiae forma, pro veris connubiis haberi, prout apostolica auctoritate vera et rata fore declarat et decernit, contrariis quibuscumque non

obstantibus.» Quod quidem maxime conforme spiritui lenitatis, qua semper Ecclesia catholica usa est et valde conducens esse ad omnes scrupulos eliminandos, et ad consulendum bono fidelium, nemo est qui non videat, ac fateatur. Quid quaeso, significat aliud haec duplex agendi ratio, nisi quod Pius VIII duplici casui, accurata decisione, providere voluerit, in quorum altero agebatur de haereticis paucis admodum numero, qui nullum coetum proprium, sub principe catholico, efformabant, nec statum civilem publicum habebant; in altero erat quaestio de protestantibus auctis numero, sub Principe acatholico, qui quae suae essent sectae libere exercerent, et in societatem separatam coalescerent? Haec vero paulo fusius uberiusque prosecuti sumus, ut quisque intelligeret, qua ratione, quoque fine de gravissimo hoc argumento S. Pontifex statuendum iudicaverit.

Quibus sic expositis, ac enucleatis, iam pluribus opus non est, ut intelligatur, affirmativae sententiae haud ita generatim, ac simpliciter acquiescendum esse, ut ea in praxi, quibuscumque in casibus indiscriminatim sequenda sit, nullo habito respectu sive circumstiantiarum, quae modo in una facti specie adsunt, modo in altera desiderantur, sive rerum ac locorum adiunctorum, quae maximi ponderis esse solent. Quapropter consultum quam maxime erit, in casibus peculiaribus, antequam transitus ad alias nuptias, aut denegetur, aut permittatur, ad S. Sedem recurrere, expositis omnibus circumstantiis, ut ea vel de valore matrimonii decernat, vel statuat quid magis expediens sit, et interea temporis a iudicio ferendo abstinendum est, eo vel magis quia ex hoc iudicio

non tam utilitatis fructus, quam offensionis et periculi metus in catholicae Religionis perniciem foret expectandus.

4° Tandem quaeritur, an in regionibus catholicis, ubi Concilii decreto promulgato ac usu recepto tum plena adest cultus ac conscientiae libertas, tum iniqua lex viget de matrimonio, quod coram laico administro ad hoc constituto iniri debet, vera ac legitima habenda sint connubia haereticorum, qui etsi parvo numero sint, statum tamen civilem, ac religiosam distinctam societatem cum omnibus iuribus civilibus et cum publica cultus libertate efformant, ac constituunt?

Quaestio haec eo tota reducitur ut videatur, an in regno catholico, ubi aequalitas civilis, et cultus libertas omnibus civibus concessa est, haereticis paucis numero commixtis cum catholicis, sola societatis separatae constitutae ac recognitae ratio potens prorsus sit, ac sufficiat, saltem decursu temporis, ut a lege Concilii liberi et exempti dicantur? Affirmativam sententiam praeter alios sequuntur Carrière op. de Matrim., auctor op. Etudes de Théologie, Paris 1839, et Adamus Iosephus Ahrig professor Dilingensis. Fertur Cardinalem Caprara quaestionem haud ab hac absimilem, nempe, an in Gallia heterodoxi decreto Concilii absolute ac semper detineantur, Pio VII proposuisse, et additur Summum Pontificem eam dirimere noluisse. Verum postquam Pius VIII nulla declaravit matrimonia mixta clandestine inita in provincia Coloniensi usque ad an. 1830, et Gregorius XVI, tum responso S. Poenitentiariae superius citato an. 1834, tum decis. S. O. 16 Feb. 1852, decrevit constare de nullitate matrimoniorum mix-

torum in Galliis et Belgio, non servata forma Conc. Trid. celebratorum, nullus amplius dubitandi locus relinquitur, quin negativa sententia vera sit. Accedit quod licet ex facto separatae societatis haereticorum in regno catholico Sedes Apostolica vim hauserit, ut in quibusdam casibus haereticorum matrimonia pro validis habenda esse decerneret; certum tamen est, huic facto non ita simpliciter institisse, ac innixam fuisse, ut aliis argumentis missis, et diversis rerum, ac temporum adiunctis postpositis, putaverit per se sufficiens esse, ut haereticorum matrimonia valida haberentur.

Nolumus hic silentio praeterire, non deesse pientissimos ac sapientissimos Antistites, qui vehementissime exoptant, ut pro salute animarum, ac pro Ecclesiae bono aliquid de rigore huius iuris imminuatur, atque permittatur in posterum a S. Sede, ut matrimonia, de quibus agitur, dissimulentur, vel saltem ut sponsi in bona fide relinquantur. Quin imo nonnullos audivi, enixis precibus exposcere, ut vel generali lege decernatur, acatholicas omnes societates ac communitates ubivis et quomodolibet pacifice viventes, quantum ad religionem pertinet, decreto Conc. Trid. non comprehendi, vel saltem expressa declaratione aut Brevi Apostolico per extensionem Declarationis Bened. XIV ab eodem eximi. Motiva autem, quibus antistites ii sapientissimi pressius innituntur, procedunt, tum ex eo quod reddatur inde religio catholica minus invisa protestantibus in genere, et valde facilis iis in specie, qui forte parati sunt in Ecclesiae sinum se recipere, tum ex eo, quod gravissimum illud malum, ad quod praesertim evitandum Conc. Trident. in suo decreto de

clandestinitate intendit, aut non amplius existit, aut alia ratione prorsus impeditur, et praeterea omne ex renovato consensu et simulata conversione periculum fere evanescit; tum demum ex eo, quia impossibile nunc est, ut nuptiae clam fiant, et ut pars, relicta priore uxore, cum alia palam contrahat, et in perpetuo sic vivat adulterio. Archiepiscopus Friburgensis una cum suffraganeis suis 1 Augusti 1864, id a S. S. expetivit ad tollendum omne dubium, ad evitanda quaecumque mala, et ad anxietates conscientiae amovendas. Verum die 17 Martii 1865 rescriptum est: « Non expedire, ut in re de qua agitur, in praedictis dioecesibus aliquid innovetur, nec ut ad eos applicentur, quae pro aliis dioecesibus concessa aut declarata fuere.» An idem responsum aliis etiam locis applicandum sit, S. Sedis erit decernere. Quod ad nos attinet, eorum vota exposuisse sufficiat. Interea illud accurate notandum est, quod usque dum aliter a S. Sede non sit definitum, sequamur oportet propositam sententiam, qua decernitur, in casu, matrimonia haereticorum, ac mixta clandestina nullo pacto esse valida in regnis catholicis, licet societates acatholicae per se stent. Unde monitos volumus parochos, ut, si de matrimonio convalidando aperte agatur, in eo toti sint, ut consensus coram parocho et testibus renovetur, sin minus caute est procedendum, nihilque agendum, inconsulta Sancta Sede, quae omnibus attente consideratis, videbit, an expediat nullitatem matrimonii declarare, vel potius satius sit contrahentes in bona fide relinquere.

Restat nunc, ut breviter indigitemus tum loca quibus declaratio Ben. XIV extensa est; tum loca,

quibus ex S. Sedis indulgentia aut decreto matrimonia mixta valida sunt; tum tandem loca, in quibus Conc. Trid. publicatum non est, vel saltem dubium adest, an publicatum sit.

Plures sunt regiones, praecipue acatholicis subiectae principibus, in quibus RR. PP. Benedictinam declarationem extenderunt. Clem. XIII itaque hanc declarationem extendendam esse voluit dec. S. O. die 29 Nov. 1764 ad regionem Quebeciensem et Canadiensem, ex quo sub ditione Angliae pervenerat; die 21 Febr. 1765 ad Wratislaviam et dioecesim in ea territorii parte, quae Regi Borussiae subiiciebatur; die 12 Septembr. 1765 ad provinciam Malabariam iamdiu sub ditione Hollandiae existentem; die 17 Maii 1767 ad Bombaicum, ubi pervenit ad potestatem societatis ab Indiis nuncupatae. Clemens XIV 5 Maii 1774 ad Ulmiam civitatem, olim in dioecesi Constantiensi, nunc in regno Wurtembergico, et ad dioecesim Culmiae sub regno Borussico; Pius VI 2 Martii 1780 ad eam Poloniae partem, quae regno Moscovitico unita fuit; et die 19 Iunii 1793 ad ducatum Cliviensem eamdem declarationem extendit. Ad ducatum Cliviensem quod spectat, illud notandum est, quod licet Suprema Inquisitio die 5 Iulii 1796 rescripserit: « Ex hactenus deductis non constare de nullitate matrimonii in ducatu Cliviensi; » tamen die 15 Iulii 1793 propositis dubiis «1° an matrimonia contracta a catholicis et haereticis coram ministellis acatholicis ducatus Cliviensis sint valida et licita in casu? 2° an et quomodo parochi catholici eiusdem ducatus licite concedere valeant dimissorias ad ea contrahenda in casu? 3° an declaratio Ben. XIV quoad Hollan-

diam et Belgium sit extendenda ad praedictum ducatum in casu?» S. C. C. reposuit: « ad 1^m^ stat S. C. pro valore, sed tamen ait illicita esse, fieri tamen posse licita ex dispensatione S. Pontificis; ad 2^m^ id licite non fieri; licitum tamen fieri ex dispensatione cum iusta causa; hanc causam hic adesse; ad 3^m^ respondit affirmative, et insuper censuit consulendum. SS.^mo^ » Pius VI dedit instructionem die 19 eiusdem mensis. Ulterius idem praestitit Pius VII 25 Apr. 1817 quoad Silesiam, quae ad Borussiae regnum spectat, et 3 Martii 1823 quoad Septentrionales Americae insulas Angliae, Bataviae, Daniaeque guberniis obnoxias, S. O. sede vacante, hoc est die 9 Septemb. 1823 applicavit declarationem ad Status foederatos Americae Septentrionalis, et speciatim ad Dioecesim Neo-Orleanensem, quatenus opus esset, seu ad Superiorem et Inferiorem Luisianam ac Floridas, caeterasque partes olim Gallorum et Hispanorum ditioni subiectas; nec non ad Insulam SS. Trinitatis. Clar. Kenrich. op. cit. n. 184 opinatur ipsos catholicos ibi haud ligari, nisi in parochiis olim erectis, seu antiquis. Leo XII per S. O. 20 April. 1826 declarationem ad omnes incolas Mosae Traiecti extendit, ac denique 3 Septemb. 1828 ad provincias Italo-graecas, seu Albaniam, Bulgariam, Bosniam Turcicam, dummodo non agatur de matrimonio inter duos catholicos; tandem Gregorius XVI an. 1831 ad oram Coromandelicam et Colonias Gallicas, 6 Septemb. 1832 ad plures Americae partes Angliae subiectas ditioni, praecipueque ad novam Scotiam, Calecutiam, Bombay, quatenus opus esset, et ad omnem excludendam dubitationem, eadem ratione, qua pro dioecesi Quebeciensi, et Canadensi

factum fuerat, item an. 1833 ad Ponticericium, et 28 Febr. 1844 ad parvum S. Petri Suburbium prope Mosam Traiectinam Benedicti XIV declarationem applicavit; sed ad cautelam tantum, quoad ultimum locum, fecit, propterea quod suburbium iam partem civitatis efformabat an. 1826, quo declar. Benedicti a Leone XII extensa fuit.

Loca vero, in quibus rescripto, aut indulgentia S. Sedis matrimonia haereticorum ac mixta valida habentur, haec sunt: omissis Hibernia, Helvetia, Provinciis Rhenanis, ac Westphalia, Hungaria ac Transylvania, Bavaria, de quibus superius loquuti sumus, notanda sunt 1° Civitas Constantinopolitana eiusque suburbium, ubi ex S. O. dec. f. 5, 20 Augusti 1769 matrimonia haereticorum valida sunt. 2° Universum imperium Russicum et Poloniae regnum ex dec. S. O. 2 Martii 1780 et S. C. negotiorum extraordinariorum die 19 Aug. 1844 decisione, qua dictum est: « respondendum oretenus matrimonia mixta pro validis habenda. » 3° Georgia, an. 1845, et loca Terrae Sanctae nomine nuncupata, Civitas Smyrnensis et Natolia; 4° demum Dioecesis Detroitensis in America, ex decisione S. O. die 26 Iun. 1842, qua decrevit non esse inquietandos, qui matrimonia ibi contrahunt, non servata Tridentini forma, excepta civitatis eiusdem nominis paroecia. Mitto hic responsa S. O. 12 Aug. 1824 et 25 Apr. 1825, quibus valida decernebantur matrimonia mixta inter addictos copiis militaribus regni Belgici (sub imperio tum temporis acatholici Willelmi I) munientibus loca extra territorium iam Belgii foederati, non obstantibus mutationibus iam factis urbibus finitimis, quousque aliter a S. S. non disponeretur.

Nam certum est, ex quo regnum belgicum est efformatum, dispositionem hanc vim omnem amisisse.

Loca, in quibus Concilii decretum publicatum non fuit in Europa haec sunt praecipua; Anglia, Scotia, Borussia presse sumpta, seu primitivi eius nominis principatus acatholici, Pomerania, Saxoniae maximus circulus, Svevia, pleraeque Helvetiae provinciae, Dania ac Norvegia, quae longe ante an. 1563 a fide catholica defecerant, haereseosque veneno infectae erant. Idem dicendum de dioecesi Hildesimensi, ac de Civitate Argentorati, quae in haeresim an. 1529 inciderat, ubi tamen quum a Ludovico XIV restitutus esset cultus catholicus et Conc. decretum publicatum, matrimonia catholicorum inter se, sine Ecclesiae forma irrita dicenda sunt ex decreto S. O. 22 Iul. 1842; tandem in Valachia, Moldavia, et in toto Archipelago Concilium non est publicatum in Ecclesiis schismaticis, quemadmodum non est publicatum in regionibus schismaticis et haereticis sub ditione turcica, persica, et sub imperio infidelium degentibus. In Asia, in Vicariatu Sutchuensi, in pluribus imperii Sinensis provinciis, et in regionibus orientalibus sub ditione turcica, et persica; in Africa, in Abyssinia; in America, in dioecesi Baltimorensi; et ex parte in dioecesi Quebetiensi Conc. decretum non fuit publicatum, et idem forsan dicendum de Insula Curaço sub ditione regis Hollandiae, eo quod dec. S. O. 1851 matrimonia clandestina ita contracta, et contrahenda pro validis habenda esse decernit, si nullum aliud impedimentum exstet.

Tandem dubitatur serio de sufficienti publica-

tione decreti, quod spectat ad Europam, in Civitate Bremae, in circulo Saxoniae inferioris, in dioecesi Sophiae in Bulgaria, ubi ex dec. S. O. 31 Aug. 1758 matrimonia etiam inter catholicos celebrata valida habentur, et, quoad Asiam, in Syria et in Insula Cypri et quoad Americam, in quibusdam statibus foederatis nullum est vestigium legis tridentinae promulgatae; quod speciatim constat de California superiori ex resp. S. O. an. 1853.

§ 63.

De consensu parentum in Matrimoniis liberorum.

Operae pretium est de parentum consensu in matrimoniis liberorum disserere. Desiderius Erasmus, et post eum Calvinus, nedum illicita, verum etiam nulla et irrita, iure naturali ac divino, arbitrantur quaecumque matrimonia, quae a filiisfamilias, non praecedente parentum consensu, seu ipsis insciis, vel invitis, fuerant contracta. Lutherus vero non sine distinctione hac in re dogmatizat; vel enim nata est proles ex matrimonio, vel non. Si 1. stat matrimonium firmum; si 2. in arbitrio parentum est illud ratum vel irritum facere. Contra vero catholicorum omnium concors sententia est, nullo in casu, si ius naturale ac divinum spectetur, irrita esse illorum matrimonia defectu consensus parentum; plerumque tamen illicita, cum sine iusta causa ac rationabili, filii non expetito prius et obtento suorum parentum consensu contrahunt, atque idcirco peccare illos graviter contra honorem ac reverentiam, quam omni iure naturali, divino, ecclesiastico et civili

debent parentibus suis exhibere, uno verbo, iuxta omnium catholicorum sententiam ius naturale ac divinum plerumque saltem prohibet, non tamen irrita reddit matrimonia filiorumfamilias, quae ineantur sine consensu parentum. Errores Calvini ac Lutheri Theologi confutarunt, et ipsa S. Tridentina Synodus reprobavit damnavitque sess. XXIV, c. 1 de Ref. An vero huiusmodi matrimonia filiorumfamilias, sine parentum consensu, seu iis insciis vel invitis, contracta, iure civili romanorum, fuerint nulla ac irrita, et an etiam nulla et irrita ante Concilium Tridentinum, de iure ecclesiastico, saltem aliquando fuerint nunc discutiendum est. Quoad primum spectat, ius civile romanorum videtur profecto matrimonia filiorumfamilias, sine parentum consensu contracta, prorsus nulla habuisse et irrita, siquidem in lege Nec filius in Cod. de Nuptiis, Imperatores Diocletianus et Maximinianus rescripserunt: « Nec filium quidem familias ad uxorem ducendam cogi legum disciplina permittit; igitur, sicut desideras, observatis iuris praeceptis, sociare coniugio tuo, quem volueris, non impedieris, ita tamen ut in contrahendis nuptiis, patris tui consensus accedat. » Et in L. 20 Cod. eod. Imperatores Honorius et Theodosius Iunior pariter rescripserunt: « In coniunctione filiarum ex sacris positarum, patris expectetur arbitrium, sed si sui iuris puella sit intra quintum et vigesimum annum constituta, ipsius quoque assensus exploretur. » Imperator autem Iustinianus initio tit. Inst. de Nuptiis idem repetit. Non me latet duos celeberrimos Iurisconsultos Iacobum Cuiacium et Dionysium Gothofredum hasce leges ita fuisse interpretatos, quod nempe

prohibeant tamquam illicitas, non vero irritent tamquam nullas eas nuptias, quae a filiisfamilias, absque parentum consensu contrahuntur. « Iustae non sunt, fateor, ait Cuiacius lib. 35 Pauli, contractae tamen non dissolvuntur. » Gothofredus in suis notis ad L. Filium 25 ff. de ritu nupt. addit: « Civiles hasce leges esse imperfectas, cum nuptias absque parentum consensu fieri prohibeant, contractas tamen non dissolvant. » Et addit: « sicut cincia lex imperfecta dicitur, quod supra certum modum donare vetet, donatum tamen non rescindat. » Potissimum autem in suae opinionis praesidium, idem Cuiacius, et Gothofredus auctoritatem adducunt iurisconsulti Pauli, depromptam ex libro ipsius 2. Sentent. t. 19, § 2, ubi sic ait: « Eorum qui in potestate patris sunt, sine voluntate eius, matrimonia iure non contrahuntur, sed contracta non solvuntur. Contemplatio enim publicae utilitatis privatorum commodis praefertur. » Pace doctorum virorum dictum sit, ipsi, meo quidem iudicio, falluntur, et in meridie caecutire videntur. Etenim, praeterquam quod opponi eorum interpretationi posset famosa lex, Non dubium est 5 Cod. de leg. et const. Principum, qua lege diserte Imperatores statuerunt « ut ea, quae lege fieri prohibentur, si fuerint facta non solum inutilia, sed pro infectis etiam habeantur, licet legislator fieri prohibuerit tantum, nec specialiter dixerit, inutile esse debere, quod factum est; sed etsi quid fuerit subsequutum, ex eo vel alio, quod interdicente lege, factum est, illud quoque cassum atque inutile esse praecipimus; » profecto hanc interpretationem tum Iustinianus, tum Paulus aliique Iurisconsulti, quorum sententiae

in Pandectis relatae sunt, manifeste refellunt. Iustinianus Inst. § 12 de nuptiis inquit: « Si adversus ea, quae diximus, aliqui coierint, nec vir, nec uxor, nec nuptiae, nec matrimonium, nec dos intelligitur. » Haec sane non illicitum modo, sed etiam nullum et irritum exprimunt matrimonium. In eumdem sensum leges illas interpretatur idem I. C. Paulus in contrarium adductus. Nam lege 2 ff. de ritu nupt. ex lib 35 ad edictum sic legitur: « Nuptiae consistere non possunt, nisi consentiant omnes, qui coëunt, quorumque in potestate sunt. » Idem arguitur ex Ulpiano, ut caeteros I. C. omittamus, in lege ff. de ritu nupt.: « Si nepos uxorem velit ducere, avo furente, omnimodo patris auctoritas erit necessaria. » Huiusmodi sane phrases, *nuptiae consistere non possunt, omnimodo Patris auctoritas est necessaria*, et similes, nullum dubitationi locum relinquunt, quod nuptias, absque parentum consensu contractas, prorsus nullas et irritas declarent. Id sane est necessarium quoddam consectarium summae ac peculiaris illius potestatis, qua iam romani fruebantur erga filios; unde iure merito inquit Iustinianus § 2, tit. de Patria post.: « Ius autem parentum, quod in liberos habemus, proprium est romanorum; nulli enim sunt homines, qui talem in liberos habeant potestatem, qualem nos habemus. » Ex his autem omnibus tuto videtur inferri verba illa Pauli, quae ex sententiarum l. 19 adducunt Cuiacius, et Gothofredus, » sed contracta non dissolvuntur, » non esse Pauli, sed ab amanuensi, seu gothis fuisse adiecta, vel ita esse explicanda, ut nuptiae ex parentum voluntate contractae nequeant, contraria parentum voluntate,

dissolvi. Vide Schultingium ad dictum Pauli locum.

Quod vero ad secundum attinet, an nempe nulla etiam et irrita, saltem aliquando, et ante Concilium Tridentinum, de iure ecclesiastico fuerint matrimonia a filiisfamilias contracta, sine consensu parentum, licet Theologi et Canonistae passim eam amplectantur sententiam, quod nullis unquam ecclesiae legibus, irritata fuerint matrimonia, quae contraherentur a filiisfamilias, absque parentum consensu, nonnulli tamen sunt, qui agnoscunt quidem cum caeteris catholicis, adversus novatores, matrimonia huiusmodi non esse irrita ac nulla de iure naturali ac divino, tuentur tamen ea fuisse nulla et irrita de iure ecclesiastico, seu ex ecclesiae disciplina, quae legibus civilibus, hac in parte, se conformavit, a primis nempe temporibus, usque ad saeculum circiter duodecimum. Post enim saeculum decimum secundum huiusmodi disciplinam in desuetudinem abiisse ultro admittunt, et matrimonia huiusmodi rata et valida habita fuisse propugnant. Eorum, qui ita sentiunt momenta legi poterunt apud Honoratum Tournely de Sacram. Mat. qu. 6, n. 3, conc. 1; qui ipsis subscribens, non pauca tum graecae, tum latinae ecclesiae documenta, in huius sententiae praesidium adducit.

Superest nunc ut quid circa matrimonia filiorumfamilias, sine parentum consensu contracta, a Conc. Trid. statutum fuerit, perpendamus. Diu multumque fuisse ea de re inter illius Concilii Patres disputatum refert Card. Pallavicinus l. 22, c. 4 Hist. Conc.: postulantibus quidem Gallis decretum, quod ad limam saepius revocatum, sic

primo conceptum fuerat, ut Synodus irrita faceret ea matrimonia quae contraherentur a filiisfamilias ante an. 18, et a filiabus ante an. 15 completum absque genitorum consensu. Post multas contentiones mutuo Patrum consilio, decretum emissum est, quod legitur sess. XXIV c. 1 hisce verbis: « Tametsi dubitatum non est clandestina matrimonia libero contrahentium consensu facta, rata et vera esse matrimonia, quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit, et proinde iure damnandi sunt illi, prout eos sancta Synodus anathemate damnat, qui ea vera ac rata esse negant, quique falso affirmant matrimonia a filiisfamilias sine consensu parentum contracta irrita esse, et parentes ea rata vel irrita facere posse, nihilominus sancta Dei Ecclesia ex iustissimis causis ea semper detestata est, et prohibuit. » Hactenus verba Tridentini Decreti. At hoc ipsum Tridentinum Decretum triplici circa huiusmodi matrimonia filiorumfamilias quaestioni locum aperuit. 1° quaestio est, an quod eo decreto statuitur matrimonia filiorumfamilias respiciat, nedum futura, nempe quae in posterum contrahuntur, verum etiam ea, quae ante ipsum decretum fuerant contracta, ita ut ea habita semper sint, et haberi respective debeant rata et valida? Locum quaestioni aperuit illud, quod in eodem decreto sub eadem sermonis serie de matrimoniis clandestinis, tum futuris tum praeteritis agitur. Nostro verum iudicio ex simplici eiusdem decreti lectura, facile haec quaestio dissolvitur; siquidem ex varia loquendi ratione, quae in ipso decreto observatur, satis apparet illud decretum de clandestinis tum futuris, tum praeteritis statuisse hoc modo, nempe quod praeterita valuerint, quandiu

Ecclesia nulla et irrita non fecit, futura vero non amplius valeant. De matrimoniis autem, quae a filiisfamilias contrahantur, insciis vel invitis parentibus, dumtaxat pro futuro statuit, nempe non esse in potestate parentum ea rata vel irrita facere, nihil prorsus pronuntians de iis, quae antea fuerint contracta. 2° Quaestio in eo versatur an illa postrema eiusdem decreti verba: « Nihilominus S. Dei Ecclesia ex iustissimis causis illa semper detestata est » tum ad matrimonia clandestina, tum ad matrimonia filiorumfamilias, quae insciis aut invitis parentibus contrahantur, pariter debeant referri ? Estius in 4 dist. 28, n. 3 in responsione ad postremum existimat eadem decreti Tridentini verba: « Nihilominus Ecclesia illa semper detestata est, atque prohibuit » referenda dumtaxat esse ad matrimonia clandestina, non vero ad illa, quae ineuntur sine parentum consensu. Particula enim *nihilominus*, relationem habet ad illam *tametsi*, quam statim ab initio decreti adhibet Concilium, loquendo de clandestinis matrimoniis, ita ut intra parenthesim legi debeant, quae idem Concilium dicit de matrimoniis filiorumfamilias contractis, insciis parentibus. Sane absurdum omnino videretur, hunc sensum eidem Tridentino decreto affigere, quod nempe detestetur et prohibeat ea filiorumfamilias matrimonia, quae simul unicoque contextu rata et valida agnoscit, atque pronuntiat. Patet proinde, sive prima, sive secunda spectetur quaestio, Concilium Tridentinum nihil pronuntiasse de matrimoniis, quae a filiisfamilias fuerant antea contracta, atque idcirco intactam omnino reliquisse eruditorum illam disputationem, de qua supra, an haec filiorumfami-

lias matrimonia nulla et irrita aliquando fuerint de iure ecclesiastico, vel semper habita sint valida. 3° Quaestio satis implicata est, an nempe eodem Concilii decreto fuerit dumtaxat definita doctrina adversus novatores, quod scilicet matrimonia filiorumfamilias, insciis aut invitis parentibus contracta, sint rata ac valida, nec ea ab iisdem parentibus rata vel irrita fieri possint, vel potius generalis etiam disciplina praescripta fuerit, qua nempe ita declarentur valida et rata huiusmodi matrimonia, ut leges omnes et consuetudines, quae forte antea viguerint, quaeque et ipsa matrimonia declaraverint irrita et nulla, prorsus remanserint abrogatae, nullaeque insuper ferri, nisi a suprema Ecclesiae potestate potuerint in posterum leges, quae ea habeant nulla et irrita? Verum cum alias laudatus Cardinalis Pallavicinus in historia huius Concilii scribat agitatum inter Patres fuisse, utrum praesens de matrimonio inter filiosfamilias argumentum, inter canones ad doctrinam spectantes esset referendum, vel potius inter capita etiam reformationis et disciplinae, cumque illud inter disciplinae capita reperiatur relatum, satis manifestum videtur huiusmodi decreto ne dum definitam fuisse doctrinam adversus novatores, verum etiam generalem disciplinam fuisse praescriptam, iuxta sensum, quem supra exposuimus, eo vel magis, quia definitio ipsa doctrinae, prout in eodem decreto exprimitur, ipsam disciplinae reformationem necessario involvere videtur.

§ 64.

De Raptu.

Raptus est violenta feminae de loco ad locum abductio matrimonii ineundi causa. Leges Imperiales, quae referuntur in Codice Theodosiano lib. 9, tit. 24 de Rapt. Virg. et Vid., et Lex unic. Cod. Iustin. eod. tit. adeo crimen Raptus detestatae sunt, ut matrimonium inter raptorem et raptam nullo umquam tempore, nec subsequenti ipsius raptae spontaneo consensu, nec parentum ratihabitione amplius consistere posse decreverint. At Ecclesiae legibus matrimonium inter raptorem et raptam nullum habebatur, quamdiu consensus raptae deerat; si enim puella, etiam in potestate raptoris, non amplius invita, sed volens lubensque consensisset, matrimonium efficiebatur; quod plures Synodi particulares edixerunt, et Innocentius III decrevit cap. 7 de Raptor. his verbis: « Rapta puella legitime contrahet cum raptore, si prior dissensio transeat postmodum in consensum, et quod antea displicuit, tandem incipiat complacere. » At vero Tridentina Synodus sess. XXIV, cap. 6, de Reform. Matr. decrevit: « Inter raptorem et raptam, quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum posse subsistere matrimonium: quod si rapta a raptore separata, et in loco tuto ac libero constituta illum in virum habere consenserit, eam raptor in uxorem habeat. » Quamobrem vulgo fertur, novum raptus impedimentum a Synodo Tridentina inductum esse, non solum quod recesserit a placitis civilium legum, dum inter ra-

ptorem et raptam nuptias dirimit, non perpetuo quidem, sed quoad haec in illius potestate manserit, verum etiam quod recedit a iure Decretalium in cit. cap. de Raptor., quatenus consensus raptae ad contrahendas nuptias ineptum fore constituit, nisi a raptore separata, et in loco tuto ac libero constituta consensum ipsum praestiterit. Unde compertum est, raptum ex iure Decretalium non aliam ob causam validitati nuptiarum obstitisse, nisi ob vim illatam et defectum liberi consensus, quod impedimentum est iuris naturalis. Ex decreto autem Tridentino raptus irritat nuptias iure etiam ecclesiastico, quum scilicet manente rapta in potestate raptoris matrimonium nullum et irritum est, quamvis puella rapta non animo repugnante, sed ultro, libenterque consenserit.

Aliqui Canonistae distinguunt duplicem raptus speciem; alterum appellant raptum violentum, alterum fraudulentum. Raptus violentus is est, quem supra definivimus, quo scilicet persona invita ac renitens per vim abducitur animo matrimonium cum ipsa contrahendi. Quare ad raptum violentum haec tria postulantur, violentia, abductio et finis matrimonii ineundi. In primis itaque requiritur, ut mulier per vim seu physicam, cuiusmodi est violenta manuum iniectio, seu moralem, uti graves minae, gravisque metus, sive ab ipso raptore, sive a mandatario illatam abducatur: si enim solae adhibeantur importunae preces, nisi tales sint, ut violentiae aequiparentur, non erit raptus violentus. Itemque si mulier etiamsi sub patria potestate, vel sub tutela constituta sit, intuitu matrimonii consentiat raptui, quamvis violentiam patiantur parentes vel

tutores inscii vel inviti, raptus non erit violentus: in hoc enim raptu violentia existimatur respectu solius personae quae rapitur, non respectu parentum, vel tutorum; agitur de raptu in raptam, non de raptu in parentes vel tutores. Itaque omnis violentia deest, dum puella in raptum intuitu matrimonii sponte consentit, et haec est vera S. C. C. praxis, quidquid contra asserat Archiepiscopus Viennensis litteris ad Clerum datis 24 Dec. 1856, et instructione pro Iudiciis § 19. Vide decis. Rubens. 3 Martii 1714; Omoluc. 14 Martii 1772 et 29 Iul. 1796. Decisio eiusdem S. C. C. in Horbip. 24 April. et 18 Iunii et 27 Aug. an 1858 et 1859, quae habentur in Analect. Iur. Pont. collect. 1854 et 1863, nullum facessit negotium, quandoquidem, inspecta facti specie, liquido constat, nullitatem ideo declarari, quod non constabat puellam in raptum lubentem consensisse, vel saltem non probabatur consensisse eo fine, ut matrimonium iniret; siquidem, ut plenius consulatur libertati nuptiarum, non sufficit, pro excludendo raptu, ut consensus puellae adsit, sed insuper requiritur, ut probetur eum datum esse intuitu matrimonii. Fieri enim potest, ut femina consentiat in raptum, sed dissentiat in matrimonium. Nisi itaque utrumque cumulatim probetur, raptus in foro externo violentus praesumitur; idque merito sancitum est. Cum denique vim inferre non censeatur qui aliquod ius in raptam consequutus est, hinc Doctores plures colligunt violentum raptum non haberi, si post contracta sponsalia, vel invita rapiatur, nisi iustam ab initis sponsalibus recedendi causam habeat. « Sponsus, inquit S. Thomas 2, 2, quaest. 154, a. 7 ad 4, ex ipsa de-

sponsatione habet aliquod ius in suam sponsam, et ideo quamvis peccet, violentiam inferendo, excusatur a crimine raptus. » Non desunt tamen alii qui contrarium tenent, quos inter accensendi sunt S. Alphonsus de Ligorio de Matr. 1108, Bockman n. 33, Knapp, Schoulte, et Bargen, praesertim quod iniuria ex raptu illata iustam recedendi a sponsalibus causam semper praebeat; insuper dicunt S. Thomam non loqui de impedimento raptus, sed de crimine raptus, ut est species luxuriae et specialibus poenis plectitur. Secundo requiritur, ut mulier de loco ad locum moraliter diversum reipsa abducatur. Verum absolute non requiritur, ut abductio fiat in locum aliquantum distantem, cum raptus, si reliqua adsint, quae requiruntur, existere possit, licet mulier in domum vicinam, vel e via publica in locum occultum abducatur, quin imo non est plus aequo insistendum in materiali abductione de loco in locum, seu de solita mulieris habitatione, siquidem raptus haberi potest, sive mulier ex uno in aliud eiusdem domus cubiculum abducatur, sive veniat ad locum, in quo detinetur, vocata per dolum; siquidem abductio e loco seu statu tuto, in quo mulier non est in raptoris potestate, in locum vel statum, in quo sub huius potestate degit, ad raptum constituendum sufficiens est. Vide S. C. C. Paris. Matr. 23 Iunii et 27 Aug. 1864. Tertio requiritur, ut mulier abducatur matrimonii ineundi causa. Unde raptor nec est, nec dici potest, qui puellam in aliquo loco repertam ibi opprimat, aut in sua, alienaque domo arcte custodiat, ut exire non possit, aut ab uno ad aliud cubiculum abducat libidinis explendae causa. Nam S. C. C. tum

25 Ian. 1586, tum 14 Nov. 1648 aperte declararunt raptum ex alia, quam matrimonii ineundi causa, commissum, non comprehendi Concilii decreto. Vide Riganti Commend. in Reg. Cancel. ad res. 49, n. 54, qui iure animadvertit inde a citata decisione an. 1586 eam esse S. Apostolicae praxim, ut in dispensatione super aliquo impedimento usitatae clausulae « dummodo mulier rapta non fuerit » expressius altera poneretur « dummodo mulier *propter hoc* rapta non fuerit. » In dubio, an raptus matrimonii ineundi causa perpetratus sit, adiuncta sedulo accurateque consideranda sunt. « Si quis nuptias iam antea ambiverit, ait Boeckhn de Spons. et Matr. n. 50, ac repulsam passus ad raptum deveniat, matrimonii causa fuisse censetur; secus, si prius animum mere impurum ostenderit. » Ubi nil certi ex adiunctis statui ac deprehendi potest, favor libertatis matrimonii generatim exigere videtur, ut raptus, potius matrimonii ineundi, quam libidinis explendae causa, factus praesumatur. Ad rem instructio pro iudiciis ecclesiasticis Imperii Austriaci in causis matrimonialibus a Cardinali Archiep. Viennensi composita haec habet § 173: « De rapta, quae cum raptore, dum in eius potestate permaneret, matrimonium contraxit, praesumendum est, quod matrimonii ineundi causa rapta sit. Quod si contrarium plene probatum fuerit, consistit nihilominus praesumptio, eam violentia iniusta ad consentiendum adactam esse. Haec ipsa praesumptio adversus omne matrimonium militat, quod a quacumque persona, quacumque ex causa rapta « antequam libertatem penitus recuperaverit, contractum fuerit. »

Raptus fraudulentus is est, quo ob eumdem finem matrimonii ineundi puella aut filiusfamilias precibus, suasionibus, pollicitationibus, aliisque blandis artibus seducitur, ut lubenti animo raptorem ipsum sequatur, parentibus insciis vel invitis: ex quo fit, ut etiam raptus seductionis appelletur. Qua de re ad raptum fraudulentiae, vel seductionis tria requiruntur: I. Abductio personae seductae ad nuptias contrahendas perpetrata, aut eiusdem personae spontanea fuga cum seductore praemeditata. II. Minor aetas ipsius personae seductae; nam viginti quinque annis maiores non iam seductionis capaces, quantum ad matrimonium spectat, existimantur. III. Iniuria parentum, quod nempe iis insciis vel repugnantibus abducatur: nomine autem parentum veniunt omnes, quorum legitimae potestati persona seducta obnoxia est. His positis, nemo dubitat, quin raptus ex cit. cap. Tridentini impedimentum sit inter raptorem et raptam matrimonium dirimens, sed huiusmodi impedimentum perseverat, quoad in potestate raptoris rapta maneat. Idque merito sancitum est, ut nuptiarum libertati plenius consuleretur. Praesumitur enim, quod persona rapta, quamdiu in potestate raptoris est, metu potius quam voluntate consentiat. Sed controversia est de raptu seductionis, utrum Tridentini decreto contineatur? Plerique Theologi, quos inter Navarrus resp. l. 5, com. 2, Card. De Luca dis. 5 de Matr. et disc. 28, Rigantius l. c., Instructio Car. Rauscher n. 19, Giessen, Phillipps, Ginzel, Binder, Poetten, Papp-Szilizyi, et Canonistae Gallicani ferme omnes affirmant: 1° Quia seductio veram habet rationem raptus: « Violentia, inquit S. Thomas 2, 2, quaest.

154, a. 7, quandoque infertur tam ipsi virgini, quam patri, quandoque vero infertur patri, non ipsi virgini: puta cum ipsa consentit, ut per violentiam de domo patris abstrahatur, qualitercumque enim violentia adsit, salvatur ratio raptus. » Iam vero Synodus Tridentina inter impedimenta dirimentia raptum generatim refert, quin inter violentiae et seductionis raptum distinguat. Non itaque inter utrumque distinctio ponenda est. 2° Quia non minus seductionis, quam violentiae raptus libertati nocet, quin ipsa violentia seductione deterior est. Etenim saepenumero facilius resistitur apertae violentiae, quae animum alienat, nedum conciliet, quam fraudulentis persuasionibus ac sollicitationibus dolosis, quibus inexpertae, ac versatiles puellae circumveniuntur, ac filiifamilias scite falluntur, atque, ut ait Albertus Magnus, » persuasio fallax magis offuscat animum volentis quam metus. » 3° Quia S. Rota decrevit ex raptu seductionis oriri impedimentum dirimens, in decis. 18 Iun. 1666, 27 Aug. 1667, et 11 Martii 1671, de qua vide De Luca cit. disc. 5 de Matr. Eodem sensu saepe respondit S. C. C., praesertim in una decis. an. 1608, ubi ad dubium « an raptores mulierum quae raptui consenserint, comprehendantur quoad poenam et matrimonii prohibitionem decreto Conc. Trid. ? » rescripsit « Concilium procedere etiam in muliere volente, dum tamen sit raptus iuxta terminos iuris civilis. » Verum haec non adeo momentosa sunt, ut in eam sententiam adducamur. Lex enim Tridentinae Synodi nuptiarum libertatem respicit, quae incolumis et salva manet, cum rapta voluerit serioque consenserit, apprime advertens se

fugam arripere, coniugii ineundi causa. Praeterea nihil vitii in raptu seductionis est, quam iniuria et dissensus parentum. Ex hoc autem illud quidem consequitur, quod seductores et seducti, nec gravi peccato nec a poenis immunes sint, dummodo raptus sit extra terminos iuris civilis, hoc est odiosis artibus, et insidiosis inductus, ut mulier, hisce stantibus, in tantum dedecus se prodat; matrimonia tamen sic contracta non erunt irrita, cum ab ipso Tridentino edictum sit validitatem matrimonii a consensu parentum non pendere. Huc facit cap. CUM CAUSAM de Raptor., in quo Lucius III sic statuit: « Iste raptor dici non debet, cum habuerit mulieris consensum, et prius eam desponsaverit, quam cognoverit, licet parentes reclament, a quibus dicitur eam rapuisse. » Et S. Thomas, in 4, dist. 18, quaest. unic. a. 3, « Puella, inquit, non est in potestate patris quasi ancilla, ut sui corporis potestatem non habeat. » Ex quo S. Doctoris loco Canonistae communiter inferunt, raptum violentum esse, ac proinde dirimens matrimonii impedimentum, si mulier invita prorsus et renitens, consentientibus tamen parentibus, abducatur. Illud enim secundum ius naturale et ecclesiasticum pro certo habendum est, quod in matrimonio plus potest voluntas eius qui contrahit, quam parentum. Unde mulier consentiens, et raptum studiose exoptans omnem raptus rationem removet, quum ex condicto abducatur, ut liberius matrimonium, invitis parentibus, contrahat. Argumentis contrariae sententiae facile respondetur. Ad primum, quod attinet, missa animadversione Giraldi op. cit. p. 2, sect. 125, dicimus iterum S. Thomam

loqui non de impedimento, sed de crimine raptus, quatenus est species luxuriae a stupro distincta, et specialibus poenis plectenda. Ad secundum repetere non erit abs re, seductionem nullum impedimentum constituere, si ex praecedentibus, probetur consensum in raptum, intuitu matrimonii, exstitisse. Ubi probatio desit, non raptus seductionis, sed violentiae praesumitur, et mulier, licet raptorem sequatur, censetur dissentire. Ad decisiones S. Rotae, ac S. C. C. quae tertio loco afferebantur, dicimus eas nullum nobis negotium facessere. Rota enim, missis rationibus a Giraldi l. c. in medium prolatis, nullitatem matrimonii, tum ex capite clandestinitatis, tum ex causa raptus declaravit. Clandestinitas aperte constabat, raptus autem praesumebatur iure, quia puellae consensus in raptum intuitu matrimonii probari nequibat. S. C. C. loquitur, cit. decisione, generatim de muliere volente et de raptoribus mulierum non reluctantium, et additur « dum sit raptus iuxta terminos iuris civilis, » quae ratio ita intelligenda est, ut ad consensus probationem limitetur. Etenim si ea absolute urgeatur, sequeretur toties adesse raptus impedimentum, quoties ex iure civili Romano raptus existit, quod absurdum est. Quibus animadversis, sequitur decisionem comprehendere mulierem volentem, sive ea sui, sive non sui iuris sit, quia generatim censetur (et quoad hoc remittitur ad ius civile) non consensisse, nisi (et haec est correctio iure canonico inducta) id fuerit luculenter probatum, vel sponsalibus praecedentibus, vel aliis argumentis, quae, facto plenum consensum ita demonstrant, ut praesumptio iuris evanescat.

De raptu violento tria reliqua sunt, quae in medium proferamus. Primum illud est, quod Tridentina Synodus in impedimento raptus constituendo, cum non mulieris raptae aetatem et qualitates, sed matrimonii dumtaxat libertatem spectaverit, planum inde fit impedimento huiusmodi locum esse, sive mulier sit virgo, sive corrupta, sive vidua, sive etiam meretrix; generalia enim verba legis, ubi eadem praesertim ratio militat, generaliter intelligenda sunt. Alterum est, hoc impedimentum, iuxta plures auctores, non oriri, si mulier virum rapiat, quia decretum Tridentini, cum odiosum et poenale sit, stricte accipiendum est. Decretum autem de raptore, non de raptrice verba facit; et quamvis utroque iure expressio masculini sexus femininum etiam includat, saltem in correlativis, ubi par ratio utrinque militat, decretum tamen non de raptoribus in genere, sed de raptoribus, qui feminas abducunt, diserte loquitur. Deinde vero sicuti iura de illis, quae raro contingunt, non constituuntur, ita nec de raptricibus virorum, quae oppido perrarae sunt, quidquam a Concilio constitutum fuisse putandum est. Verum haec sententia multis non arridet, quod S. Synodus, ut inquiunt, impedimentum raptus ea mente constituit, ut libertatem matrimonii tueretur. Haec autem libertas perinde laeditur, si femina rapiat virum, ac si vir feminam rapiat. Quemadmodum si mulier viro gravem et iniustum metum iniiceret, licet raro admodum contingere possit, impedimentum metus oriretur. Confer Pichler in lib. 4, Decret. tit. 1, n. 120, 121. Tertio denique in cit. Tridentini decreto adversus raptorem constitutae sunt poenae, quae sequuntur: « Quod si rapta a

raptore separata, et in loco tuto ac libero constituta illum in virum habere consenserit, eam raptor in uxorem habeat; et nihilominus raptor ipse et omnes consilium, auxilium, et favorem illi praebentes sint ipso iure excommunicati, et perpetuo infames, omniumque dignitatum incapaces, et si clerici fuerint, de proprio gradu decidant. Teneatur praeterea raptor mulierem raptam, sive eam uxorem duxerit, sive non duxerit, decenter arbitrio iudicis dotare. » Excommunicatio est latae sententiae, non vero reservata Sedi Apostolicae : reliquae poenae sunt ferendae sententiae, nec iis afficiuntur qui, raptu completo, matrimonio cooperantur. An poenae incurrantur ob raptum alio fine perpetratum, aliisque conditionibus, quaesitum fuit, et duplex adest sententia.

§ 65.

De potestate constituendi impedimenta matrimonium dirimentia.

Hactenus de impedimentis dirimentibus loquuti sumus: modo instituti nostri ratio postulat, ut de potestate eadem constituendi sermonem instituamus. Potestatem constituendi impedimenta matrimonium christianum dirimentia alii solis Principibus, alii Ecclesiae soli, alii tum Ecclesiae, tum Principibus tribuerunt. Priorem sententiam docuerunt Protestantes, qui matrimonium dumtaxat humanum et civilem contractum arbitrantur. Ex hoc errore consequitur, absolutam Regibus esse in matrimonio potestatem, quandoquidem humani civilesque contractus saecularium Principum legibus in una-

quaque societate continentur. Hanc sententiam anathemate perculit Concilium Tridentinum sess. XXIV, de Sacr. Matrim. Can. 4 : « Si quis dixerit Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta matrimonium dirimentia, anathema sit. »

Protestantium sententiam sequutus est Marcus Antonius De Dominis Archiepiscopus Spalatensis lib. 5, de Repub. Christiana cap. XI, n. 1, 5 et 20, eamque tueri acerrime conatus est. Contendit enim « contractum societatis inter virum et uxorem, cum sit totus humanus et corporalis, et ad effectum naturalem directe initum, ad potestatem ecclesiasticam, quae tota in se spiritualis est et ad spiritualia spectans, non posse iure divino pertinere. » Verum dum haec de matrimoniis Christianorum dicuntur, nihil in eis est, nisi falsum et quidem a fide Catholica alienum. In primis enim Apostolus Paulus ad Ephesios cap. V, v. 24-25, 32: « sicut, inquit, Ecclesia subiecta est Christo, ita et mulieres viris suis in omnibus: Viri, diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam et seipsum tradidit pro ea. . . . Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in Ecclesia. » Ex quibus innuitur, matrimonium Fidelium in lege nova coniunctionis Christi cum Ecclesia signum esse, et sicut Christus per caritatem et gratiam Ecclesiae coniungitur, ita etiam in matrimonio coniuges per gratiam Christi copulantur. Potissimum vero matrimonium Fidelium sacramentum esse apertissime ex universali Ecclesiae traditione demonstratur. Patres enim et Concilia passim matrimonium rem sacram et divinam, gratia praeditam, nec non expresse Sacramentum vocant; quorum testimonia apud Theologos dogma-

ticos passim invenies. Huc illud accedit, quod omnes Orientis et Occidentis Ecclesiae una et mente et voce de hoc dogmate perpetuo consenserunt, atque mirifice consentiunt etiam post schisma, siquidem Graeci matrimonium non simpliciter mysterium vocant, sed unum ex septem mysteriis, quae per Spiritum Sanctum operantur, et spiritualem effectum continent. « Cum igitur, sunt verba Concilii Tridentini sess. XXIV, de Sacr. Matrim., Matrimonium in lege Evangelica veteribus connubiis per Christum gratia praestet, merito inter novae legis Sacramenta enumerandum Sancti Patres nostri, Concilia, et universalis Ecclesiae traditio semper docuerunt. « Et can. 1 : « Si quis dixerit matrimonium non esse vere et proprie unum ex septem legis Evangelicae Sacramentis a Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesia inventum, neque gratiam conferre, anathema sit. » Nihil autem novi a Patribus Tridentinis definitum est. Antea enim idipsum ab Eugenio IV in Instruct. Armenorum, imo et multo prius a Lucio III in Concilio Veronensi anno 1181, et ab Innocentio III in Lateranensi anno 1215, aliisque in Conciliis definitum fuerat. Vide Perrone « de Matrimonio Christiano » lib. I, sect. 1, cap. 1, art. 1.

Verum idem Marcus Antonius De Dominis, postquam contra Matrimonii sanctitatem multa evomuit, illud denique addit, quod etiamsi matrimonium sacramentum esset, tamen omnis in illud potestas ad Principes pertineret, nulla autem ad Ecclesiam, « quia, ut ait, supernaturalis haec conditio et ratio sacramenti supervenit matrimonio iam plene et perfecte in usu civilis contractus

constituto, eo scilicet modo, quo perfectae iam tabulae additur caelata corona, vel phrygium opus vestibus; » unde matrimonii validitas, subdit, « neutiquam ex vi sacramenti cognoscenda, sed ex vi civilis contractus, quem iam factum et legitimum, et in suo esse undequaque perfectum supponit, antequam superveniat sacramentum, si quod tamen supervenit. » Iam vero Concilium Trident. sess. XXIV in Decr. Sacr. Matr.: « gratiam, ait, qua naturalem illum amorem perficeret, et indissolubilem unitatem confirmaret, coniugesque sanctificaret, ipse Christus venerabilium Sacramentorum institutor atque perfector sua nobis passione promeruit. » Igitur si per Christi gratiam, qua potissimum veri sacramenti ratio continetur, indissolubilis unitas, sive nexus, sive vinculum, quod ex maritali consensu emanat, confirmatur, coniugesque sanctificantur, plane intelligitur eamdem indissolubilem unitatem ad Sacramenti dignitatem evectam fuisse. Praeclare S. Thomas in 4, dist. 26, q. 2, a. 2, ad 2: « actus exteriores et verba exprimentia consensum directe faciunt nexum quemdam, qui est Sacramentum Matrimonii, et huiusmodi nexus ex virtute divinae institutionis dispositive operatur ad gratiam. » Itaque Matrimonium et Sacramentum non sunt duae res, sed una eademque, quatenus nexus ipse matrimonialis Sacramentum est. Scite animadvertit Gerdilius tract. de Matr. disc. praelim. t. 15, edit. Romanae 1809: « Si Sacramentum a contractu distingueretur, eique tamquam res distincta accederet, non dixisset Concilium Christum fecisse Matrimonium Sacramentum, sed fecisse Sacramentum distinctum, ut adiungeretur matrimonio ad imper-

tiendum ei sanctificationis gratiam. » Praestat hic audire Pium IX, qui postquam Brevi « Ad Apostolicae » 22 Augusti 1851, proscripsit propositionem, qua Nuytz asserit « Matrimonii Sacramentum non esse, nisi quid contractui accessorium ab eoque separabile » haec allocutus est in Consistorio secreto 27 Septembris 1842 : « Nemo ex catholicis ignorat, aut ignorare potest, matrimonium esse vere et proprie unum ex septem Evangelicae legis Sacramentis a Christo Domino institutum, ac propterea inter fideles matrimonium dari non posse, quin uno eodemque tempore sit Sacramentum, atque idcirco quamlibet aliam inter Christianos viri et mulieris, praeter Sacramentum, coniunctionem cuiuscumque etiam civilis legis vi factam nihil aliud esse nisi turpem et exitialem concubinatum ab Ecclesia tantopere damnatum, ac proinde a coniugali foedere Sacramentum separari numquam posse, » et allocutione 29 Oct. 1866, Non semel, haec habet « Inter fideles matrimonium esse non potest, quin uno eodemque tempore sit Sacramentum. » Igitur si, quemadmodum Marcus Antonius De Dominis affirmare non dubitavit, « ratio Sacramenti superveniret matrimonio iam plene et perfecte constituto, eo scilicet modo, quo perfectae iam tabulae additur caelata corona, vel phrygium opus vestibus ; » et si eius validitas, ut idem praetendit, « ex vi civilis contractus, quem factum legitimum, et in suo esse undequaque perfectum supponit, cognosci deberet, » illud profecto consequeretur, aliud esse matrimonium, et aliud Sacramentum, adeoque matrimonium non vere, et proprie Sacramentum esse, quod ex citato Tridentini canone manifeste

haereticum est, et coniunctiones insuper quaslibet alias, praeter Sacramentum, civilis legis vi factas, non semper esse turpes et exitiales concubitus, quod citatis Summi Pontificis verbis directe repugnat.

Verum de priori sententia satis dictum sit. Quid vero dicemus de nonnullis Auctoribus, qui cum haereticis sentire, et catholici videri volunt? Hi scilicet definitionem Concilii Trident. sess. XXIV, de Sacram. Matrim. can. 4; « Si quis dixerit Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta matrimonium dirimentia, anathema sit, » malis artibus eludere conati sunt. Ioannes Launoius, in opere De regia in matrimonium potestate an. 1672, interpretatus est, *Ecclesiae* nomine designatum a Tridentinis Patribus fuisse non ordinem Sacerdotum, sed universum Fidelium coetum, et in primis Reges atque Principes, ad quos ea potestas proprie pertinet, et quorum nomine et auctoritate ab ordine Sacerdotali exercetur. Launoii vestigiis insiterunt non pauci novarum rerum cupidi, et regiminis politici assentatores, qui toti in id incubuerunt, ut adstruerent, Ecclesiam non iure proprio ac nativo, sed ex principum concessione potestatem hanc exercuisse, quos inter eminent Oberhausser op. editis 1763 Fuldae, et an. 1771, 1777 et 1782 Francofurti, et Franc. Paulus Vigil op. « defensa de la auctoridad de los gubiernos de Lima 1848. Pravam horum hominum doctrinam compresserunt Dom. Galesius Episcopus Rubensium op. « Ecclesiastica in matrimonium potestas» Romae 1677, et L'Huillier in op. « Observationum in librum M. J. Launoii Theologi Parisiensis, qui inscribitur De Regia in Matrimo-

nium potestate, Parisiis 1675, » ubi et malam Launoii fidem in testibus corrumpendis, truncandis, et adulterandis, et eius fallacias, aliaque id genus ingenuo scriptore prorsus indigna detexit. Ioannes etiam Gerbesius, in « tractatu pacifico de potestate Ecclesiae et Principum super impedimenta Matrimonii, Parisiis 1693, » eamdem perversam doctrinam refutavit. Cl. Perrone op. cit. lib. 2, sect. 1, c. 2, art. 3, tum ex ipsa rei natura, tum ex scopo Conc. Trid., tum ab absurdo, tum denique ex facto luculenter probat Ecclesiae nomine Concilium significare ecclesiasticam hierarchiam, prout a laicis principibus distinguitur.

Neque felicior fuit Canonicus Litta Mediolanensis, aliis etiam erroribus famosus, in suo Opere italice conscripto « Del diritto di stabilire gl' impedimenti dirimenti il Matrimonio, Cremona 1784.» Siquidem contendit vocem *constituendi* in praedicto Canone a Tridentinis Patribus adhibitam, ubi definiunt Ecclesiam potuisse constituere impedimenta matrimonium dirimentia, significare non proprie *constituere*, sed tantum *proponere* impedimenta matrimonium dirimentia, idque Ecclesiam praestare adhibitis publicae utilitatis et honestatis rationibus, quibus optimi quique Principes ad eadem impedimenta adoptanda, suaque auctoritate roboranda moveantur. Hac itaque in re nihil Ecclesiae praescriptio valet, nisi quae proposuerit, eadem Principum auctoritate confirmentur. Igitur haec opinio Protestantium opinioni plane congruit, qui omnem Principibus potestatem in constituendis impedimentis tribuunt, Ecclesiae nullam.

Hos sequuti sunt Petrus Tamburinus praelect. de Inst. Christ. t. 2, c. 5 1784, Thomas Nestius

de diriment. imped. Florentiae 1785, Rechberger, Manuale Iur. Eccl. Austriaci, auctor op. « dissert. de Sacramento Matrimonii » Londini 1778, Le Plat « de sponsalium et matrimonii impedimentis » 1783, Petzeck « de pot. Eccl. in statuendis impedimentis » Friburgi 1783, Ioannes Antonius Theiner op. « Variae Catholicorum opiniones de iure statuendi impedimenta , » Dupinius in proscripto opere « Manuel de droit canon , » Nuytz in damnatis operibus « Iuris Ecclesiastici Institutiones, » et « in Ius Ecclesiasticum universum tractationes, » aliique, qui commemorari non merentur, et quorum pravitas opinionum compressa merito dici potest, post ea , quae Dieterich duplici dissert. « de pot. Eccl. in statuendis matrim. impedimentis, Argentorati 1784, Petrus Deodatus Nicopolitanus in praeclaro opere, quod inscribitur « Defensio Tridentinorum Canonum de Ecclesiae potestate in impedimenta matrimonium dirimentia, » Hierapoli et op. Nuova difesa 1788, suppresso nomine, anni 1788, 1789, italica lingua exaratis aliique, ut Gerdilius, Margotti , Rosmini , Giovine , Audisio lucide exposuerunt. Verum Pius VI in Bulla « Auctorem fidei, » (sub num. 59) quae ab omnibus Ecclesiis recepta fuit , et Pius IX citato Brevi « Ad Apostolicae » eosdem errores merito condemnarunt, ut infra videbimus.

Alteram sententiam, quae eam potestatem uni Ecclesiae tribuit, nos tuemur cum Catholicis fere omnibus. Ex quo enim matrimonium ad dignitatem Sacramenti elatum est , potestatem impedimenta dirimentia constituendi ad unam Ecclesiam pertinere oportet, quae ab ipso Deo collatam habet circa res spirituales iurisdictionem. Huius ar-

gumenti vim perspexit Calvinus ipse lib. 4, Inst. cap. 19, § 37. « Ubi enim semel, inquit, obtinuere Catholici, Matrimonium esse Sacramentum, coniugalium causarum cognitionem ad se traxerunt, quippe res spiritualis erat profanis Iudicibus non attrectanda. » Ipse Mirabeau in sua Hierarchia prussiana t. 7, c. 83, haec habet: « si verum est matrimonium esse sacramentum, causae omnes matrimoniales unice spectant ad iurisdictionem Ecclesiae. Ecclesia est, cuius Hierarchia pariter iuris divini est, quae debet statuere rationem iudicandi causas suas. Velle fingere iura diversa est ausus maximus potestatis publicae adversus potestatem religiosam. » De hac sententia inferius sermo redibit.

Tertiam denique sententiam, quae hanc potestatem tum Ecclesiae, tum Principibus concedit, amplexati sunt pauci numero Doctores cum Sanchez, qui lib. 7, disp. 3, num. 3 haec habet: « absque dubio dicendum est, posse Principem saecularem ex genere, et natura suae potestatis matrimonii impedimenta dirimentia fidelibus sibi subditis ex iusta causa suis legibus indicere, eo pacto, quo id Pontifex Summus potest. » Verum hanc qui sequuntur sententiam non omnes in ea explicanda conveniunt, nec unum idemque sentire videntur. Alii enim concedunt principes impedimenta matrimonii ex natura rei indicere posse, sed simul fatentur eos, quoad subditos christianos, huiusmodi iure excidisse, ex quo Christus matrimonium ad Sacramenti dignitatem evexit. Alii fatentur hanc potestatem ob reverentiam Sacramenti reservare sibi Pontifices potuisse, quare Principes modo nequeunt impedi-

menta matrimonium dirimentia constituere. Id tradunt Sanchez loco citato; Petrus Soto lib. 4 de matrimonio in fine; et, ut alios praeteream, Doctores Salmanticenses op. « Cursus theologiae moralis » tract. c. 11, n. 11, qui haec habent: « Licet talis potestas ex se conveniat saecularibus principibus, usus tamen illius est ab Ecclesia pro illis prohibitus, ita ut iam non possint nec valide, nec licite impedimenta dirimentia matrimonium instituere pro fidelibus sibi subditis, et si contra tale praeceptum Ecclesiae ea instituere attentaverint, nihil efficient. » Nonnulli demum hanc potestatem ita principibus ex rei natura competere existimant, ut neque sublatam fuisse, ex quo matrimonium ad Sacramenti sanctitatem evectum fuit, neque unquam per Ecclesiae reservationem auferri, adeoque principes hodiedum etiam ea uti ac potiri posse, pluribus argumentis propugnent. Ita sentiunt Gerbet « Traité du pouvoir de l'église et des princes sur le empêchements du mariage » p. 2, cap. 3, pr. 3, Gohard, seu editor Collect. Andegav. Bucholz in Ephémérid, Theolog., Pletzië, Viennae 1833-36, Pachmann « Lehrbuch des Kirchenrechts Viennae 1851 et, ut de aliis sileam, Clarissimus Carrière op. « De Matrimonio » n. 571 et seqq., qui tamen, compendio « De Matrimonio » anno 1857 typis edito, ab hac sententia recessit, illique, quam nos tuemur, adhaesit, eo quod, eum, ut ipse fatetur, «duo moveant: auctoritas theologorum, sed praesertim auctoritas S. Sedis.» Veruntamen ab huiusmodi sententia valde distat opinio Canonici Litta Mediolanensis, quam ante retulimus, quae omnem Ecclesiae potestatem hac in re adimit: sententia autem exposita, variusque eam

exponendi modus de potestate ipsius Ecclesiae nihil detrahit.

Nos itaque sententiam nostram explicantes primum affirmamus, Ecclesiae potestatem inesse impedimenta matrimonium dirimentia constituendi, et eam quidem non precariam, neque a Principibus acceptam, sed omnino propriam et nativam. Id probatur ex natura christiani matrimonii, quod prorsus spirituale est, idque argumenti genus in secunda sententia exponenda breviter attigimus. Deinde confirmatur ex usu Ecclesiae, quae vel a prima aetate hanc potestatem semper, et ubique in ipsos quoque Principes explicavit. In hoc argumento egregie versatus est Gerbesius in tract. de potestate Ecclesiae et Principum super impedimentis matrimonii, ubi, teste Van-Espenio Iuris Ecclesiastici Universi part. 2, tit. 13, cap. 1, n. 18 « plura antiquitatis testimonia et exempla, quae Ecclesiae potestatem ponendi impedimenta matrimonii evincunt, per omnia saecula deducit, ostenditque, hanc auctoritatem accepisse Ecclesiam a Christo, eamque iure proprio a primis saeculis usque ad haec tempora semper hac auctoritate usam fuisse, eamque quodammodo necessariam esse, ut Ecclesiae Pastores providere queant, quo fideles matrimonium ita ineant, ut Sacramenti effectum spiritualem assequantur. » Quamobrem Idem Van-Espenius eod. cap. num. 10 concludit: « Igitur filum Traditionis insequuta Synodus Tridentina recte anathema dixit in eum, qui dixerit Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta dirimentia, vel in iis constituendis errasse. » Itaque de fide est Ecclesiae inesse facultatem impedimenta dirimentia constituendi.

Porro potestatem hanc, neque per usurpationem, insciis, vel invitis, ac reclamantibus Principibus, neque ex Principum indulgentia tacita vel expressa, in Ecclesiam manasse, sed ei omnino propriam, et a Christo collatam esse, tum multis aliis gravissimis rationibus, tum praecipue ex eo deducitur, quod nullus monstrari potest Princeps Christianus, qui de hac praetensa usurpatione fuerit unquam conquestus, neque assignari tempus potest, quo primum coeperit haec usurpatio, neque via, seu medium indicari, per quod potuerit Ecclesia, nemine reclamante, ad hanc usurpationem pervenire. Si quis diceret, quod beneficio falsarum decretalium, quae saeculo nono prodierunt, Ecclesia hanc sibi auctoritatem asseruerit, manifesto convinceretur mendacii. Longe enim ante nonum saeculum Ecclesia suas leges ediderat, quae matrimonium in certis circumstantiis irritarent. Id patet, tum ex antiquis Patribus Athenagora, et Origene, tum etiam ex vetustis conciliis, Illiberitano, Milevitano, et Carthaginiensi, tum denique ex SS. PP. 4, 5 et 6 saeculi, nempe Siricio, Innocentio I, Leone et Gregorio Magno. Praeterea nullus appellari potest Princeps, qui omnium primus Ecclesiae privilegium dederit, ut impedimenta matrimonium dirimentia constituere posset. Imo Principes saepissime laudarunt eas Ecclesiae leges, quae matrimonium, eiusque impedimenta respicerent, et ad illas sua edicta conformarunt; ad ipsam Ecclesiae auctoritatem confugerunt, si forte dispensationem ab aliquo impedimento, quo illigarentur, obtinere voluerint; conceptis pariter verbis, se edictis legibusque suis, civiles dumtaxat matrimonii effectus at-

tingere declararunt. Nonne haec omnia apertam ipsorum Principum confessionem involvunt, quod propria et nativa potestate queat Ecclesia leges ferre circa matrimonium, nec ex eorumdem Principum privilegio, aut indulgentia huiusmodi auctoritas per ipsam exerceatur? Sane quis non videt, quod ius condendi leges, quae spectant sacramentorum administrationem, non a Principibus, sed a Christo Domino acceperit Ecclesia? Merito igitur Concilium Tridentinum definivit c. 3 ad Ecclesiam spectare ius constituendi impedimenta matrimonii. Sed praestat audire Pium VI in suis litteris « POST FACTUM » ad Cardinalem Archiep. Mechliniensem, die 2 Feb. 1782 datis, in quibus ita disserit: Notum est etiam, quod can. 3 eiusdem sess. XXIV definitum est, posse Ecclesiam constituere, ut plures gradus impediant, ac dirimant. Cum ergo nullo unquam tempore dogma fidei falsum esse possit, necesse est, ut ab Ecclesiae origine, et omni anteacto tempore verum fuerit, et omni consequenti aetate verum sit futurum, Ecclesiam ea, quae a Concilio asseritur, potestate pollere. At si tacita saltem Principum requireretur ad habendam potestatem concessio, sequeretur illud, primis Ecclesiae temporibus, sub Principibus nimirum ethnicis, verum esse non potuisse, neque hoc tempore verum esse posse, illis in locis, in quibus Christifideles degunt sub infidelium dominatione, et si ob aliquam, ut vocant, rationem status principes, revocata ea, quae obtenditur, indulgentia et concessione, abrogare sancita ab Ecclesia impedimenta valerent, fieri posset, ut verum esse desineret, quod a Tridentino definitum est, idque portenti existeret, ut

aliquando dicendum foret Ecclesiam non posse, quod Ecclesiam posse Spiritus Sanctus oecumenicae Synodi oraculo declaravit. » Sed rem plane conficit idem Pontifex in Bulla dogmatica « AUCTOREM FIDEI » adversus Synodum Pistoriensem, ubi sub num. 59 ita declarat, ac definit: « Doctrina Synodi ad supremam civilem duntaxat potestatem originarie spectasse contractui matrimonii apponere impedimenta eius generis, quae ipsum nullum reddunt, dicunturque dirimentia, quod ius originarium praeterea dicitur cum iure dispensandi essentialiter connexum, subiungens, supposito assensu, vel conniventia Principum, potuisse Ecclesiam constituere impedimenta dirimentia ipsum contractum matrimonii, quasi Ecclesia non semper potuerit, ac possit in Christianorum matrimoniis, iure proprio, impedimenta constituere, quae matrimonium non solum impediant, sed et nullum reddant quoad vinculum, quibus Christiani obstricti teneantur etiam in terris infidelium, in eisdemque dispensare: canonum 3, 4, 9, 12 sess. XXIV Conc. Trid. eversiva, haeretica. » Iure itaque Pius IX hasce domini Nuytz propositiones proscripsit, Litt. Apost. MULTIPLICES 10 Iunii 1851, et ad apostolos 22 Aug. eiusdem anni, nempe 1° « Ecclesiam non habere potestatem impedimenta matrimonium dirimentia inducendi, sed hanc potestatem civili auctoritati competere, a qua impedimenta existentia tollenda sunt. » 2° « Ecclesiam sequioribus saeculis dirimentia impedimenta inducere coepisse, non iure proprio, sed illo iure usam, quod a civili potestate mutuata est. » et 3° Tridentinos canones sess. XXIV de sacr. mat. 3 et 4 vel non esse dogmaticos, vel de mutuata potestate esse intelligendos. »

Affirmamus secundo, principibus laicis potestatem non esse impedimenta matrimonium dirimentia constituendi. Id autem intelligimus de matrimoniis Christianorum, cum probe sciamus non deesse magni nominis auctores, qui minime dubitant, quin principes tum infideles, tum christiani valeant infidelium subditorum nuptias, quae contractus mere naturales, religiosi, domestici, et civiles sunt, tum quod ad civiles effectus, tum quod ad vinculum coniugale pertinet, impedimenta ponere, dummodo essentiales matrimonii proprietates, hoc est unitatem et indissolubilitatem, ab ipso Deo in hominis creatione explicite additas, nullomodo attingant, ipsa S. Sedis praxi id comprobante, quae non raro, ut ait R. D. Perrocheau op. « Theologia ad usum Mission. Sutchuensis » t. 2, p. 346, « declaravit invalida esse infidelium matrimonia, quae legibus patriae irritantibus adversantur, nisi per consuetudinem abrogatae fuerint illae leges. » Vide de hac quaestione, pro affirmativa sententia, Carrière de Mat. t. 1, p. 3, sect. II, c. 2, n. 550 et Icard diss. de imped. Mat. iure civili inductis in edit. Billuart Paris 1827, et pro negativa clar. Perrone de Matr. chr. t. 1, p. 262 et t. 2, p. 345. At matrimonii christiani vinculum Principum voluntati non subiicitur; namque a Christo institutore, et Ecclesiae canonibus unice pendet, res sacra et spiritualis effecta est, ex natura sua et quoad valorem suum ab omni specie legum profanarum independens, ac proinde potestati Ecclesiae attributa. Ad *solam* Ecclesiam, cui tota de Sacramentis est cura concredita, ius omne ac potestas pertinet suam assignandi formam huic contractui ad sublimiorem Sacramenti dignitatem evecto, » ait

Pius VI cit. Brevi ad Episcopum Motulen. 16 Sept. 1788 ; Pius VII in Inst. ad Nuntium Apostolicum in Colon. data an. 1808 ait : « Soli Ecclesiae in casu matrimonii dubii competere de valore et nullitate eius iudicium ferre omnemque sententiam ab alia quacumque potestate latam incompetentem esse et non valere. » Pius VIII, et Gregorius XVI suis Encyclicis litteris 24 Maii 1829 ; et 15 Aug. 1832 datis, matrimonium sacris rebus accensendum esse docuerunt, et Ecclesiae proinde subiici « ex quorum exsecutione omnino pendet eiusdem connubii vis, robur, et iusta consociatio. » Verum hac super re dubitare amplius non licet post ea, quae Sanctissimus Pius IX tam enucleate edixit tum in cit. Brevi « Ad Apostolicae, » ubi inter caetera decernit damnatorum operum auctorem falsa sentire ac docere « dum ius stabiliendi vel relaxandi impedimenta dirimentia Ecclesiae denegat, et civili addicit potestati ; tum clarius ac apertius in Allocutione superius citata de negotiis Ecclesiae reipublicae Neogranatensis 27 Septembris 1852, ubi post reprobatos illius Gubernii excessus contra Ecclesiae iura concludit: « omnino spectare ad Ecclesiae potestatem ea omnia decernere, quae ad matrimonium quovis modo possunt pertinere. » Ad haec addenda, quae litteris ad Regem Sardiniae 19 Septembris 1852, ex arce S. Gandulphi datis, disertissimis verbis SS. D. N. docet, nempe « potestatem civilem ius habere de solis civilibus matrimonii effectibus statuendi, et Ecclesiae solius esse, quae ad validitatem matrimonii spectant ordinare. » Vide quae habet Alloc. 29 Oct. 1866.

Saeculares reapse Principes possunt matrimo-

niis contrahendis leges dare; sed unaquaeque lex tantum valet, quantum est in potestate legislatoris. Cum igitur saecularium Principum potestas res tantummodo temporales, ac civiles moderetur, consequitur eorum leges circa matrimonia Christianorum in ordine solum civili ratas esse, adeo ut matrimonia adversus eas leges inita, civilibus effectibus, quantum scilicet attinet ad dotem, successionem, haereditatem et alia huius generis, priventur: spirituale autem christiani matrimonii vinculum eius ordinis est, ut civiles leges ad eum pertingere nullo modo possint. Huc pertinet cap. 1 de spons. et matrim., ubi matrimonium inter virum francum et mulierem de Saxonia, repugnante civili lege, contractum a Synodo Triburiensi validum declaratum est, et rubrica eiusdem capitis enuntiatur his verbis: « Matrimonium solo consensu contrahitur, nec invalidatur, si consuetudo patriae non servetur. » Huc facit etiam commonitio Cleri Gallicani ad Ludovicum XIII de regio ipsius edicto, quo nuptiae a filiisfamilias initae, absque parentum consensu, nullae et invalidae decernebantur. Clero autem Gallicano, ea de re admodum sollicito et anxio, responsum est: « Verba illa valide et invalide contracta matrimonia non esse aliter explicanda, quam per solam rationem ad contractum civilem. » Mémoires du Clergé t. 5, p. 691 et 761. Et S. Thomas in supplem. quaest. 57, art. 2 explicans, cur legalis cognatio ex adoptione orta matrimonium dirimat, inquit: « quia filius adoptivus conversatur in domo patris adoptantis, sicut filius naturalis, ideo legibus humanis prohibitum est inter tales matrimonium contrahi, et talis prohibitio est per Eccle-

siam approbata, et inde est, quod legalis cognatio matrimonium impediat. » Ad 4 « dicendum, inquit, quod prohibitio legis humanae non sufficeret ad impedimentum matrimonii, nisi interveniret Ecclesiae auctoritas, quae idem etiam interdicit: » et prosequitur quodlib. V. art. 5: « Ecclesia in his, quae ad matrimonium pertinent, se habet tripliciter; uno quidem modo per modum iudicantis..... alio modo se habet per modum cohibentis.... tertio modo se habet per modum statuentis, quod fit solum auctoritate Summi Pontificis, et secundum hoc, personae aliquae reddunter illegitimae, ut patet in aliquibus gradibus consanguinitatis et affinitatis. » Unde scite Card. Carafa Archiep. Beneventanus in Synodo Dioec. an. 1855 ait: « Si quae igitur a laicali potestate praescribuntur, haec neque matrimonii afficiunt substantiam, neque suo iure convalidare, aut labefactare valent, sed civiles dumtaxat matrimonii effectus respiciunt. » Vide quae dicta sunt § 30.

Ex quibus omnibus satis exploratum est, 1° potestatem impedimenta dirimentia iure proprio constituendi ad unam Ecclesiam pertinere; haec sententia, ut vidimus, non est amplius ex earum numero, quae liberae scholarum disputationi permittuntur, sed contra, tamquam veritas certa, ac explorata omnino tenenda est, licet expresse ab Ecclesia definita non sit; 2° Principibus integrum esse suis subditis contra civiles leges copulatis, licet ea matrimonia, ratione sacramenti et vinculi inde prognati, valida sint, effectus civiles denegare, idque satis est ad eos in officio continendos, ne Principum leges contemnant. Subditi enim a similibus nuptiis facile abstinebunt, dum plane no-

runt ex civilium effectuum privatione gravissima damna, tum sibi, tum liberis imminere. Hoc pacto iura utriusque potestatis circa matrimonium clare definita sunt ac determinata, integra manent, et sarta tecta servantur. Nulla reapse inter utramque potestatem pugna, cum matrimonio, quoad vinculum, Ecclesia, et Princeps, quoad effectus tantum civiles, conditiones apponit. Deus auctor pacis et ordinis utramque potestatem constituit, utrique suos fines praescripsit, intra quos quaelibet continere se debet.

At vero quaenam adversariis ratio est, quamobrem potestas impedimenta matrimonium dirimentia quoad vinculum constituendi in Principes etiam conferatur? Ipsi enim aiunt, plures eosque graves doctores docere, matrimonium sine ministro Ecclesiae, et sine aliqua religionis caeremonia initum, non esse vere et proprie sacramentum, sed tamen verum, firmum et legitimum matrimonium habendum esse; quam quidem opinionem Melchior Canus de locis theolog. l. 8, c. 6 quantum potuit, tueri et illustrare conatus est. Cum igitur sacramentum a contractu dividi reapse possit, id consequens est, (hac ratione concludunt) ut Principes, quoad contractum leges irritantes edere possint ac valeant. Ulterius dicunt, matrimonium, quamvis ad sacramenti dignitatem elatum sit, suapte natura tamen et primo loco naturalem civilemque contractum esse, et sacramentum non tollere contractum; omnes vero contractus propter bonum publicum auctoritati Principum obnoxios esse, eaque de causa, matrimonii contractum a Principibus irritum fieri posse. Neque eo casu, uti adversarii regerunt, civi-

les leges sacramentum attingunt, sed contractum unum tollunt, irritumque faciunt; contractus namque naturalis, in quo sita est ea materia, est simul contractus civilis, quando fit inter cives, adeoque subiicitur auctoritati Principis, qui proinde contractum etiam naturalem, utpote a matrimonii sacramento distinctum irritare potest. Sublato autem omni contractu, qui est materia sacramenti, nequit sacramentum amplius consistere, quia sine materia nullum sacramentum conficitur. Prius enim est existere materiam, quam Sacramentum. Princeps hoc nullatenus attingit, sed impedit ne materia existat, eo ferme modo, quo non attingeret Baptismum et Eucharistiam, qui vinum aut aquam corrumperet.

Verum non difficile opus videtur huiusmodi rationibus respondere. Enimverò quod ad primum argumentum pertinet, certum est, neque Canum, neque alios eiusdem opinionis patronos ita contractum matrimonii a sacramento dividere, ut contractus et sacramentum seorsim existant, sed tantum contendere interdum fieri posse, ut verum, firmum et legitimum matrimonium contrahatur, quin sit sacramentum. At vero cum matrimonium ita initur, ut vere et proprie sacramentum sit, tum plane fatentur contractum et sacramentum non duas esse res inter se distinctas, ut una ab altera secerni possit, sed unam eamdemque rem, quia contractus matrimonii est materia sacramenti. Hinc Melchior Canus cit. loc. disserens de matrimonio ita inito, ut sit etiam sacramentum, « verba, inquit, contrahentium sunt sacramentum, id-est contractus est sacramentum: » et paullo post ita concludit: « Verba igitur contrahentium ma-

teria sacramenti sunt : » sive, ut verba S. Thomae iterum usurpemus « actus exteriores , et verba exprimentia consensum directe faciunt nexum quemdam , qui est sacramentum matrimonii. » Praeterea Benedictus XIV de Syn. Dioeces. l. 6, c. 7: « Scimus profecto, ait, esse Theologos, qui in ipso fidelium matrimonio contractum a sacramento ita dividunt, ut illum omnino perfectum quandoque consistere credant, quin ad sacramenti excellentiam pertingat. Sed quidquid sit de hac opinione, quam nos quidem nunc in medio relinquimus, *(quid de hac opinione sentiendum nunc sit, post solemnem loquendi modum a Pio IX expressius adhibitum, superius diximus)* ea certe locum nullum vindicare sibi potest apud eos , qui Tridentina lege obstringuntur: etenim qui praeter formam a se praescriptam matrimonium attentant eorum Tridentina Synodus non sacramentum modo, sed contractum ipsum irritum diserte pronuntiat, atque , ut eius verbis utamur , eos ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, et huiusmodi contractus irritos esse decernit. »

Ad alterum argumentum quod spectat, ultro fatemur matrimonium adhuc esse contractum, et sacramentum non destruere contractum, sed negamus primo, realem dari distinctionem inter contractum et sacramentum, adeoque tenemus coniugium, in suo conceptu formali , ac practico nil aliud esse, quam contractum naturalem ad dignitatem sacramenti elatum. Nam licet, speculative quadam ratione concipi mente possit aliqua in casu distinctio, reapse tamen, et in concreto contractus et sacramentum duas separatas ac divisas entitates reales nullo modo efformant, adeoque

Princeps nequit attingere contractum, nec ponere conditionem, unde eius validitas dependeat, quin, hoc ipso, attingat sacramentum, ac statuat de re sacra omnino, et sacramentali, quae ad civilem potestatem nullomodo spectat. Secundo loco, negamus pertinere ad Principem ullum ius circa contractum matrimonii naturalem, praesertim quod, ante omnem legem civilem, a Deo ipso in hominis creatione institutus est, et a Christo Domino ad sacramenti dignitatem evectus, adeo ut inter coniugium naturale et sacramentum nulla differentia intercedat, unumque cum altero penitus identificetur. Tertio demum prorsus negamus in civili ac naturali contractu materiam sacramenti sitam esse, sed in contractu ad praescriptum ecclesiasticarum legum celebrato; quapropter S. Thomas in supplem. quaest. 54, art. 4 ad 7: « Sicut Deus, inquit, non coniungit illos, qui coniunguntur contra divinum praeceptum, ita nec coniungit illos, qui coniunguntur contra Ecclesiae praeceptum, quod habet eamdem obligandi efficaciam, quam habet divinum praeceptum. » Id perspicuum est ex facto et consensu totius Ecclesiae: Ecclesia enim, uti valida semper habuit matrimonia canonice contracta, quocumque obstante impedimento civili, et e contra matrimonia, quae contra leges a Conciliis et Summis Pontificibus latas contracta essent, irrita perpetuo retinuit, licet lex civilis rata ea haberet. Vide responsa ad Episc. Brexinonensem an. 1804, et ad Episc. Vivarionensem an. 1824 in opere « Examen raisonné » t. 2, p. 317. Ad illud quod postremo dicebatur de aqua et vino pro Baptismo et Eucharistia,

facilis est responsio. Nam aqua et vinum aliis passim usibus inserviunt, contractus matrimonialis semper est sacramentum inter fideles. Insuper aqua et vinum sunt materia remota tantum, contractus vero naturalis in matrimonio est ipsum sacramentum.

Haec praenotasse sufficiat de matrimonio christiano.

Putamus rem gratam et utilem facturos, si in medium proferamus gravissima verba, quibus facultas theologica Lovaniensis a Carolo Lotharingiae Duce sententiam rogata respondit, 22 Jan. 1759. Sunt autem huiusmodi: « Extra dubium esse positum, penes saeculares Principes esse potestatem irritantia impedimenta statuendi respectu matrimoniorum non baptizatorum sibi subditorum, quatenus primis Ecclesiae saeculis impedimenta matrimonii a Principibus tum ethnicis, tum christianis constituta admisit Ecclesia. Saeculo quarto Theodosius, christianus pientissimusque Imperator, decretum tulit, quo consobrinorum matrimonia irrita decernebantur, cuius decreti cum elogio meminit S. Ambrosius ep. 66 ad Paternum.

« Numquam Principes saeculares potuere irrita facere matrimonia fidelium, quoad omnes effectus, nisi consentiente, et robur addente Principum edictis ipsa Ecclesia. Hoc docet S. Thomas (quem passim Theologi sequuntur): namque tametsi ius aliquod in matrimonia potestati civili competere non diffiteatur, dum dicit L. 4 sent. dist. 34, q. 1, art. 1 ad 4 iure naturae, divino, ecclesiastico, et civili impedimenta dirimentia constitui posse, circa Christianorum tamen matrimonia, eorum esse restrictam potestatem asserit, dum ait, L. 4, dist. 42, q. 2, art. 2 ad 4: PROHIBITIO LEGIS HUMANAE NON SUFFICERET AD IMPEDIMENTUM MATRIMONII, NISI INTERVENIRET ECCLESIAE AUCTORITAS, QUAE IDEM ETIAM INTERDICIT. Quae verba saltem de fidelium matrimoniis intelligi debent, cum nemo sit, qui in dubium revocet, utrum Principes saeculares matrimonia infidelium, seu non baptizatorum, quoad omnes effectus, irritare valeant. Idem factis historicis valet demonstrari. Pallavicinus enim lib. 22 Hist. Conc. Trid. c. 4 refert, Regis Galliae oratores diu multumque institisse apud Patres Concilii, ut matrimonia filiorumfamilias, non consentienti-

bus parentibus contracta, irritarentur; quod Patres post diuturnum examen multis et gravibus de causis abnuerunt. An ita per oratores institisset Rex Galliae, si penes se hanc potestatem esse reputasset? An Ecclesia abnuente generale impedimentum constituere pro omnibus christianis fidelibus, Rex Christianissimus pro suis subditis legem irritantem non tulisset?

« Hoc tamen Galliae Reges numquam attentarunt, et proinde id ex se posse non existimarunt; varii quidem Galliae Reges matrimonia filiorum familias absque parentum consensu contracta, nulla et irrita declaraverunt; at quoad effectus tantum civiles esse irrita patet ex Ludovici XIII responso: Hic enim Galliae Clero super dicta clausula sollicito et anxio respondit, NON VALIDE CONTRAHI, intelligit QUOAD EFFECTUS CIVILES: quorsum tam inquieta Cleri Gallicani sollicitudo, ut Regis edicti tolleretur ambiguitas, si Principi saeculari potestas competeret contractus matrimoniales sic irritandi, ut nec naturale vinculum inducere, nec Sacramenti materia esse possint?

« Igitur qualiscunque sit quorumdam Galliae Parlamentorum circa talia matrimonia praxis et sententia, si ambigua sit, ad praedictam Ludovici XIII declarationem, et ad mentem illius est explicanda; si vero inveniatur adversa, per eamdem erit emendanda.

« Ecclesiae Gallicanae circa talia matrimonia sententiam manifestam facit Habertus, qui Cleri Gallicani nomine scribens adversus Regii edicti detrectatores sub titulo OPTATI GALLI sic ait: TAMQUAM DIVINI IURIS INTERPRETIS AC ORACULI DE VERITATE, DE VALIDITATE, SUBSTANTIA, CAUSIS, PARTIBUS, CONTRACTU CONSENSUQUE, UT MATERIA ET FORMA, CONDITIONIBUSQUE, EFFECTISQUE SACRAMENTI MATRIMONII DECERNERE, UNIUS ECCLESIAE EST. ID FIDEI CAPUT ESSE NEMO DUBITAT ORTHODOXUS. Quod si tanquam fidei caput in ipsismet Galliis adstruitur, soli Ecclesiae competere potestatem statuendi conditiones requisitas ad validitatem contractus matrimonialis, quatenus ad Sacramentum ordinem habet, potestati civili ius non est adscribendum, quo valeat contractum matrimonialem irritum facere, nisi in ordine ad effectus civiles. Ipse Van Espenius, quem nemo suspicabitur nimium Ecclesiasticis favisse, Ecclesiae ius tribuit impedimenta matrimonii dirimentia privative statuendi; sic enim scribit Iuris Eccl. Univ. p. 2 l. 1, tit. 15: QUIDQUID SIT, HOC CONSTAT, IAM PLURIBUS SAECULIS, ECCLESIAM, ET QUIDEM PRIVATIVA AUCTORITATE, ET CUM EXCLUSIONE PRINCIPUM SAECULARIUM, IMPEDIMENTA DIRIMENTIA INTER CATHOLICOS ORDINAS-

SE, EAQUE PRO TEMPORE ET LOCORUM CIRCUMSTANTIIS NONNUNQUAM EXTENDISSE, VEL LIMITASSE, AUT ETIAM RELAXASSE, AC PER CONSEQUENS NEGARI NON POTEST, QUIN ECCLESIA HAC POTESTATE A PRIMIS SAECULIS PACIFICE USA SIT.

« Constat etiam, impedimenta matrimonii stetisse auctoritate Ecclesiae, quae Principes saeculares cessare volebant ; nam cum Theodosius statuisset irrita matrimonia in secundo gradu consanguinitatis, illud decretum sic suum fecit Ecclesia, ut cum Arcadius et Honorius illud revocassent, hoc minime obstante, idem impedimentum perseveraverit. » Quid de hoc responso Clem. XIII autumaverit apertum fit ex litteris Archiep. Damian. Nuntii Apostolici ad D. Colivard, 26 Martii 1750 datis, quas refert Moser, op. de matrim. et Hausser « dissert. can. de pot. statuendi impedimenta dirimentia » Lovanii 1853.

De toto hoc argumento vide Cuccagni Tract. de matrimonio christian. An. 1791, Muzzarelli « Dissertazione dei contratti del matrimonio. » op. 29, Moser « De impedimentis Matrimonii. » Mechliniae 1834, Martin. « De matrimonio et potestate ipsum dirimendi Ecclesiae soli exclusive propria. » Leodien. 1844, Perrone De matrimonio, Mélanges théologiques, sixième série, 2me cahier, p. 200 et seqq. Carrière compendium cit., de matrimonio Parisiis 1856, Audisio « Questioni politiche, Napoli 1854, Petrus Giovine, « Op. de dispensationibus matrim. p. 1, sect. I, § 15, Neapol. 1863, Opus « das heilige Sacrament des Ehe auct. Michaële Haringer, Presbyteri Cong. SS. Redempt. Ratisbonne, 1854.

§ 66.

De impedimentorum relaxatione

In exponendis impedimentis singulorum originem scrutati sumus. Ea itaque vel a iure naturali et divino, vel a iure humano profecta sunt. Prioris generis impedimenta a nulla potestate humana relaxari possunt ; ius enim naturale et divinum humanae potestati non subest. Secundi vero generis impedimenta relaxari possunt ab uno romano

Pontifice, « qui secundum plenitudinem potestatis de iure potest supra ius dispensare, » cap. Proposuit de concess. Praebend. « Quamquam enim, ut recte animadvertit Drouven lib. 9 de Re Sacram. cap. 4, q. 7, hoc nullibi legatur antiquis Canonibus constitutum, usus tamen invaluit, et generali disciplina receptus, ut pro huiusmodi gratiis obtinendis solus Pontifex Maximus adiri communiter deberet ac posset, et merito quidem tam propter debitam Sedi Apostolicae reverentiam, cui potissimum Canonum observatio et dispensatio divinitus est commissa, tum quia, cum impedimenta matrimonium dirimentia vel a Conciliis generalibus, vel a Summis Pontificibus fuerint instituta, in quorum decreta potestatem non habent Episcopi, consequens fuit, ut solis summis Pontificibus deberet relaxatio regulariter reservari » Eadem dicunt Thomassinus N. et V. Eccl. discipl. p. 2, l. 3, c. 24. Nat. Alex. Theol. Dogm. de Mat. n. 6, Habert, Billuart, Tournely, aliique. Primis Ecclesiae saeculis nulla dabatur relaxatio. Primus dispensavit Innocentius III cum rege Othone IV, et successu temporis quod vulnus erat legis, evasit hominum medicina. Hanc potestatem communi fere calculo Doctores denegant Episcopis, et Congregationes Concilii, ac supremae Inquisitionis propositionem asserentem Episcopi ius ordinarium dispensandi super impedimento publico dirimente, pro matrimonio contrahendo sive in articulo mortis, sive in alia urgentissima necessitate, in qua continuo S. Sedis dispensatio obtineri non potest, tamquam falsam, temerariam, scandalosam, perniciosam, et seditiosam, non semel proscripserunt. Vide Riganti l. 4, in Reg. Canc. n. 2, Bened. XIV de

Syn. dioeces. l. 7, c. 8, n. 7; Zachariae diss. de Episc. in dispens. super impedimento matrim. potestate, Faventiae 1789; et litteras tum Pii VI ad Electorem Trevirensem 2 febr. 1782, et ad Archiep. Colon., et Episc. Monaster. 20 ian. 1787, tum Pii VII, ad Episcopos Galliarum 27 febr. 1809 datas. Relinquitur itaque, ut Episcopi ex solo Indulto Apostolico, quod Romanus Pontifex ex iusta causa petentibus nunc magis, nunc minus amplum pro temporum et locorum varietate impertiri solet, aut ex indubia et inveterata consuetudine facultatem super uno aut pluribus impedimentis dispensandi consequantur. Indultum autem Apostolicum tantum tribuit potestatis quantum exprimit, et exspirat lapsu temporis praefiniti. Episcopus dispensans vi indulti, sive pro foro tantum conscientiae, sive pro foro externo, debet necessario, et ad valorem dispensationis easdem sequi regulas, quae ex stylo Curiae romanae observandae sunt, ubi S. Pontifex ipse in eodem impedimento dispensat, ut ait S. Poenitentiaria 1 iunii 1858. Indultum Episcopis datur ad quinquennium, vel ad beneplacitum S. Sedis. Duplex hic agitur quaestio: 1° est, an apostolici indulti vi possit Episcopus dispensare a communi, seu, ut aiunt, correlativo, quo nupturientes detinentur impedimento, ubi eorum alter eiusdem iurisdictioni tantummodo subiiciatur? Licet multa in utramque partem dicta sint, nullus tamen hac de re dubitandi locus superesse videtur, post sequentem S. Poenitentiariae declarationem diei 4 sept. 1839: « Quilibet Ordinarius agendo cum facultate non ordinaria, sed a S. Sede absolute, simpliciter, et absque ulla conditione delegata, dispensando cum suis dioecesanis, po-

test dispensare super aliquo canonico impedimento etiam in casu, quo una persona ab impedimento ligata est suae dioecesis, altera alienae, quia ea facultas a Papa procedit, et sublato impedimento ex una parte, cum qua dispensare valet, etiam pars altera libera evadit, quum ligamen non amplius inter utramque partem iam existat. » Altera quaestio est, an apostolicum indultum, quo facultas Episcopo facta est dispensandi *in matrimoniis iam nulliter contractis*, protrahatur etiam ad connubia coram potestate civili dumtaxat inita? Qui negativam tenent sententiam ab omni difficultate facile se liberare putant, dum in medium afferunt s. Poenitentiariae responsum 28 martii 1816, hisce verbis expressum: « in verbis in matrimoniis hucusque nulliter initis, intelligi dumtaxat matrimonia nulliter contracta coram Ecclesia. » Contra vero qui affirmativam tuentur sententiam, quum ipsis videatur citatum responsum non ad regulam generalem, sed ad exceptionem regulae, seu ad casum peculiarem referri, altero S. Poenitentiariae responso 14 Feb. 1827 innituntur, quo Episcopo dubium proponenti, utrum ipse possit extendere quam habet facultatem dispensandi in matrimoniis initis, ad ea etiam, quae coram potestate civili cum aliquo impedimento contrahuntur, responsum est: « facultatem, de qua in precibus, adhiberi posse, nedum erga eos, qui ob aliquod impedimentum nulliter contraxerunt coram parocho et duobus testibus, sed erga eos etiam, qui aliquod ex dirimentibus impedimentis habentes coram magistratu civilem actum emiserunt. » In hac opinionum discrepantia, licet nobis in animo haud sit quaestionem pro rei gravitate rimari, eo

vel magis quia authenticum duplicis responsi exemplar notum nobis perspectumque non est, et insuper nobis constat, eam modo esse S. Sedis praxim, ut in concedendis his facultatibus addat semper « coram Ecclesia, » facere tamen haud possumus, quin animadvertamus contrarias sententias facile, et forsan etiam vere componi, si dicatur, ac adstruatur Episcopos indultum dispensandi in matrimoniis nullis iam initis extendere quidem iure posse ad ea matrimonia clandestina, seu non servata Tridentini forma contracta, quae, nisi aliud dirimens impedimentum occurreret, vera ac valida haberentur, sive quod Tridentinum non est publicatum, usuque receptum, sive quod non obligat amplius ob S. S. dispensationem vel declarationem; extendere vero non posse ad ea matrimonia, quae ex sola clandestinitate invalida ac nulla sunt in locis, ubi lex tridentina promulgata est, et admissa, eaque, non observata praescripta forma, tamquam coniunctiones fornicariae, licet nullum aliud obsit impedimentum, communi calculo reputantur. Facilior hic quaestionem explicandi modus, diversasque componendi sententias, vim et pondus haurire videtur ex S. O. instructione pro Missionariis 23 martii 1825, edita, ubi haec habentur: « Denique manifestum est per matrimonia praeterita, in quibus uti possunt Episcopi, vel Missionarii facultate sibi ab Apostolica Sede delegata dispensandi, ut in dubio, intelligi non coniunctiones quascumque, etiam fornicarias, sed eas tantummodo, quae iuxta mores regionum vel infidelium, vel haereticorum formam habent et figuram matrimonii, habenturque pro legitimis matrimoniis,

quae tamen irrita sunt ob ecclesiasticum impedimentum secundi gradus affinitatis, vel consanguinitatis. » Ex consuetudine vero Episcopi dispensant super impedimentis impedientibus, exceptis quae sequuntur, videlicet 1° impedimento orto ex sponsalibus validis, quae altera parte invita remitti sine ipsius iniuria non possunt; 2° impedimento proveniente ex voto simplici castitatis perpetuae, aut ingrediendae religionis approbatae; haec enim vota, nisi conditionata fuerint, Romano Pontifici reservata sunt; 3° impedimento, quod ex haeresi alterutrius contrahentis ortum habeat; 4° denique impedimento orto ex tempore prohibito, quia Episcopus nequit dispensare, ut nuptiarum benedictio solemnis more consueto adhibeatur. Vide S. C. RR. 23 Iun. 1853. Num autem ex consuetudine nancisci Episcopus possit ius dispensandi super aliquo impedimento publico, quod matrimonio valide contrahendo obsistat, quaestio est de qua vide auctores et praesertim Bened. XIV de Syn. Dioec. l. 9, c. 2. Quaestio haec eo tota reducitur, ut videatur, an consuetudo haec, etsi immemorabilis, aut saltem centenaria, ecclesiasticae disciplinae nervum disrumpat. Duplex adest sententia. Vide Bened. XIV op. et loc. cit. At vero si agatur de matrimonio iam publice contracto, certum est ex consensu omnium Doctorum Episcopos dispensare posse pro foro interno super impedimento dirimente, propter quod matrimonium idem invalide contractum sit, his tamen circumstantiis simul concurrentibus, ut 1° matrimonium in faciem Ecclesiae omnibus adhibitis solemnitatibus et bona saltem alterutrius fide celebratum sit et consummatum; 2° Impedimentum sit occultum, 3° Coniugum separatio si-

ne scandalo fieri nequeat; 4° Ob coniugum paupertatem, rusticitatem, locorum distantiam, aliasque similes causas adiri facile nequeat Sedes Apostolica, et dispensatio ab ea obtineri. Non desunt tamen auctores, qui eamdem facultatem pro matrimonio etiam contrahendo Episcopis pro foro conscientiae asserunt, quando videlicet impedimentum est occultum, et urgent circumstantiae rerum, ut neque Summus Pontifex adiri, neque matrimonii contractus, ad quem omnia parata sunt, sine scandalo et infamia differri possit. In eo enim urgentissimae necessitatis eventu, dum alius ad praecavenda tot mala non suppetat modus, nec remedium adhiberi possit, quod passim ab auctoribus proponitur, de voto castitatis ad tempus emittendo, potestatem dispensandi ex praesumpta Romani Pontificis voluntate Episcopis tribuunt plerique Doctores, quin haec opinio hodie fere communis est. Nulla enim ratione credi potest in iis circumstantiis privative reservatam Pontifici potestatem, quam a Christo Domino in commune animarum bonum accepit, quum id non solum adversaretur reservationis fini, qui est, ut scandala peccandique pericula a fidelibus eviten-tur, tum etiam maternae providaeque Ecclesiae gubernationi, quae ex Apostolo potestatem suam non in destructionem, sed in aedificationem animarum accepit. Accedit S. C. C. in Aegitan. disp. 19 apr. 1692 auctoritas: « Ad dubium 5, an Episcopus dispensare valeat super impedimento occulto ad matrimonium celebrandum, quando ob moram habendae dispensationis propter distantiam locorum magnum daretur periculum incontinentiae et scandali? et 6 utrum possit quando impedimen-

tum proveniat ex parte feminae passurae iacturam vitae, famae, scandali, si illud detegeret? » Resp. fuit « affirm. quoad forum conscientiae tantum. » Confer Sanchez l. 2, diss. 40, n. 7, et sent. XIV de Syn. l. 7, c. 31, n. 2; S. Alphonsum de Ligorio de Matrim. l. 6, cap. 3, dub. 4, n. 1122, 1123, et seqq. Quaeri hic solet, quid parocho vel confessario praestandum sit, ubi, instante hoc urgentissimae necessitatis eventu, neque ad Episcopum facile recursus dari queat? Sunt qui tenent confessarium absolutionem non posse impertiri, si, neglectis monitis, poenitens ulterius progredi, et nubere cum impedimento velit, parochumque debere declarare se nuptias differre, cum non bene valeat. Aliqui auctores hac difficultate se expediunt, dum asserunt in hisce rerum adiunctis parochum matrimonio interesse posse, ac decernere impedimentum, eo quod noxium magis quam utile evaderet, omnino cessare, adeoque nupturientes eo haud amplius detineri et obstringi. Isti auctores vero « notant, ut verbis utar s. Alphonsi de Ligorio lib. 6 de Poenitent. n. 613, quod esto tunc permittatur contrahi matrimonium, tamen quantocius (saltem ad maiorem securitatem, et ad salvandam reverentiam legibus Ecclesiae debitam) recurri debet ad S. Poenitentiariam, ut ab ea dispensatio obtineatur. » Haec sententia multis non probatur, eo quod nulla necessitas eos reddere potest habiles, quos Tridentina Synodus omnino inhabiles iudicat, nec lex irritans cessare unquam potest, quoad actus nullitatem, quantumvis magnum incommodum oriatur. Alii nil omnino dubitant, quin parocho et confessario ex suavi Ecclesiae gubernatione et per quamdam epikeiam

eadem sit facultas, qua Episcopus, ut superius diximus, iure gaudet, quum ad Summum Pontificem facilis non est recursus, praesertim cum eadem esse debeat iuris dispositio, ubi est eadem ratio, adeoque, ut observat Card. De Lugo de Poenitent. disp. 22, sect. 22 et 24; et Roncaglia de Matrim. quaest. 9, n. 1: « Quidquid facit praesumere voluntatem esse summi Pontificis, ut Episcopus in quibusdam casibus gravissimis possit in impedimentis dirimentibus dispensare, dum non possit Pontifex adiri, et sit periculum in mora, idem probat quoad Parochum, dum non possit Episcopus adiri. » Isti auctores addunt consultum valde esse ut ad maiorem sacramenti firmitatem dispensatio deinde obtineatur. Sunt qui tenent licitum esse sponsis absque peccato matrimonium exterius celebrare, facta promissione abstinendi ab iis, quae non coniugatis illicita sunt, donec dispensatio, renovato consensu, exsequutioni commissa sit. In casu enim nulla adest realis sacramenti simulatio, nec ponitur materia et forma cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, quod nunquam licet, sed tantummodo admittitur actus absque nulla intentione, ita ut deficiente materia et forma Sacramenti, quandoquidem deest voluntas, deficiat oportet consensus, ac proinde contractus non subsistat. Tandem non desunt, qui autumant, ad evitanda scandala, quae inde exoriri possent, parochum et confessarium debere ad connubium ineundum sponsos admittere, eosque, si impedimentum ambo ignoraverint, et absque gravi periculo de eo certiorari nequeant, in bona fide relinquere, quoad dispensatio obtineatur, et consensus, si fieri possit, renovetur, vel, si necessum sit, quoad matrimo-

nium sanetur in radice, quo casu nullus amplius consensus renovationi locus datur; sin minus districte praecipere utrique vel alterutri, prout uterque, vel alteruter impedimentum noverit, nec deliberato animo, pravoque fine eo usque occultaverit, ut exterius non ficte, sed serio matrimonium sub conditione, si Papa dispensaverit, vel etiam simpliciter contrahant, et interea promittant, ab omni periculoso congressu, ac fornicario concubitu se cohibere, donec casui per dispensationem Episcopi, et per mutuum consensum, si utraque pars impedimentum cognovit, vel per copulam maritali affectu habitam, aliave ratione, ut infra, si alterutra, quae ignorat, certiorari nequeat, provisum fuerit. Porro deficiente promissione utriusque vel alterutrius, qui impedimentum novit, matrimonii celebratio deneganda est. Vide Mél. Théol. sér. 2, p. 451-470, et ser. 6, p. 356. Gravissimam hanc complexamque quaestionem pro rei gravitate pertractare nimis longum esset, nec valde necessarium, tum quod, etiamsi casus, de quo agitur, dari in praxi possit, quod a nonnullis auctoribus denegatur, difficile tamen, vel etiam moraliter impossibile esse multis videtur, ut aliquis modus praesto illico non sit matrimonium tandiu, absque ullo scandali et infamiae periculo differendi, quandiu omnia iure componi queant; tum quod nostris praecipue temporibus, quibus per fluidum electricum ac vias ferreas urbes principes non solum cum minoribus eiusdem regionis civitatibus ac oppidis, sed cum aliis etiam aliarum gentium ac nationum magis dissitis ac longinquis urbibus absque distantia ferme coniunguntur, vix aut ne vix quidem concipi posse videtur parocho medium

promptum ac expeditum deesse, quo, dilatis per aliquot horas nuptiis, a Superiore ecclesiastico opportunam dispensationem obtineat; tum demum quod ad omne periculum propulsandum, aditumque obsepiendum, quominus casus contingat, Episcopus prudenti, pro rei ratione, lege dioecesana, vel speciali quodam provido praescripto, quibusdam vinculis nupturientes obstringere potest, antequam ad matrimonii sacramentum suscipiendum tractandumque accedant, ita ut opportuno tempore, a quolibet, si adsit, impedimento occulto dispensare facile valeat. Vide Mélanges Théol. I. sér. p. 46, et ser. 2, p. 446, et Revue Théol. Belge nouvelle série, 2 cahier, sept. 1862. Porro occultum impedimentum *simpliciter* illud est, quod nullo modo demonstrari potest, soliusque Dei iudicio permittitur, et hoc *omnino occultum* a s. Poenitentiaria dicitur. *Quasi occultum* illud est, quod paucis notum est, et hoc intendit s. Poenitentiaria per verbum *occultum*, ita ut practica haec dici debeat *occulti* significatio in materia, de qua agitur. Quot personis impedimentum notum esse possit, quin desinat esse occultum, prudentis iudicis arbitrio ac sententiae est relinquendum. Non desunt adminicula, quibus hoc arbitrium facile dirigitur, eaque pendent tum a loco, tum a personarum qualitate. Vide Ben. XIV, inst. 89.

§ 67.

De causis dispensandi.

Dispensationes matrimoniales sunt vulnera, quia per eas ius vulneratur, ut ait cap. Iusti pietas 43, q. 4, adeoque raro admodum, et nonnisi legitimis causis impertiuntur. Conc. Trid. sess. XXIV, c. 5. Si matrimonium iam contractum ob impedimentum latens nullum sit, causa pro obtinenda dispensatione esse potest ignorantia, bona fides, aut metus, ne detrimentum aliquod, aut dissidium, aut scandalum excitetur si, non obtenta dispensatione, matrimonium dissolvatur. Haec autem posterior causa deesse solet fere nunquam; vix enim ulla dissolvi possunt matrimonia iam contracta et consummata, quin gravissima mala subsequantur, quae per dispensationem impedirentur. Causae vero pro relaxandis impedimentis, maxime publicis, pro matrimonio contrahendo, praecipuae ex stylo curiae sunt: 1° Ob bonum pacis. Haec causa vel adducitur ad exstinguendas graves inimicitias, quae inter contrahentium parentes et consanguineos vel affines exortae iam sint, quaeque celebratione matrimonii omnino componerentur, et vulgo appellatur propter inimicitias; vel affertur, quando nempe inter contrahentium parentes, consanguineos, et affines inimicitiae graves viguerint, et quamvis pax inter ipsos inita sit, celebratio tamen matrimonii ad ipsius pacis confirmationem quam maxime conduceret, et dicitur ob confirmationem pacis. Huc etiam refertur causa exstinctionis litis super rebus gravis momenti, dum videlicet cer-

tum est per huiusmodi nuptias lites omnes diremptum iri. 2° Ob praerogativam dignitatis regum et magnorum principum, quae causa non acceptionem personarum, sed publicum bonum spectat. 3° Ob excellentiam meritorum, dum aliquis contra fidei catholicae hostes dimicando de Ecclesia benemeritus est. 4° Ob conservationem illustris familiae in eodem sanguine, itemque ob conservationem bonorum in familia, quae causae ad bonum publicum pertinere censentur, dum ex conservatione huiusmodi familiarum respublica abundat viris nobilibus et locupletibus, qui commodius eidem inserviant. 5° Ob angustiam loci, quum mulier in loco originis, vel etiam in loco habitationis et domicilii, de uno ad alium locum se transferendo, propter illius angustiam virum sibi non consanguineum, vel non affinem, paris conditionis, cui nubere possit, invenire nequeat. 6° Ob incompetentiam dotis, quando mulier, attenta status sui conditione, dotem habet minus competentem, vel competentem, sed litibus involutam; quamobrem innupta maneret, aut certe virum paris conditionis non inveniret, nisi nubat tali consanguineo vel affini suo, qui eam cum dicta minus competenti dote in uxorem absolute, vel promisso a se, aut ab alio dotis augumento, ducturus est; quae quidem causa magis urget, si mulier penitus indotata existat, et consanguineus vel affinis ad eam sic indotatam non modo in uxorem ducendam, verum etiam ad competenter ex integro dotandam, ubi dotale regimen viget, paratus est. Idem dic, si vir locupletioris fortunae mulierem, pro qua caeteroquin haec causa adest, in uxorem ducat sub regimine communitatis bo-

norum. 7° Ob aetatem mulieris, quae 25 aetatis annum attigit, aut etiam praetergressa est, nec virum sibi adiungere adhuc potuit; haec causa pro vidua non sufficit nisi iunior sit, et in periculo incontinentiae facile versetur, praesertim si prolem habeat, nec alere commode possit. 8° Ob infamiam, quum scilicet vir et mulier consanguinei vel affines tanta consuetudine invicem usi sunt, ut orta sit suspicio publica, licet falsa, quod se carnaliter cognoverint; quapropter nisi matrimonium inter eos contrahatur, mulier graviter diffamata et innupta remaneret. 9° Ob copulam, dum nempe vir et mulier consanguinitate vel affinitate coniuncti, non quidem peccato data opera, ut crimine admisso Apostolicam Sedem ad misericordiam et gratiam erga se faciliorem redderent, sed solum vesana libidine victi carnaliter copulati sunt: unde si matrimonium non contrahatur, mulier tum diffamata et innupta maneret, tum etiam gravia scandala possent verosimiliter exoriri. 10° Ob periculum vitae, dum scilicet uxoris parentes, aut fratres, aliive propinqui mortem minantur viro, nisi mulierem ipsam, cum qua rem habuit, uxorem duxerit. 11° Ob periculum reale defectionis a fide catholica, non vero perversionis morum, idque tum locum obtinet, cum prudenter timetur, ne quis valde fortis in fide, ex denegata dispensatione, ob animi infirmitatem, ac fragilitatem, caecum impetum, aliasque similes rationes, a catholica fide deficiat, eo fine ut quod inter catholicos inire prohibetur matrimonium, illud contrahere attentet sese recipiendo in eam communionem, in qua nil de dispensatione sollicitus genio suo indulgere valeat, ut habetur in Instruct. S.

Off. 3 Aug. 1815 ad Vic. Capit. Dioec. Aquisgranae data : hae duae postremae causae omnium gravissimae habentur. 12° Ob bonum prolis et matrimonium civile contractum aut contrahendum, et tunc dispensatio conceditur praecipue sive in gratiam sponsae, prolis natae aut nasciturae, et familiae, sive ad vitandum scandalum religioni ac moribus perniciosum. Denique personis nobilibus, aut valde honestis tribuuntur dispensationes *ex certis rationabilibus causis*, nulla singillatim expressa; quamobrem dispensationes sine causa dicuntur, non quod nulla causa subsit, sed quod nulla in specie exprimatur. Exsecutor autem eas causas nec scrutari, ac ne inquirere quidem debet; reliqua tamen, utrum veritate nitantur, diligenter investigabit. Hae causae in Romana Curia probantur. Possunt tamen et aliae existere, dummodo secundum aequitatem licitae, secundum honestatem convenientes, et secundum utilitatem expedientes sint. Si post dispensationem aliud detegatur impedimentum, vel ob alium defectum irrita est dispensatio, recursus fit iterum ad S. Sedem, quae dat litteras in forma *perinde valere*, quarum ea est vis, ut revalidetur matrimonium, et retrotrahatur ad diem primi rescripti. In concedendis dispensationibus nimius rigor aeque ac nimia facilitas vitari debet. Primum reprobat Symmachus Papa dicens: « Legi insistere, cum observantia inferret praeiudicium, crudelitatem sapit. » Secundum reprobat Conc. Trid. sess. XXIII, c. 18. Caeterum eadem causa omnibus impedimentis non sufficit, sed quo gravius est impedimentum, quo propinquior gradus, quo plura numero impedimenta, eo gravior causa, vel plu-

rium concursus postulatur, quod tamen non *mathematice*, ut aiunt, sed *moraliter* accipiendum est. Unde Episcopus, sive delegata, sive quasi ordinaria potestate is utatur, nequit dispensationem impertiri, nisi constet de causa, quae prudenti ac morali iudicio sufficiens, ex S. Sedis praxi, sibi videatur. Vide dec. S. Poeniten. 1 Maii 1858.

§ 68.

De consensu dispensantis et de notandis in supplici libello.

Praeter potestatem in dispensante, et iustam causam dispensandi, postulatur etiam ad dispensationis validitatem consensus ipsius dispensantis. Deficit autem huiusmodi consensus, si quid necessario exprimendum reticeatur, aut si quid a veritate alienum exprimatur: exploratum est enim dispensantem nolle gratiam facere dispensationis, deficiente veritate. In primis itaque cavendum est, ne causae pro dispensatione obtinenda adductae, aut subreptionis, aut obreptionis vitio laborent. Vide Bened. XIV Inst. 87, et Const. AD APOSTOLICAE SERVITUTIS, ubi ait: « Quod expressio causarum earumque verificatio ad substantiam et validitatem dispensationis pertineat, illisque deficientibus, gratia nulla et irrita sit, nullamque executionem mereatur. » Similiter canonicum impedimentum in specie exponendum est, et si plura impedimenta concurrant, singula distincte explicanda sunt, veluti si oratores consanguinei sint et affines simul, tum quia concursus plurium impedimentorum multo difficiliorem reddit dispensa-

tionem, tum quia cuique dispensationi tacita conditio inest « nisi aliud impedimentum obstet. » Praeterea si dispensatio super consanguinitatis impedimento petatur, haec insuper aperienda sunt: 1° An impedimentum occultum sit, vel publicum. 2° in quo gradu sit consanguinitas; 3° An ex uno, an ex pluribus stipitibus proveniat. 4° Utrum in linea recta vel transversa. 5° Utrum aequalis sit, vel inaequalis lineae transversae gradus. 6° Si gradus inaequalis sit et simplex, uterque exprimi debet, proximior nempe et remotior; attamen si exprimatur tantum gradus remotior, modo primum quomodolibet non attingat, cum quo Pontifex dispensare non intendit, nisi exprimatur ut patet ex Brevi S. Pii V SANCTISSIMUS 26 Aug. 1566, et ex S. C. C. decis. in Lucionen. Nullius Matrim. 18 Martii 1723, certum omnino est remotiorem secum trahere propinquiorem, obtentis tamen postea super propinquiore litteris declaratoriis, adeo ut dispensatio de obreptionis aut subreptionis vitio, seu de intentionis defectu notari nequeat. Quin imo coniugium validum est, licet litterae declaratoriae, vel sanatoriae, aut *perinde valere*, quae pro foro tantum externo deserviunt, ab exsecutore nec petantur, nec obtineantur, ex S. C. C. dec. 28 Nov. 1722, et ex Brevi Bened. XIV « ETSI MATRIMONIUM » 27 Sept. 1751 et Decreto « CUM SUPER MATRIMONIO » 20 Sept. 1755. Verum aliter dicendum est, ex cit. hisce documentis, si sermo sit de duplici consanguinitatis gradus impedimento, etiam inaequali, quum irritum sit matrimonium cum dispensatione initum, si in petitione unicus tantum gradus expressus sit. Vide Benedictum XIV decreto in causa Lisbon.

Nullit. Matr. 27 Sept. 1755 « QUUM SUPER MATRIMONIO.» Eadem omnia exprimenda sunt, si super affinitatis impedimento dispensatio petatur; et illud insuper explicandum est, utrum affinitas, ex licita, an ex illicita copula exoriatur.

Hic autem quaeri 1° solet, an copula incestuosa necessario exprimenda sit? Pontius lib. 8 de Matrim.cap. 17, § 6 existimat dispensationem ad contrahendum cum affini vel consanguinea matrimonium, non facta carnalis copulae mentione, non esse subreptitiam, et proinde validam; « quia copula illa carnalis, ut ipse inquit, si fuisset expressa, faciliorem reddidisset Pontificem ad concedendum dispensationem. Quando autem tacetur veritas, quae si fuisset expressa faciliorem reddidisset Pontificem ad concedendum rescriptum, non censetur subreptitium iuxta doctrinam Glossae in cap. SUPER LITTERIS de re scripta verbo *litteras*: quae Glossa est communiter approbata. Atque hoc, quod de copula diximus, sine dubio verissimum fuit ante Concilium Tridentinum, ut docet Navarrus in Manuali latino cap. 2, n. 86, et in cap. SI QUANDO de Rescript. in 4 exceptione. » Cum autem Concilium Tridentinum sess. XXIV, cap. 5 de Reform. Matrim. decreverit, ut qui intra gradus prohibitos matrimonium non tantum contrahere, sed etiam consummare ausi fuerint, separentur, et spe dispensationis consequendae careant; hinc multi Doctores colligunt copulam exprimendam esse, cum incestuosi ex praedicto decreto indigni esse videantur, qui dispensationem obtineant. Itaque Pontius cit. loc. sic prosequitur: «Neque obstat textus dicti Concilii Trid. cap. 5, sess. XXIV de Reform. Matrim.; nam

expresse loquitur, quando inter prohibitos intervenit copula carnalis cum animo de facto consummandi matrimonium antea inter illos scienter contractum. Nam quemadmodum matrimonium ipsum scienter contractum reddit difficilem dispensationem, sic a fortiori reddere debet difficiliorem, si fuerit copula carnali consummatum. Id quod etiam ante Concilium Tridentinum dicendum erat ex bene fundata Iuris pontificii doctrina. Unde colligitur, quod Concilium Tridentinum nihil innovare voluit, quando copula carnalis intervenit sine matrimonio. » Eamdem sententiam acriter tuetur Vincentinus de Iustis in suo Tract. de dispens. Matrim. l. 1, cap. 4, ubi multis cumulatis rationibus et auctoritatibus concludit: « Non esse necessariam dictae copulae expressionem in dispensatione obtinenda, si oratores aliam causam habeant, quae moveat Pontificem ad dispensationem concedendam. » Verum haec non obstant, quominus contrariam sententiam amplectamur. Nam praxis Romanae Curiae ea est, ut incestuosa copula in precibus supplicationum exprimatur. Hinc Pyrrhus Corradus, hisce in rebus multum et praeclare versatus, lib. 8 Dispensat. Apostolic. cap. 1 asserit, hanc certam sententiam et stabilem in Romana Curia esse, eamque confirmat sequenti declaratione Congregationis Concilii: « Congregatio Cardinalium Concilii censuit dispensationem subreptitiam esse, si inter consanguineos et affines, aut spirituali cognatione coniunctos carnalis copula praecessisset, cuius mentionem in supplicationibus non fecissent. » Confer. S. Poenit. responsum 1 Maii 1858. Cum nil statuatur de publica honestate, me-

rito infertur non esse necessarium ut copula in hoc impedimento exprimatur. Praeterea in casibus de affinitate, consanguinitate et spirituali cognatione, dispensatio subreptitia habetur, si copula non praecesserit, sed litteras dispensationis subsequuta sit, antequam ipsas litteras Ordinarius exsequutus fuerit, et dispensationem impertiverit, quia, ut ait Sylvius Resolut. variar., verb. *dispensatio*: « Ut bulla mandari possit executioni, oportet casum, qui in ea proponitur, manere invariatum, quoad usque ipsa sit executioni mandata.» Copulam vero supervenientem post dispensationem ab Ordinario factam non impedire matrimonii validitatem declaravit eadem Congregatio Concilii apud Garziam de Benef. part. 8, cap. 3, ubi plura ad rem congerit. Similiter si Pontifex non in forma commissaria, sed in forma gratiosa litteras dispensationis dederit, hoc est absolute et immediate per se ipsum dispensando, copula superveniens matrimonio valide ineundo non obsistit. Caeterum, quoties copula, ut unica causa finalis adducitur, necessario prorsus requiritur, iuxta S. Alphonsum n. 1134, aliosque auctores, ut illud etiam exprimatur, an sola libidine habita sit, an sub spe facilius obtinendae dispensationis; sic enim dispensatio aut nullo pacto aut difficilius conceditur, ne facilitas veniae incentivum ac stimulum tribuat delinquendi; e contra intentio non esset exprimenda, si aliae causae sufficientes afferantur. Alii nulla facta distinctione loquuntur, et mentionem malitiosae intentionis semper expostulant. Vide Bened. XV, Inst. eccl. 87, p. 10. Hanc sententiam servandam esse existimamus; non eo tamen progredimur ut im-

probemus eos, qui in casu urgenti opinionem contrariam sequuntur. Copula et intentio non semper eodem modo exprimitur, siquidem publica aut occulta, ut ipsum impedimentum, esse potest; adeoque diversimode exponitur, facto recursu vel ad Datariam, vel ad S. Poenitentiariam, de quibus inferius sermo redibit. At vero si qui super aliquo impedimento publico dispensationem consequuti sint, nulla facta mentione carnalis copulae, quae occulta maneat, validitati matrimonii contracti vel contrahendi prospicitur per occultam dispensationem a S. Poenitentiaria obtinendam. Porro exsecutor dispensationis matrimonialis contra ius et fines mandati ageret, interrogando dispensatos, an carnalem copulam habuerint; etenim inquisitio criminis fieri nequit, nisi infamia praecesserit ex cap. Inquisitionis 21 de Accusat. et Inquisit., neque ad exsecutorem seu iudicem delegatum spectat cognitio rei, de qua in Rescripto nulla mentio habetur, cap. Cum olim, et cap. Venerabili de Offic. et potest. Iudic. delegat.

Quaeri 2° solet, utrum in obtinendis dispensationibus super primo ac secundo affinitatis gradu ex licita coniunctione promanantis illicita illa copula exprimenda sit ex eo orta, quod superstes coniux defunctam coniugem ante nuptias cognoverit? Sunt qui affirmativam sententiam tenent, et afferunt decretum Leonis XII 18 Martii 1827. Verum post recentiora S. Poenitentiariae, hac super re, responsa non possumus, quin negativam sententiam amplectamur. In litteris enim eiusdem S. Tribunalis ad Episcopum Namuricensem die 29 Martii 1842 datis decernitur: « ut in dispensa-

tionibus matrimonialibus super primo aut secundo gradu affinitatis ex licita coniunctione provenientis, necessarium deinde non sit explicare, si ante praecedens matrimonium ab oratore vel oratrice cum defuncto coniuge initum et consummatum alia inter ipsos illicita copula intercessit. » Porro huiusmodi responsum non tantum respicere illos, in quorum favorem emanavit, sed ad omnes extendi posse casus, eisque applicari, iisdem rerum adiunctis concurrentibus, liquido ex eo apparet, quod Archiepiscopo Ultraiectensi eumdem generis eiusdem casum proponenti, die 9 Sept. 1851, rescriptum fuerit: « dentur litterae Apostolicae de die 29 Martii 1842; » quae quidem verba, si vel leviter expendantur, satis demonstrant, ut observat Benedictus XIV Instit. 10, n. 5: « S. Sedis voluntatem fuisse, ut ea, de quibus est sermo, ad universos referantur, licet viri alicuius singularis gratia emanaverint. »

Pro dispensatione super reliquis Impedimentis matrimonii haec sunt praecipue exponenda. In cognatione spirituali, praeter expressionem copulae, si habita sit, exponendum est, an sit paternitas et filiatio spiritualis, an compaternitas et commaternitas; siquidem aut numquam, aut raro admodum dispensatur, si cognatio sit inter levantem et levatum. In criminis impedimento explanandum est, an proveniat ex solo adulterio et fide data, an machinatio aliqua ex parte utriusque, vel alterutrius intercesserit, an effectum sortita sit, an denique, vivente adhuc legitimo coniuge, cum adultero vel adultera matrimonium attentatum sit. In impedimento publicae honestatis explicandum est, an haec ex Sponsalibus de futuro, an ex Matrimonio

rato ortum habeat : namque in primo casu gradum explicare non oportet, quum publica honestas primum gradum non excedat ; at in altero casu gradus probe explanari debet, itemque linea; quo enim gradus propinquior est, eo difficilior dispensatio.

§ 69.

De matrimonii revalidatione.

Haec autem omnia praecipue spectant matrimonium contrahendum. Verum non raro contingit, ut post contractum matrimonium dirimens aliquod impedimentum detegatur. Porro si impedimentum eius generis sit, ut nulla dispensatio dari queat aut soleat, medium quod ordinarie praesto est, in eo consistit, ut matrimonii nullitas declaretur; cohabitatio enim, tanquam frater et soror tum tantum permittitur ac inducitur, quum eam moraliter certo servatum iri noscatur. Si e contra impedimentum sit huiusmodi, ut dispensari ab eo possit, rei componendae triplex, secundum varias circumstantias, medium adhiberi solet, nempe aut matrimonii nullitas declaratur, aut matrimonium ope dispensationis revalidatur, aut partes in bona fide relinquuntur. Priori medio locus datur, quum partes pacifice, sancte fideliterque non vivunt, ita ut tristes nuptiarum exitus praevideantur. Secundum medium enixe curandum et non raro etiam imponendum est. Tertium interdum adhibetur, sive quum monitio non solum nil profutura, verum etiam ingentia incommoda allatura est, sive quando agitur de impedimento, a quo dispensari

nequeat. De dissolutione, seu de declaratione nullitatis matrimonii nihil attinet plura dicere. Quaedam de revalidatione matrimonii modo exponemus. Itaque ubi agatur de revalidando matrimonio iam contracto, quod propter impedimentum aliquod nullum sit, praeter expositionem impedimenti in sua specie, gradu, linea, et origine, declarandum adhuc est: 1° An matrimonium ipsum bona unius, vel utriusque fide, 2° An spe dispensationis facilius obtinendae, 3° An publice, praemissis et omissis denuntiationibus, contractum fuerit, 4° Denique an fuerit consummatum? De qua re attendenda est Const. Pauli IV, « AB IPSA DIE » idib. Dec. 1555. Exprimi etiam debet matrimonium civile, si illud habitum sit in contemptum matrimonii canonici, et tanquam connubium legitimum; tunc enim est matrimonium clandestinum. Si e contra contractum sit matrimonium civile, ut legi solum pareatur, necessarium prorsus non est ad valorem dispensationis illud exprimere, licet ea intentione initum sit, ut facilius dispensatio obtineatur. Id decisum esse a S. Poenitentiaria 2 Oct. 1829, et 18 Apr. 1831 asserunt Carrière, et Caillaud.

Quibus sic positis, rem nec inutilem, nec ingratam me facturum esse duco, si hoc in loco tres ad trutinam revocem quaestiones: 1° nempe an ad revalidandum contractum matrimonii, quando uterque novit impedimentum, novus consensus iterum coram Parocho, et Testibus iuxta Concilii Tridentini decretum debeat praestari. 2° An ubi unus tantum novit impedimentum, sufficiat novus consensus eius dumtaxat, qui impedimenti praeexistentis notitiam habuit, vel potius utraque ex

parte novus consensus requiratur; 3° quo denique modo consensus iste praestari, seu renovari debeat. Quae autem in hisce tribus quaestionibus examinabimus, locum sibi vindicant in omnibus casibus, quibus Matrimonium, sive ex defectu consensus, sive ex clandestinitate, sive ex aliquo impedimento, per dispensationem, aut aliis legitimis mediis sublato, iterum debeat repeti et celebrari.

Quod primam quaestionem attinet, omnes quidem in eo convenire comperiuntur, ad renovationem consensus, necessariam omnino esse novam Parochi, et testium praesentiam, si impedimentum dirimens, quo Matrimonium antea fuit contractum, aut publicum sit, et notorium, et plene ex. gr. per duos testes legitimos in foro externo deferri, ac probari possit, et ratio est, quod ex mente Concilii Tridentini Matrimonium ita contrahi debet, ut Ecclesiae constet, illud esse firmiter contractum, et indissolubile. Si igitur contractum quidem fuerit in faciem Ecclesiae, sed cum impedimento dirimente, quod publicum sit, et notorium, et plene probari possit, licet deinde eo impedimento sublato, clam renovetur consensus, neutiquam constabit Ecclesiae de Matrimonii illius firmitate. Parochus enim, et testes prius adhibiti, non essent testes valoris, sed nullitatis Matrimonii, proindeque ut rite contrahatur per renovationem consensus, iterum praesentia Parochi et testium exposcitur. Tota igitur in eo dumtaxat casu vertitur controversia, quo impedimentum dirimens omnino sit occultum, nullumque timeatur periculum, quo illud in foro externo probari possit. Porro non pauci quidem fuerunt, qui hoc ipso casu ad renovationem consensus necessariam Parochi et testium

praesentiam autumarent; at licet ad tollendos scrupulos consultius sit, ut, quoties id fieri sine incommodo possit, consensus coram Parocho et testibus renovetur, ad Matrimonii tamen valorem, dummodo non sit nullum ratione clandestinitatis, id nullo modo est necessarium; satis idcirco erit, si sublato impedimento, mutuus consensus, sive verbis, sive signis, sive affectu, et copula coniugali occulte renovetur. Ita enim fuit declaratum a S. Pio V, ut testatur Navarrus in manuali cap. 22, n. 7, et ita etiam servat Praxis Sacrae Poenitentiariae, quae in dispensationibus super impedimentis occultis, non solum non iniungit novam Parochi et testium praesentiam, sed expresse rescribit, ut putativi Coniuges inter se *iterum secrete contrahant ad evitanda scandala;* contra vero in dispensationibus super impedimentis publicis, semper expresse exigit, ut in faciem Ecclesiae iuxta formam Concilii Tridentini iterum contrahant. Est autem eiusmodi declaratio S. Pii V et Sacrae Poenitentiariae Praxis menti Concilii Tridentini omnino consentanea. Et re quidem vera ex huiusmodi mente illud dumtaxat clandestinum Matrimonium irritatur, ex quo, quia probari non poterat, quod fuisset contractum, oriebantur scandala atque incommoda propter quae semper Ecclesia Matrimonia clandestina detestata est, prout suo loco fusius exposuimus. Profecto illud Matrimonium, de quo agimus non est huiusce indolis; cum enim in faciem Ecclesiae primum fuerit contractum, quamvis nulliter, ob impedimentum occultum, iam probari potest, fuisse contractum, ideoque cum incommoda illa, quae secum trahunt Matrimonia clandestina, ex illo nequaquam orian-

tur, plane consequitur ex mente eiusdem Tridentini non esse clandestinum, neque irritum, et ideo sufficit clam renovari consensum. Idque locum obtinet eo vel in casu, quo impedimentum ad forum externum et contentiosum delatum sit, non tamen in eodem foro fuerit probatum. Cum enim huiusce Matrimonii valor adhuc constet Ecclesiae, convalescere utique poterit, si novus consensus occulte praestetur.

Quod spectat secundam quaestionem, an scilicet sufficiat consensus eius dumtaxat, qui impedimenti praeexistentis, aut per dispensationem, aut alio modo legitime iam sublati notitiam habeat, seu potius ex utraque parte requiratur, multis, quos nominat, quorumque rationes perpendit, et confutare satagit Schmalzgrueber ad tit. 16, lib. 4, Decretal. num. 266 et seqq. ea placuit opinio, nempe eo in casu, quo revalidandum sit Matrimonium, quod nulliter ex defectu consensus unius, ficte scilicet, aut per metum, aut per errorem praestitus, fuerit contractum, cum impedimentum reducatur ad vitium aliquod consensus solo novo consensu sanabile, satis esse, si ille, qui prius legitime non consensit, consensum suum renovet, alterius partis consensu non renovato, sed virtualiter perseverante. Hanc sententiam S. Alphonsus de Liguorio n. 1114 communiorem ac veriorem dicit, ac confirmat variis iuris textibus; quidquid tamen de hac sententia sit, quam graves auctores cum Pontio reiiciunt, docentes in casu requiri, ut utraque pars consensum renovet, profecto, si matrimonium nullum detegatur ex alio quocumque impedimento dirimente, quod non ex fictione, metu, aut errore enascatur, ac utramque partem afficiat, utriusque

consensus, ut illud revalidetur, intercedat necesse est. Ita communiter Theologi, ac Canonistae, ac merito quidem. Prior quippe consensus, licet naturalis per se, fuit omnino ex parte utriusque invalidus, cum super illegitimam et ineptam materiam fuerit versatus, atque idcirco operae pretium est, ut, sublato impedimento, renovetur. Aliunde vero affirmari nullatenus potest, quod ille prior consensus moraliter perseveret. Cum enim consensus perseverantia illius praeexistentiam supponat; iam per se patet, quod consensus, qui nunquam exstitit, perseverare nullo modo possit.

Quod tertiam quaestionem respicit, quo nempe modo praestari, seu renovari consensus debeat, en difficultates et ambages quotidie tamen occurrentes. Sane Matrimonium antea nullum convalescere non potest, nisi pars, quae impedimentum ignoravit, certior reddatur, priorem contractum fuisse invalidum, idque duplici ratione convincitur: 1. quia debet eo in statu constitui, in quo libere consentiat: 2. quia ratificatio, quae ex errore proficiscatur, nullum parit effectum, novamque inducere obligationem non potest, unde ex L. 15, ff. de iurisdictione etc. *errantis et ignorantis nullus est consensus*. Idipsum, desumpta paritate a voto, illustratur egregie. Qui enim votum invalidum ratificat, nil efficit, donec praeviam eius invaliditatis notitiam comparaverit. Iam vero, qui impedimenti dirimentis nescius Matrimonium ratificat illud ex errore ratificat, ideoque per hanc ratificationem, contractus antea invalidus convalescere non potest. Ex praxi autem S. Poenitentiariae, quae cum dispensat ad permanendum in Matrimonio semel contracto hanc apponere solet clausulam « Muliere

(vel viro) de nullitate prioris consensus certiorata, sed ita caute, ut latoris delictum nunquam cognoscatur » illud tuto infertur, et probe notandum, quod Matrimonium, ut renovatione consensus convalescat, eius prius invalide contracti nullitas, non tamen eiusdem nullitatis causa, utrique debeat innotescere, praesertim si causa fundetur in delicto unius ex partibus, puta in affinitate contracta ex copula illicita, quo delicto patefacto plurima damna, et scandala possint exoriri. Sane superius exposita clausula pro necessitate certiorationis, solum evincit patefaciendam non esse eiusdem nullitatis causam : hac enim non patefacta, et libere, et non ex errore ratificat, qui nullitatis duntaxat, non causae nullitatis certior redditur ; sed hic difficultates et ambages, quam maxime excrescunt. Qua enim arte poterit alteri parti ita detegi Matrimonii nullitas, et ad praestandum novum consensum pertrahi, ut delictum penitus occultetur? Hinc varii a Theologis, et Canonistis obtinendae consensus renovationis modi proponi solent, quos operae pretium est, ut recenseamus, et ad serium examen revocemus.

Primo igitur proponunt, quod ille qui conscius est impedimenti dirimentis, dicat alteri parti se a principio invalide consensum praestitisse, vel se non consensisse, ut par erat, defectu necessariae instructionis, seu advertentiae, proptereaque ex consilio Confessarii oportere, ut ad conscientiae securitatem, invicem consensum uterque renovet, unde ipse iterum consentit libentisssime accipere eam in coniugem, et optat, ut ipsa etiam consentiat de novo habere eum in maritum, et tunc si ea quoque consensum suum praestet, reconvale-

scit Matrimonium. Cum veritate autem, et absque ullo mendacio pars impedimenti conscia dicere potest se a principio invalide consensum praestitisse, vel se non consensisse, ut par erat, defectu necessariae instructionis: consensus enim antea praestitus ob impedimentum dirimens, quod intercedit, nec validus, nec sufficiens est, et perinde habetur ad Matrimonii effectum, ac si praestitus non fuisset. Invalidum quippe aliquid esse, et non esse, iuxta vulgatum iuris principium sunt paria. At quia modus iste graves patitur difficultates, praesertim si mulier rea sit, et ex delicto suo causam dederit impedimento dirimenti, aliunde vero Maritus impedimenti nescius, perspicacis, vividae, et suspiciosae indolis esse cognoscatur; ideo secundum alii proponunt modum, quo pars impedimenti conscia generatim ignoranti indicet prioris consensus nullitatem, et novum consensum exigat, dicendo, v. gr. *Suspicor te non esse meam coniugem aliqua de causa, ideo precor ad conscientiae meae pacem nos denuo pro coniugibus habeamus*. Ita post Card. Caietanum, Martinus Navarrus in Manuali cap. 22. Tertium non pauci modum suppeditant, quod nempe a parte impedimenti ignara novus reportetur consensus sub conditione: puta si eam his vocibus amice compellat: « Ita tibi afficio, ut si non esset inter nos Matrimonium, aut illud ex aliqua causa nullum foret et irritum, nihilominus reciperem te etiam de facto, ita te recipio. Numquid, et tu similiter? » Si respondeat *recipio* (non enim iuxta omnium sententiam sufficeret vox *reciperem*; huiusmodi enim vox actualem consensum de praesenti pro essentia Matrimonii requisitum neutiquam involvit), vel eo affectu se cognoscant,

Matrimonium convalescet, ait Silvius, quia ignarus impedimenti non solum in Matrimonio prius contracto permanere intendit, sed et novum Matrimonium contrahit. Unde huiusmodi consensus, prosequitur Silvius mox laudatus, est quidem cum errore, sed non ex errore. Quartus modus, quem nonnulli proponunt, ut cum viris indolis, et naturae difficilioribus adhibeatur, hic est, ut puta mulier viro suo impedimenti dirimentis ignaro defectum prioris consensus, et contracti matrimonii nullitatem non aperiat, sed dissimulando eum roget, ut pro sua consolatione ipsam habeat coniugem, simulque dicat « Et ego te in virum habere volo. »

Ex quatuor praemissis modis novum praestandi consensum, primus dumtaxat, si ad exsecutionem absque periculo mandari queat, tutus est, et ad matrimonium certe revalidandum omnino idoneus, quia licet certiorem non reddat partem impedimenti dirimentis ignaram de causa nullitatis matrimonii, certiorem tamen reddit de ipsa nullitate, quod sane sufficit, ut supra fuit demonstratum. Reliqui vero modi tres non videntur satis tuti, siquidem nec continent certiorationem formalem nullitatis Matrimonii, nec certiorationem aequipollentem : accipi enim facile possunt ea verba a parte impedimenti ignara, vel tamquam prolata ex praegrandi affectu alterius coniugis, quin nullitatem contracti matrimonii vel a longe suspicetur, vel accipi facile possunt tamquam promanantia ex levi, et oscitanti scrupulo, praesertim si cum muliere res sit. Dum affirmamus huiusmodi modos non esse satis tutos, nolumus quemquam arbitrari eos a nobis prorsus reiici. Cum enim agatur de

gravissimi momenti re, ultro fatemur, in casu necessitatis unum ex iis adhiberi licite posse, et novum etiam excogitari, ac sequi. Reapse quoniam aliquando in his versamur circumstantiis, ut nullus omnino ex praemissis modis queat adhiberi, et aliunde scandali gravis, homicidii, infamiae, divortii, et destitutionis susceptae prolis prudens urgeat timor, hinc nonnulli, quos inter Tiburtius Navarrus part. 20 manual. ad prax. hunc alium suggerunt modum, ut reportata dispensatione ab impedimento dirimente, habeatur copula affectu maritali ex parte illius, qui impedimenti dirimentis est conscius; pars enim altera, quae impedimentum ignorat, cum putet matrimonium esse validum eodem maritali affectu copulam habebit, atque ita novus aliquis consensus ex parte utriusque obtinebitur. Haec opinio (inquit supra laudatus Navarrus) probabilitate non caret, maxime cum in dubiis praeferenda sit sententia animabus favens, et hac de causa confertur Baptismus in extremitate digiti, quando partus periclitans illum extrahit. Nec ullum eidem Navarro negotium facessit superius memorata clausula a S. Poenitentiaria apponi solita « *Muliere, vel viro de nullitate prioris consensus certiorata* » tum quia (inquit ipse) Sancta Sedes in his casibus relaxare, et meliori, quo potest modo providere de remedio censetur, tum quia clausula haec non ponitur ut conditio necessaria, et allegat Sanchez lib. 8 de Matrimonio disp. 34 n. 61, qui revera hac in parte ei favet. Verba Sanchezii haec sunt: « Sed mihi persuadeo meram non esse conditionem, sed instructionem quamdam Confessarii... Ducor autem ad hoc, quia quando ponitur, ut conditio, sicut contigit in facultate Commissarii *Cruciatae*, ponitur multo

strictioribus verbis denotantibus conditionem. . . . Adde saepe frustrandas has dispensationes suo valore, si id esset necessarium, quia saepe contingit, non posse nullitatem detegi absque periculo detegendi delicti, et maxime si impedimentum sit ex parte feminae. Raro accidit posse viro nullitatem detegi absque periculo et suspicione alicuius delicti, et instabit vir, ut sibi causa nullitatis detegatur, et ea non detecta, urgentiorem delicti suspicionem concipiet atque inimicitiae inter coniuges orientur. Deinde quia cum stylus habeat, ut semper in huiusmodi dispensationibus haec clausula apponatur, non est credendum Doctores, quos retuli lib. 2, disput. 39, n. 2 hunc stylum ignorasse, et tamen consulunt in hoc casu impetrari dispensationem occulte, et tacita prioris consensus nullitate, illud denuo contrahi.» Hactenus verba Sanchezii.

Si verum fateri volumus, recte de Navarro, et iis, qui eius opinionem sequuntur, ab erudito Auctore notatum fuit, quod pondere difficultatum oppressi omnem movent lapidem, quo gravibus malis medicantur, imitati hac in parte medicos, quibus solemne est, ut post exhausta scientiae, et artis remedia, illa etiam adhibeant, quibus nec ipsi fidem habent, et quorum ope non tam expellere morbum, quam morbo laborantem solari, et pacare moliuntur. Esto enim clausula illa continens certiorationem nullitatis matrimonii, iuxta stylum Sacrae Poenitentiariae, apponi non soleat tamquam conditio necessaria, sed veluti instructio quaedam Confessarii, quod tamen admitti nullatenus potest, ex dictis a Benedicto XIV, Inst. 87, n. 67-71, semper tamen verum est, quod certioratio haec ex ipsa natura rei requiritur, ut initio huius ter-

tiae quaestionis fuit supra demonstratum. Fatente autem ipsomet Navarro in modo, quem ipse proponit non fit vera, plena, et sufficiens certioratio nullitatis prioris consensus. Perperam proinde ad suae opinionis probabilitatem demonstrandam, etiam ex paritate Baptismatis in extremitate digiti collati, quando partus periclitans illum extrahit, arguit ad casum, de quo agimus; siquidem cum etiam in extremitate digiti, quae humani corporis pars est, vera et propria lotio fiat, aut dubia, aut non omnino improbabilis opinio est, quae urgente morte partum sic baptizari posse contendit. Iungitur etiam quod Baptisma aut conferri, aut repeti sub conditione potest, si partus integer, et vivus prodeat, verum in circumstantiis casus, de quo agimus, nulli conditioni locus est, aut esse potest: denique ex eo etiam capite male arguit Navarrus a paritate baptismatis in casu necessitatis ad casum nostrum: in hoc enim nostro casu non datur extrema illa necessitas, prout in baptismate existit, quo non collato, de aeterna morientis partus salute omnino actum esset. Et sane, quemadmodum a Sylvio probe notatum fuit, contingit non raro, ut impedimentum dirimens eius sit generis, in quo Ecclesia numquam aut perraro dispensat, si v. g. Monialis iam professa virum duxerit religiosi status penitus ignarum. In his circumstantiis nemo non videt, quod omnino separandi sunt putativi isti coniuges, quidquid mali inde evenire possit; neque revera necessitas extrema reapse adest, ita ut aliquo modo sibi mulier nequeat consulere, scilicet se abscondendo, fugiendo in loca remota, et incognita, regrediendo praesertim occulte ad religionem, quam per apostasiam deseruit: sicuti ergo extrema ne-

cessitas locum non habet, quando impedimentum eius est generis, in quo Ecclesia numquam aut rarissime dispensat, ita etiam locum habere non poterit, quando super eo impedimento dirimente, unde oritur matrimonii nullitas, dispensatio fuerit obtenta, quia Ecclesia in eo impedimento dispensare consueverit.

Inter tot, tantasque expositas ambages, quae diversos certiorandi de nullitate matrimonii modos respiciunt, non abs re erit, si pro instructione praesertim Confessariorum, ut conscientiae suae tutius queant prospicere, tres regulas proponamus. Prima regula est, si Confessarius advertat intercedere aliquod impedimentum dirimens, quod ab utroque coniuge ignoratur, ita ut ambo sint in bona fide constituti, non temere debet eisdem matrimonii nullitatem aperire; tum solum aperiet, quando compererit eos in coniugio esse concordes, seque amore sincero complecti; at si male inter eos convenerit, et frequentes intercedant rixae, potius eos in bona fide relinquere debet, quam impedimento non satis caute detecto, gravissimis incommodis, et scandalis ansam praeberet. Cap. 6 de Cons. et affin., et Instructio Card. Caprara 25 Apr. 1803. Haec praxis locum etiam habet, ubi agitur de aliquo iuris naturae impedimento ex. g. de impotentia, nec audiendi sunt qui monitionem in hoc casu praemittendam esse arbitrantur. Secunda regula est, si Confessarius detegat unum ex coniugibus conscium esse impedimenti dirimentis, et in mala fide versari, nec illi suppetat modus aliquis tutus, quo certior reddatur altera pars de nullitate matrimonii, in hoc casu rem totam cum omnibus suis circumstantiis Maiori

Poenitentiario aperiat, qui magnis illis difficultatibus adductis, aut aliquid de severitate remittet, removendo clausulam de certioranda parte, vel facultatem a S. Pontifice postulabit, pro matrimonii sanatione in radice. Si vero S. Apostolica adiri nequeat, et periculum sit in mora, rem Episcopo harum materiarum primario Iudici detegat, eiusque decisionem expectet. Tertia regula est: si forte non possit ad Episcopum recurrere, sequatur saltem consilium, quod hisce in casibus suggerit Anacletus Reiffenstuel ad lib. 4 Decret. in appendice de disp. super impedimentis n. 603. En consilium, quod iisdem Anacleti verbis exhibemus: « Habito tempore, et occasione prudenter, ne advertatur, per Confessarium v. g. vel prudentem aliquem tertium, cui fidem habet coniux nullitatis ignarus, fiat discursus de praestantia matrimonii, eiusque difficultatibus, et crucibus item, et praecipue de gratiis sacramentalibus, quantum videlicet per has coniuges adiuventur, in amore mutuo conserventur, in variis benedicantur, et ad matrimonii onera portanda confortentur, quae gratiae si non essent, matrimonium saepe valde miseros et infelices effectus haberet, prout multiplex experientia demonstrat, et in illis, qui existente inter illos occulto impedimento, nulliter matrimonium contraxerunt, etsi illud ignorantes bona fide contraxerint, quia nullum tunc fuit Sacramentum Matrimonii, et per consequens nullae gratiae sacramentales. Ob quod (pergere potest Confessarius) iam aliquibus consului, vel consultum duco, ut cum plura sint impedimenta occulta, et variae causae, ob quas matrimonium, coniugibus in optima fide existentibus,

et innocentibus potest esse nullum, ut coniuges inter se solos de novo sub conditione contrahant, dicente uno v.g.: Si ex aliqua causa matrimonium nostrum non esset validum, volo tecum ex nunc, et de novo contrahere, altero sincere respondente: Volo pariter et ego tecum contrahere, et te pro nunc, et semper pro meo coniuge habere; tali enim modo saepissime sufficienter consulitur, et efficitur Sacramentum. Post huiusmodi discursum expectet, et videat coniux nullitatis conscius, an non post istum discursum alter nullitatis ignarus, ipsemet incipiat de hac materia iterum discurrere, et discursui conformiter matrimonii novum contractum conditionatum praefato modo appetere, vel saltem occasionem, et ansam praebere, ut conscius nullitatis idem ob auditam rationem consulere valeat; si nullitatis ignarus nil desuper aliud discurrit, ipsemet conscius opportuno tempore, et occasione de hoc incipiat, et ad narrata de se referendo, persuadere studeat, ut pro maiori securitate gratiarum sacramentalium, matrimonium de novo sub conditione secum contrahant, videlicet, quod si etiam ipsorum matrimonium ex aliqua causa esset nullum, ex nunc de novo illud contrahere velint. » Hactenus Anacletus Reiffenstuel.

§ 70.

De sanatione in radice.

Superest nunc, ut breviter disseramus de dispensatione in radice matrimonii, seu de matrimonii sanatione in radice, quae urgentibus gra-

vissimis causis, conceditur, sive in casu *communi* ut scandala ac damna evitentur, si a magna hominum multitudine matrimonia de facto, ac bona fide, nulliter celebrata, reiterato consensu, revalidari facile nequeant, sive in casu *individuo*, ut innocentis partis animae saluti, prolis legitimationi, et familiae tranquillitati, nec non renuentis bono consulatur ac provideatur. Itaque sanatio in radice est legis ecclesiasticae, quae impedimentum induxit, abrogatio ex tunc, seu ex tempore praestiti consensus, una cum irritatione omnium effectuum antea ex lege sequutorum. Dicitur legis ecclesiasticae abrogatio, quia pro huiusmodi sanatione requiritur omnino, ut impedimentum, quo matrimonii nullitas inducta est, non a iure divino, aut naturali, sed a iure canonico dumtaxat proveniat: dicitur ex tunc abrogatio, ut appareat discrimen quod inter sanationem in radice, et ratihabitionem, seu revalidationem coniugii, simplicemque dispensationem intercedit, siquidem vera sanatio, absque ullo novo consensu, ad tempus initi matrimonii directe prorsus revocatur, illudque, sublato obice, validum ab initio natura sua reddit: ratihabitio e contra et reconvalidatio ex nunc operatur, et ad praesens tempus refertur, adeo ut novum consensum semper importet; dispensatio vero effectum habet pro futuro tantum. Dicitur tandem cum irritatione effectus legis, quia sanato impedimento et consensu, effectus habetur ut non productus, sive fictione iuris, sive alia ratione. Ex quo sequitur etiam, quod ad sanationem in radice non requiritur, ut ambo sponsi adhuc vitam agant, siquidem cum agatur de matrimonio primitivo, et de consensu olim actualiter ab initio praestito,

quorum validitas in ipso primo actu a Pontifice declaratur, manifestum fit, utriusque coniugis vitam haud requiri, ut sanatio fiat, et, ipsa sua natura, suos effectus producat.

De potestate Romani Pontificis sanationem in radice impertiendi, quibusdam in casibus, ubi matrimonium cum consensu connubiali initum est, nefas est dubitare, praesertim quod id luculenter plurima documenta demonstrant, et constans ac vetustissima Ecclesiae praxis confirmat. Accedit ratio ex eo deprompta, quod impedimenta iuris ecclesiastici non absolute irritant, sed solum suspendunt consensus naturalis efficaciam, et exceptionem seu conditionem habent adnexam pro eventibus extraordinariis in arbitrio legislatoris positis. Pro exsecutione dispensationis in radice nulla adest praescripta formula specialis. Vide Barbosa caus. 29, n. 29, Rigantium ad reg. 19, et Bened. XIV inst. 87, Clar. Carrière hanc proponit : « Ego potestate apostolica mihi concessa specialiter et expresse, matrimonium a te N... cum N... in consensu adhuc permanente nulliter contractum in radice eius sano et consolido, prolemque legitimam declaro. » Cum fieri possit, ut post sanationem in radice impedimentum detegatur in foro externo, simulque contingere, ut, detecto impedimento, coniuges renuant in connubio manere, cum gravi fidelium scandalo, et filiorum detrimento, provido sane consilio Sacrae Poenitentiariae Tribunal, in concedenda facultate sanandi in radice, hac utitur clausula « descriptis in calce praesentium propriis coniugum nominibus, et cognominibus ac praesens gratia pro quolibet futuro eventu caute ac secreto in Cancellaria asservanda. »

Duo adhuc quaeri solent. Alterum est, an S. Sedes sanationem in radice concedere queat in casu, quo alter impedimenti inscius, divortium ex praesumpto quodam impedimento quaereret, vel ea esset prava intentione, ut si illud novisset, eo uteretur, ut nullum redderet matrimonium? Huic quaestioni affirmative est respondendum ex iis, quae habet Bened. XIV. Brevi ETSI MATRIMONIALIS 29 sept. 1755. Agitur namque de retractatione matrimonii interpretativa, ac coniecturali, quae sanari potest. Alterum est, an S. Pontifex possit sanare matrimonium in radice, quando uterque, vel alteruter, cognito impedimento, sanationem obtrectat, suamque vindicat libertatem? Quaestio haec eo reducitur, ut videatur, an consensus prior viribus destitutus suum robur accipere possit ex S. Pontificis dispensatione tum etiam, cum alteruter, vel uterque ex sponsis positive retractet consensum, et ipsi sanationi expresse obnitatur ac se opponat. Perrone affirmativam tenet sententiam, de Mat. Christ. l. 2, sect. 1 de Potest. Eccl. n. 4. Alii e contra negativam tuentur, cui favere videtur auctoritas S. C. C. Decis. 5 dec. 1865. Quidquid sit de hac quaestione, certum est S. S. sanationem in radice non concedere, si alteruter, vel uterque coniux, conscius de impedimento, expresse contradicat.

Ex dictis patet fundamentum sanationis in radice situm esse in consensu matrimoniali tempore celebrati connubii praestiti. Si itaque uterque, vel alteruter nullum praestitit consensum, sanatio dari nequit, quia sanari nequit radix, quae non exstitit. An in impedimento clandestinitatis, et in matrimonio civili sanatio in radice obtineri quandoque possit, quaesitum fuit, et ex praxi S. Sedis affirmative est respondendum, servatis servandis. Confer de Saint Exupéry op. « Observations sur la fulmination des dispenses de mariage, » Paris 1854, p. 114.

§ 71.

De dispensationis impetratione et exsequutione.

Duplex Romae tribunal est constitutum concedendis dispensationibus, nomine S. Sedis, unum quod dicitur Dataria, alterum quod Poenitentiaria nuncupatur. A Dataria petuntur dispensationes pro foro externo et pro impedimentis publicis, vel quae publica fieri praevidentur; et quandoque etiam pro occultis. A Poenitentiaria pro solo foro interno, et pro impedimentis occultis dispensatio regulariter expeditur. Aliquando vero conceditur pro utroque foro, vel etiam pro foro externo, si agatur de pauperibus, aut si adsint casus urgentes, quibus ordinarius opportunum existimat eamdem adire etiam pro oratoribus non pauperibus. Illa cessat, defuncto Pontifice, ista vero non desinit. In Dataria, nisi dispensatio obtineatur in forma pauperum, ut aiunt, solvenda est taxa pecuniaria, quae aut proprio nomine taxa vocatur pro labore officialium, aut componenda dicitur ad pios usus in poenam incestus, vel ratione causae: nulla vero pro occultis impedimentis in Poenitentiaria solvitur taxa, vel valde exigua, si in foro externo pro miserabilibus personis concedatur dispensatio. Vide Bened. XIV, tum Bulla Pastor bonus, tum Const. Gravissimum Ecclesiae, et instit. 87, Pyrrhum Corrado-Praxis dispensationum, Amydenum tractatus de officio et iurisdictione Datarii, et de Iustis de dispensationibus matrimonialibus. In postulato ad s. Poenitentiariam, tacitis propriis sponsorum nominibus, ficta omnino apponuntur, et solum ad-

ditur nomen ac cognomen verum personae, ad quam rescriptum dirigendum est, nec non nomen loci, in quo ipsa moratur. In postulato ad Datariam, epistola supplex ad Summum Pontificem dirigitur, et nomina, cognomina, aetas, ac dioecesis oratorum vere indicantur. Dispensatio a Poenitentiaria sive a Parocho, sive a Confessario, sive ab ipso oratore peti potest. Securius tamen et facilius, mediante Episcopo postulatur. Dispensatio a Dataria semper per Episcopum, vel additis eius litteris, petenda est. Dispensatio obtenta a Poenitentiaria super impedimento occulto et pro foro conscientiae exsecutioni committitur a confessario in actu confessionis, impletis conditionibus appositis de veritate precum, et de gravi poenitentia salutari. Nulla dispensandi formula praescribitur. Ben. XIV instr. 87, unam pro matrimonio contrahendo, aliam pro contracto proponit. Si dispensatio a S. Poenitentiaria concedatur pro utroque foro ab anno 1852 additur clausula: « Interdicto per tempus exsecutori benevisum, quocumque tractu » qua non solum separatio a toro, et habitatione, sed omnis conversatio familiaris prohibetur. Vide decis. s. Poenitent. 15 iul. 1854. Ex responso s. Poenitentiariae apud Compans: « dispensatio valida est etsi confessio sit nulla, et absque absolutione sacramentali concedi potest, si forte urgens aliqua necessitas id suadeat. » Quoad dispensationem a Dataria expeditam, delegatus debet 1° inquirere de veritate causarum, 2° declarare coram partibus ac testibus tolli impedimentum matrimonii, 3° attestationem dispensationis in registris dioecesis scribere; et 4° mandare Parocho, ut, servatis servandis, nuptiis as-

sistat. Si delegatus dispensationem concedat, non factis debitis perquisitionibus, graviter quidem peccaret, nisi necessitas id expostularet, sed valide, iuxta plures doctores, dispensaret, modo causae expositae verae reapse sint, eo quod Pontifex non praecise informationem, sed rei veritatem sub poena nullitatis praecipere videtur. Alii autem contrariam tenent et innituntur auctoritate Benedicti XIV Const. Ad apostolica. Hic notandum est 1° si exsecutio dispensationis ad ordinarium remittatur, profecto Vicarius generalis, et officialis in matrimonialibus, litteras exsequi poterit, quin indigeat speciali mandato; 2° si ad Episcopum remittatur, nec Vicarius generalis exsequi, nec ipse Episcopus potest dare speciale mandatum, nisi in rescripto ei detur facultas subdelegandi, ut patet ex responso s. Poenitentiariae 5 sept. 1859 ad Episcopum Gandavensem, ubi ad dubium 4 « quando dispensationes ad Episcopum, ordinarium, officialem diriguntur, quaeritur an Episcopus, ordinarius, officialis, respective alium delegare pro singula causa occurrente possint? » responsum est : « Negative, nisi in rescripto reperiatur facultas subdelegandi. »

Cum contingere aliquando possit, ut duo adsint impedimenta, quorum unum publicum sit, alterum occultum, non erit abs re quaedam, praeter ea, quae superius diximus, adhuc hic exponere. Iam vero aut impedimenta sunt disparata, aut coniuncta. Si primum, nullum dubium quin recurrendum sit ad Datariam pro publico, et ad Poenitentiariam pro occulto, nec necessarium est mentionem apud unum tribunal fieri de dispensatione ab altero obtenta. Si alterum, dispensatio publici impedimenti a Data-

ria prius petitur, tacito altero, quod secretum remanere debet. Postquam dispensatio obtenta est, recursus fit ad s. Poenitentiariam, cui tota facti species, et Datariae rescriptum patefieri, et impedimentum utrumque exprimi debet in supplicibus precibus pro nova dispensatione et revalidatione prioris impetranda. Quo facto, dispensatur super utroque impedimento: super publico, quod factum est occultum propter publicam dispensationem, quia in foro fori fuit, licet nulliter, super eo dispensatum: super occulto, ut per se patet.

Quaeritur hic, an valeat dispensatio petita in forma pauperum, si oratores pauperes reapse non sint? Sunt qui negant, tum quia existentia causarum est de valore dispensationis et Pontifex non intendit dispensare ab illa forma, nisi eos qui vere pauperes sunt, tum quia paupertas est fundamentum et causa concessionis. Alii autem affirmant, eo quod paupertatis status continet praeceptum, quo non servato, concessio adhuc valida remanet, et innituntur decreto S. C. C. 9 sept. 1679, quod refert Monacelli formularium legale t. 16, for. 2, n. 33, et S. C. C. in Gram. VV. SS. LL. 18 Apr. 1863, ubi ad dubium « An Apostolica dispensatio in forma pauperum obtenta censenda sit valida in casu? » reposuit « Dilata. » Causa postea haud proposita reperitur. Posteriorem hanc sententiam sequuntur S. Alphonsus op. *Homo Apostol.* tract. 18, n. 87; Scavini *Theol. mor.* t. III, tr. 12, l. 3, c. 5, art. 3; et Scriptores Ephemeridis Analecta, I. P. mart. et apr. 1868, p. 197, addentes paupertatem non esse causam neque finalem, neque impulsivam dispensationis, sed constituere tantum rationem, ob quam dispensatio ipsa conceditur

gratis. Verum in hac sententia, si coniuges se pauperes esse finxerunt, obtenta dispensatione, tenentur solvere iura Datariae Apostolicae, ex resp. S. Poenitentiariae 3 dec. 1852. Pauperes vere ac miserabiles, iuxta instructionem iussu Pii VI editam an. 1788, quam refert Campans n. 297, iuxta declarationem a Rectoribus apostolicae Datariae, an. 1842 datam ex iusta consuetudine, ii reputandi sunt in regionibus transalpinis, quorum fortuna in re mobili sive immobili, vel in emolumentis ex industria, munere, et opificio, valorem circiter 3,000 francorum non excedit; ii vero, quorum fortuna non excedit 10,000 francorum, fere pauperes dici solent. In Italia vere pauperes ii sunt, qui ex labore et industria tantum fructum colligunt, quantum sufficiat ad decentem sustentationem, quin aliquid notabile supersit. Caeterum ad Episcopum spectat iudicium de vera paupertate, inspecta dispositione Urbani VIII, an. 1671 a Romana Curia confecta, et habita praecipue ratione mutationis, quae in fictivo nummorum pretio, temporum decursu supervenit, ex quo fit, ut qui olim pauca possidentes, pauperes non reputabantur, hodie multum habentes, tales merito censeantur.

Duo adhuc notanda sunt. Alterum est, licet causa finalis, seu motiva solum exstet in actu dispensationis, dispensatio ipsa tamen valida est, adeoque exsecutioni committi potest, eaque fulminari, dummodo adhuc, eo tempore, perduret, ut notat Pyrrhus Corradus l. 7, c. 6, n. 25. Caeterum si cessat, antequam exsequutio locum habeat, cum quaelibet dispensatio concedatur hodie in forma commissaria, iam manifestum est, eam non posse

suum sortiri effectum, nisi postquam constiterit de veritate causarum. Alterum est, si post dispensationis exsequutionem, aliqua causae pars deficiat, non autem tota cesset, ipsa dispensatio valida manet, et matrimonium contrahi potest, ut probat Sanchez disp. 30, n. 8. Disputatur an dispensatio permaneat, si forte causa omnino cesset, et multa in utramque partem dicta sunt; at affirmativa videtur verior, eo quod impedimentum semel extinctum non amplius reviviscit, c. 7, ex tua 9 de fil. presbyt. Vide Giovini, op. cit. sect. 2, § 75.

CAPUT IV.

DE PROPRIETATIBUS MATRIMONII

§ 72.

De unitate Matrimonii.

Iam superest, ut de matrimonii proprietatibus atque effectibus dicamus. S. Augustinus tria bona matrimonii ex Scriptura observat, fidem, prolem, et Sacramentum. Fides unitatem matrimonii; proles procreationem filiorum eorumque educationem, et religiosam institutionem; sacramentum indissolubilitatem ipsius matrimonii designat, quae res praecipuae sunt matrimonii proprietates. Quae sint parentum et filiorum officia, quive rectus matrimonii usus, theologis disserendi provinciam libenter damus. Nos de unitate matrimonii eiusque indissolubilitate breviter dicemus.

Cum unitati matrimonii opponatur Polygamia, seu uxorum, vel maritorum pluralitas, facile qua in re matrimonii unitas consistat perspiciemus, si eius contrarium, nempe diversas Polygamiae species, perpendamus. Polygamia igitur vel successiva est, cum nempe mortuo uno coniuge, qui superstes est, ad secundas vel ulteriores transit nuptias; vel est simultanea, cum nempe eodem tempore, aut vir plures uxores, aut mulier plures maritos habet; de utraque seorsim agendum.

§ 73.

De Polygamia successiva.

Polygamiam successivam, seu secundas et ulteriores nuptias, velut illicitas, et per se malas reprobarunt veteres inter haereticos, secundo saeculo, montanistae, quibus se addixit Tertullianus; tertio autem saeculo eas reprobarunt Novatiani. Eumdem errorem alii postmodum amplexi sunt. Petrus de Marca in tractatu de Matrimonio existimavit ratas quidem fuisse apud veteres secundas nuptias publice ac legitime contractas, at negavit eas pro vero Sacramento habitas tunc fuisse. Basilius Macedo, Orientis imperator saeculo Ecclesiae IX, contra, tertias nuptias in quadam sua novella declaravit illicitas, quartas vero plene nullas et irritas. Leo imperator cognomento Sophus, seu sapiens, Basilii filius, et in imperio orientali successor, illud etiam statuit, ut qui tertias nuptias contraherent poenis ecclesiasticis subiicerentur; at ipse imperator Leo, qui hoc statuit, tertia defuncta uxore, quartam duxit, quod non levia peperit dissidia, de quibus videri poterit Cardinalis Baronius ad annum 901. Ex decreto Concilii Toletani XIII, quod habitum est an. 683, can. 5, secundae nuptiae hispaniarum Reginis neutiquam permittebantur.

Verum secundas aut alias quascumque ulteriores nuptias haud invalidas esse, aut illicitas, ipso naturae lumine edocemur; cum enim mors omnia solvat, illud consequitur, quod vinculum omne, quod inter coniuges erat, ob unius mortem, statim

fuerit dissolutum, nec sane matrimonium, eiusque vinculum concipi ullo modo potest, quod subsistat adhuc inter mortuum et viventem ; mutua quippe traditio, et potestas in corpora et obligatio inde nascens ad actus coniugales ob unius mortem penitus resolvuntur, et cessant, cum nec mortuus potestatem sui corporis praebere amplius queat viventi, nec vivens mortuo; recuperat proinde coniux superstes liberam sui corporis potestatem, quod alteri per modum matrimonii tradere poterit. Idipsum egregie confirmatur disertis Apostoli Pauli testimoniis in Epist. ad Rom. VII, 2-3 : « Quae sub viro est mulier, vivente viro, alligata est legi : si autem mortuus fuerit vir eius, liberata est a lege viri, ut non sit adultera si fuerit cum alio viro. » Et in I ad Corinthios cap. VII, vers. 39 : « Mulier alligata est legi, quanto tempore vir eius vivit ; quod si dormierit vir eius, liberata est: cui vult nubat, tantum in Domino. » Hinc Eugenius IV in decreto pro instructione Armenorum, nedum secundas, verum etiam tertias, quartas, et quascumque ulteriores nuptias, ea posthabita disciplina, quam laudati Graecorum imperatores primum invenerant, validas atque licitas declaravit hisce verbis : « Quoniam nonnullos, asseritur, quartas nuptias tamquam condemnatas respuere, ne peccatum, ubi non est, esse putetur, cum secundum Apostolum, mortuo viro, mulier sit ab eius lege soluta, et nubendi, cui vult in Domino, habeat facultatem, nec distinguat mortuo primo, secundo, vel tertio ; declaramus non solum secundas, sed etiam tertias, et quartas, atque ulteriores, si aliquod canonicum impedimentum non obstat, licite contrahi posse, commen-

datiòres tamen dicimus, si alteruter a coniugiis abstinentes in castitate permanserint, quia sicuti viduitati virginitatem, ita nuptiis castam viduitatem laude ac merito praeferendam esse censemus. » Hactenus Eugenius IV.

Quia vero secundae nuptiae considerari possunt, vel in se simpliciter, vel ratione intemperantiae, et incontinentiae, qua praesumuntur a nubentibus contrahi, nemo mirabitur, si nonnulli Ecclesiae Patres paulo durius ac severius aliquando de huiusmodi nuptiis secundis loquuti sunt, et dum ipsi praesumptam secundo nubentium incontinentiam, vehementiori stylo exagitarunt, ipsasmet ulteriores nuptias damnasse visi sunt, unde purgare se, et omnem erroris suspicionem editis Apologiis, a se amovere fuerunt compulsi, quod praesertim s. Hieronymo contigit, qui in epistola ad Geruntiam vel Agerachiam: « Quid igitur, inquit, damnamus secunda matrimonia? minime, sed prima laudamus; abiicimus de Ecclesia bigamos? absit, sed monogamos ad continentiam provocamus. » Narrat eam in rem eodem in loco S. Doctor historiam sane lepidam, vidisse se Romae virum, et mulierem, e vilissima plebe, extremo ut ipsi putabant matrimonio copulatos. Vir enim viginti sepelierat uxores, mulier vero vigesimum secundum maritum habuerat. Nemo etiam mirabitur, si prioribus saeculis severior, praesertim apud Graecos erga eos disciplina fuerit, qui ad secundas, et ulteriores Nuptias convolassent. Hos enim poenitentiae fuisse subiectos ex Neocesariensi, Ancyrano et Laodiceno IV saeculi Conciliis compertum est satis, cumque hisce Conciliis nullum poenitentiae certum tempus fuisset praefixum, illud postea praefi-

xit S. Basilius Magnus, aut potius Ecclesia Graeca, cuius disciplinam is expressit. Videatur canonica eiusdem S. Basilii Epist. ad Amphilochium c. 4. Non aliunde autem petenda est huiusce severitatis ratio, quam ex praesumpta secundo nubentium incontinentia, ut supra indicavimus: quae etiam in causa fuit, ut ipsi secundo nubentes, benedictioni sacerdotali, quin imo eleemosynis Ecclesiae privarentur. Hac autem veteri disciplina motus Petrus de Marca existimavit, ut supra etiam iudicavimus, secundas nuptias ratas quidem et legitimas apud antiquam Ecclesiam fuisse in ratione contractus, veri tamen Sacramenti rationem neutiquam habuisse, quia nempe praesentia Sacerdotis et Ecclesiae benedictione privarentur. Cumque etiam incontinentia maxime dedeceat Ecclesiae ministros, inde irregularitatis ex bigamia promanantis causam aliquam deduci posse non ambigimus. Diximus *causam aliquam*, quia in hodierno iure canonico irregularitas haec repetitur a defectu Sacramenti, quod non hoc quidem sensu est intelligendum, quasi secundae nuptiae, ritu legitimo contractae, non sint verum Sacramentum, sed in eo alio sensu est intelligendum, quod nempe significatio Sacramenti, non tam perfecta in secundis, quam in primis nuptiis eluceat. Cum enim Matrimonium significet coniunctionem Christi cum Ecclesia, quae coniunctio est unius ad unam, nemo non videt, quod non ita perfecte huiusmodi coniunctio per bigamiam exprimatur. Rationem hanc affert Celestinus III in cap. debitum de Bigamis. Stat igitur, quod secundae, et ulteriores Nuptiae nedum sint in se validae, verum etiam licitae, proindeque Innocentius III in cap.

5 de secundis Nuptiis, reprobata sanctione Iuris civilis, merito declaravit: « Viduam non debere legalis infamiae sustinere iacturam, quae licet post viri obitum intra tempus luctus, scilicet unius anni spatium nubat. » Idipsum antea statuerat Urbanus III cap. 4 de secundis Nuptiis: « Per sententiam et auctoritatem Apostoli infamia aboletur, » in ea scilicet muliere, quae intra annum luctus alteri nupserit; non solum autem laudati duo Pontifices Innocentius III et Urbanus III sustulerunt secundo nubentium civiles poenas, quae infamiam irrogant, sed alias etiam, cum et in aliis eadem ratio urgeat tuendae libertatis in contrahendo matrimonio, quam libertatem iuxta rectae rationis dictamina, et superius relata Apostoli testimonia, superstes coniux, altero defuncto, statim assequitur.

Non tamen ab iisdem Pontificibus, aut aliquo alio canonico iure abrogatae fuerunt illae civiles leges, seu poenae, quae contra secundo nubentes inductae comperiuntur, non tam ad vindictam et punitionem, quam ad utilitatem filiorum, qui ex prioribus nuptiis fuerint suscepti: his quippe civilibus legibus seu poenis, quoad civiles effectus, nullum fuisse inflictum vulnus a Iure canonico concordi Doctorum sententia erudimur: videri hac in re poterunt Gonzalez in caput ultimum de secundis Nuptiis, Sanchez de Matrimonio l. 7, disp. 78; Van-Espenius Iuris canonici universalis part. 2, tit. 15. Haec, quae hucusque protulimus ad evidentiam demonstrant secundas et ulteriores Nuptias de iure naturali, divino et ecclesiastico indistinctim validas esse, et licitas non minus respectu viri superstitis, quam mulieris, si vir eius fuerit praedefunctus.

§ 74.

De Polygamia simultanea.

Duo sunt circa Polygamiam simultaneam certa et explorata apud Theologos et sacrorum Canonum Interpretes. Primum est quod nusquam iure naturae licitum fuerit, aut esse possit uni feminae plures simul habere maritos. Ratio aperta est, quia id per se ac directe pugnat contra primarium matrimonii finem, nempe filiorum procreationem, et educationem. Et sane mulieres, quae pluribus copulantur viris, aut nunquam, aut raro concipiunt, ut patet in meretricibus. Proles vero, si forte nascatur ex aliqua muliere, quae pluribus viris sui corporis copiam facit, redditur incerta atque adeo multis in educatione periculis obnoxia est, ruit pacificae vitae inter coniuges consuetudo, tranquillitas et ordo in re familiari; quae scilicet pax et rectus ordo fingi poterit in familia, in qua plures viri, hoc est plura capita sunt? Hinc in veteri Testamento nullam legimus mulierem sanctam plures eodem tempore maritos habuisse. Alterum est quod pluralitas uxorum primario matrimonii fini non plane repugnat, quia nempe unus, et idem vir pluribus filiis ex diversis uxoribus suscipiendis, alendis et educandis par esse potest; an vero repugnet primaevae matrimonii institutioni, prout ea ex divinis Scripturis nobis innotescit, et secundariis, minusque praecipuis matrimonii finibus, illud est, quod serius examen exposcit. Non defuerunt qui negativam tenerent sententiam. Alii putarunt polygamiam nec primaevae matrimonii

institutioni repugnare, nec totaliter tollere secundarium eius finem, bene vero eidem esse generaliter minus consentaneam. Clar. Liebermann haec habet: « Multum saepe difficilius est pacem domesticam servare cum una uxore rixosa, morosa, aut libidinosa, quam cum duabus bene morigeratis. Deinde an non bona liberorum educatio etiam impeditur per polygamiam successivam? Et si ex utroque coniugio liberi nascuntur, quanta, quaeso, discordiarum seges, non inter liberos tantum, sed et eorum ex matre familias? Ergo non illico legi naturae repugnat, quod bono familiarum aut societatis non satis consulit. Alio modo differt malum a bono, alio minus perfectum a perfecto. Quod proprie malum est a culpa eximi nulla ratione potest; at prudens legislator saepe quae minus perfecta sunt, si non approbat, permittit tamen, et ne graviora exinde incommoda nascantur, cautus providet, donec, mutato populi statu ac conditione, meliora ac perfectiora possint in priorem locum substitui. » Qui ita sentiunt, facile explicant, quomodo polygamia licita olim fuit. Sunt vero qui affirmativam sententiam omnino sequuntur, et patriarcharum polygamiam, dispensatione divina peractam esse explicant. Nos itaque asserimus quod pluralitas uxorum simul repugnet primaevae institutioni matrimonii, prout ea nobis ex divinis Scripturis innotescit, eiusque finibus secundariis, et minus praecipuis. Profecto quod repugnet primaevae institutioni matrimonii patet satis ex Gen. II, 24, ubi dictum de proto-parentibus, « Erunt duo in carne una, » duorum status in una carne coniunctio polygamiam excludit. Quod vero repugnet secundariis, minusque prae-

cipuis matrimonii finibus, nemo in dubium revocabit, qui vel obiter perpendat inter matrimonii fines computari animorum intimam coniunctionem, individuam vitae societatem, inter coniuges pacem, tranquillitatem in familia, et rectam filiorum educationem. Haec omnia sperari vix possunt, si uxorum pluralitas admittatur, difficile quippe admodum est, ut omnes suas uxores pari amore vir diligat, quin imo facile contingere solet, ut plus unam quam reliquas diligat, eiusque curam habeat. Ex hac amoris inaequalitate, rixae, contentiones, invidia, zelotypia inter ipsas eiusdem viri uxores oriantur necesse est. Quae prostant in divinis Scripturis exempla in Sara et Agar Abrahami uxoribus, in Lia et Rachele uxoribus Iacobi, id egregie confirmant. Difficile quoque admodum est, ut in alendis, educandisque filiis nulla appareat praeeminentia, nullum discrimen; profecto singulae matres de suis tantum filiis sollicitae erunt, eosque caeteris praeferendos curabunt, atque hinc invidiam patris in filios, dissidia, et odia intestina excitabunt, quae sicuti pacem familiarum conturbant, ita etiam vitam assiduis angustiis et moeroribus vexatam coniugibus relinquunt. Cum igitur pluralitas uxorum primaevae institutioni matrimonii, eiusque finibus secundariis minusque praecipuis repugnet, illud profecto consequitur, quod SS. Patriarchae veteris Testamenti, qui plures simul, et absque ullo peccato habuerunt uxores, Deo revelante, aut dispensante, id fecerint, ac divinam revelationem seu dispensationem agnoscunt, SS. Ecclesiae Patres, nempe Augustinus, Ambrosius, Chrysostomus et Innocentius III, qui cap. GAUDEMUS 8, de divortiis haec habet: « Nec ulli unquam licuit insimul plures

uxores habere, nisi cui fuit divina revelatione concessum (seu dispensatione), per quam sicut Iacob a mendacio, Israëlitae a furto, et Samson ab homicidio, sic et patriarchae et alii viri iusti, qui plures leguntur simul habuisse uxores, ab adulterio excusantur. » Et merito quidem: quod enim a Sanctissimis viris factum, nec unquam reprehensum legimus, divina dispensatione fuisse factum affirmemus necesse est. Non tamen arbitramur, quod singulis Patriarchis plures simul habentibus uxores peculiaris dispensatio fuerit necessaria. Exemplo enim Abrahami, cum quo primum fuit facta, caeteri Patriarchae idem sibi licitum esse autumarunt. Dispensationem huiusmodi non solum spectasse veteris Testamenti Patriarchas, verum etiam Iudaeos omnes, tum ex Deuteronomio c. XXI, v. 15, tum etiam ex eo, quod nullus Prophetarum polygamiam simultaneam tanquam peccatum Iudaeis obiecerit, satis superque convincitur.

An ad ipsos quoque Gentiles pertinuerit haec dispensatio negatum fuit ab Estio. Contra vero Bellarminus, aliique multi sententiam Estii iure merito reprobarunt. Divina enim Scriptura narrat, non solum Abrahamum et Iacob, eorumque posteriores, sed etiam Esau, qui Isaachi quidem filius fuit, sed ad populum Dei nullo modo pertinuit, multas simul habuisse uxores, attamen eam ob causam in reprehensionem venisse nusquam legitur. Illud etiam accedit, quod Esther, quia Virgo, se Assuero Regi Infideli, qui uxorem iam habebat, passa non fuisset matrimonio copulari, nec huiusce matrimonii contrahendi Mardochaeus vir Deum timens ei auctor fuisset, neque in eo tota Iudaeorum Gens exultasset, nisi licitam tum tem-

poris etiam apud Infideles uxorum pluralitatem autumasset. Nec omittendum quod Iacob in Mesopotamiam Gentilium regionem ex Laban Infideli duas eius filias Liam et Rachelem sibi in matrimonio iunxerit, quod perpendens S. Augustinus id licite a Iacobo factum ait, propter eum, qui tunc vigebat, morem inculpabilem. « Quando mos erat (verba sunt eiusdem S. Augustini), peccatum non erat, et nunc propterea crimen est, quia mos non est. » Et re quidem vera, si Romanos exceperimus, qui legibus suis Polygamiam simultaneam constanter reiecerunt, aliae Gentes in ea admittenda videntur quodammodo conspirasse.

Duplex autem fuit dispensandi causa cum Abrahamo, caeterisque, qui post diluvium vixere, ad multiplicationem nempe generis humani, nec non ad aliquorum mysteriorum significationem: ita S. Paulus in ep. ad Galatas cap. 4°: « Per duas Abrahami uxores Saram et Agar mysterium aliquod significatum fuisse » affirmat S. Augustinus disputans contra Faustum, et tractatu secundo in Ioannem, quid per quatuor uxores Iacobi, nempe Liam, Rachelem, Zelpham et Balam fuerit significatum exponit (Vide Bellarminum lib. 1 de Matrim. c. 4). At cum iis, qui ante diluvium vixere, nulla facta est dispensatio, nullus enim Iustorum ante diluvium legitur, quod plures duxerit uxores. Omnium primus Lamech ex stirpe Cain id attentavit, non tamen sine gravi culpa, et reprehensione, ut a S. Ecclesiae Patribus fuit adnotatum : neque ea, quae multiplicatione humani generis deducta superius ratio fuit, ullo modo hic urget. Longaeva siquidem hominum ante diluvium vita multiplici prole suscipiendae parem fuisse, non est dubium.

Atque haec de polygamia simultanea exposuisse sufficiat. Ceterum Christus Dominus in lege nova Matrimonium ad primaevam suam revocans originem, dispensationem veteribus datam penitus revocavit, atque coniunctionem cum pluribus simul uxoribus illicitam fecit, et irritam: etenim, ut legitur apud Matthaeum XIX 4-9, Christus Dominus a Pharisaeis interrogatus, an liceret homini dimittere uxorem suam, sic respondit: « Non legistis, quia qui fecit hominem ab initio, masculum et feminam fecit eos? et dixit: propter hoc dimittet homo patrem et matrem, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una. Itaque iam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet. Dicunt illi, quia ergo Moyses mandavit dare libellum repudii? Ait illis, quoniam Moyses ad duritiem cordis vestri, permisit vobis dimittere uxores vestras; ab initio autem non fuit sic. Dico autem vobis quicumque dimiserit uxorem non ob fornicationem, et aliam duxerit, moechatur. » Ex his autem Christi Domini verbis illud ad rem nostram deducitur, ut adulter sit, qui dimissa uxore sua, cum altera copulatur, multo ergo magis, ut innuit Innocentius in cap. GAUDEMUS 8 de Divortiis, qui sua retenta priori uxore ad alteram accedit, adulter erit. Hinc merito Trid. sess. XXIV cap. 2 definivit: « Si quis dixerit licere Christianis plures simul habere uxores, et hoc nulla lege divina esse prohibitum, anathema sit. »

Hac autem Christi lege tenentur non tantum christiani, sed ea tenentur homines etiam infideles, ita ut illicitum, ac nullum sit, quod apud ipsos contrahitur secundum matrimonium, priori coniuge vivente. Est quippe lex Christi universalis, et

indefinita « quicumque dimiserit uxorem suam, et aliam duxerit, moechatur. » Idipsum expresse declarat Innocentius III in cap. GAUDEMUS 8 de divortiis: propositae enim quaestioni, utrum pagani post conversionem ad fidem, possint retinere omnes uxores, quas duxerant in infidelitate, aut quam ex omnibus queant retinere, respondet « absonum, et iniquum esse Fidei Christianae, quod possent omnes illas uxores retinere. »

Profecto si validum post hanc Christi legem foret matrimonium cum pluribus simul uxoribus apud infideles, validum etiam remaneret post eorum conversionem, et Baptismum in eis saltem, qui pacifice cohabitare secum invicem consentirent, cum per Sacramenta, ut ait laudatus Pontifex, non solvantur coniugia, sed crimina dimittantur. Quare pagani, aliique ea dumtaxat conditione in Ecclesiae sinum recipiuntur, ut unicam retineant uxorem, cum qua primum coniuncti sunt, caeteris aliis dimissis, quae subinde in consortium maritalis tori fuissent adscitae. Vide Cathechismum Rom. de Matrim. p. 2, c. 18, n. 10.

§ 75.

De Indissolubilitate Matrimonii.

Hactenus de unitate matrimonii, nunc ad alteram eius proprietatem, quae in firmitate seu indissolubilitate vinculi coniugalis consistit, descendamus. Huiusmodi firmitatem, seu indissolubilitatem natura et finis contractus coniugalis videtur expostulare. Natura quidem matrimonium est animi corporumque coniunctio ad individuam vitae

societatem. At perit illa societas individua, si natura sua matrimonium dirimi posset, tepescit, imo pene extinguitur amor, seu animorum coniunctio, si uni liberum sit ab altero discedere; contra vero necessitas unionis firmius animos devincit et ligat. Quod vero matrimonii finem spectat, is praesertim est in recta prolis educatione, quae sane vinculum inter coniuges firmum ac perpetuum exposcit. Quomodo enim certus erit prolis pater, si v. g. mulier saepius ad libitum repudiata, pluribus aliis coniungatur? Quis prolem antea susceptam nutriet et educabit? Quis porro futurus esset discordiarum finis non tantum in familiis, sed in republica universa, si dissoluto coniugii foedere et mulier sine viro, et proles sine certo patre et debita educatione destituta relinqueretur? Hisce gravissimis incommodis, ut opportune consuleretur, asserendum videtur, quod ipsa naturae lege ita coniugii nexus fuerit firmatus, ut nulla privata auctoritate queat disrumpi. Vide de Bonald op. Du divorce au dixneuvième siècle. Hanc sane naturae legem diu servaverunt Romani, siquidem narrante Tertulliano c. 5 Apologetici, per 600 fere annos nullum apud ipsos soluti matrimonii prostat exemplum. « Ubi est, ait idem Tertullianus, felicitas illa matrimoniorum de moribus utique prosperata, qua per annos 600 ab urbe condita nullum repudium domus sensit? » Primus omnium uxorem suam repudiasse legitur Spurius Calvinus sterilitatis causa, inquit Valerius Maximus l. 2, c. 1, «qui, pergit historicus, quamquam tolerabili causa motus videbatur, reprehensione tamen non caruit, quia nec cupiditatem quidem liberorum coniugali fidei anteponi debuisse

arbitrabatur. » At tanta postmodum fuit apud romanos ipsos morum depravatio, ut ne dum levissimis ex causis, sed ex spontaneo utriusque coniugis consensu, seu bona gratia, ut ipsi dicebant, matrimonia dirimerentur, unde Tertullianus l. c. sic pergit: « Nunc vero repudium, et votum est et quasi matrimonii fructus.» Vide de Roskovány de Matrim. in Eccl. Catholica, Aug. Vindel. 1840, apud quem pertractatam reperies quaestionem, an facultas data a Moyse dimittendi uxorem per libellum repudii, ex mera tolerantia, an potius ex positiva permissione repetenda est. Auctor hic in opere de indis. Matrim. eam tuetur sententiam, quae statuit indissolubilitatem matrimonii a stricto naturae iure non profluere.

Suam etiam firmitatem et indissolubilitatem repetit matrimonium ex primaeva institutione, de qua Gen. II. Etenim legimus, quod Adam, expergefactus a sopore illo, in quo Deus eductam e latere eius costam, aedificaverat in mulierem, exclamavit his verbis v. 25: « Hoc nunc os ex ossibus meis et caro de carne mea, quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una » seu ut observat Chrysostomus hom. 63 in Matth. iuxta vim verbi graeci *adglutinabitur* uxori suae, quod certe verbum unionem indissolubilem exprimit amplius; quae enim glutine cohaerent, ea potius frangas, quam solvas. Hanc etiam peculiarem firmitatem, seu indissolubilitatem matrimonio competere ex primaeva eius institutione declaravit Christus Dominus apud S. Matth. c. XIX, 6: « Itaque iam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus coniungit, homo non separet. » Et paucis

interiectis prosequitur: « Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras; ab initio autem non fuit sic. » Conc. Trid. sess. XXIV ait: « Matrimonii perpetuum indissolubilemque nexum primus humani generi Parens divini spiritus instinctu, pronuntiavit, cum dixit: hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea; quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una. Hoc autem vinculo duos tantummodo copulari, et coniungi, Christus Dominus apertius docuit, cum postrema illa verba, tamquam a Deo prolata referens, dixit: Itaque iam non sunt duo, sed una caro; statimque eiusdem nexus firmitatem, ab Adamo tanto ante pronunciatam, his verbis confirmavit: Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet. »

Ex iure pariter positivo novi testamenti, seu ex lege Christi Domini suam peculiarem firmitatem seu indissolubilitatem repetit matrimonium, quod sane manifestum est nedum ex ipsius Christi verbis Matth. XIX, verum etiam ex Marco X, 2-12, ex Luca XVI, 18, et ex Paulo tum ad Rom. VII, 2, tum ad Corinth. VII, 10 ubi inquit: « Iis qui matrimonio iuncti sunt, praecipio non ego, sed Dominus uxorem a viro non discedere; quod si discesserit manere innuptam, aut viro suo reconciliari. » Hanc Christi Domini legem agnoscit loco superius citato Conc. Trid., dum dixit eius nexus firmitatem tanto ante ab Adamo pronunciatam, Christum istis verbis confirmasse, quod ergo Deus coniunxit, homo non separet. Mitto alia SS. testimonia.

Si igitur ex primaeva sua institutione firmum est, atque indissolubile matrimonium; si Christus,

sublato libello repudii, matrimonium ad eamdem primaevam suam institutionem lege sua revocavit, patet utique quod ex hac Christi lege quaedam repudia apud infideles fuerint prorsus sublata, meritoque Innoc. III in dicto cap. GAUDEMUS 8 de div. declaravit, « quod infidelis, qui secundum ritum suum legitimam repudiavit uxorem, aliam etiam ad fidem conversus habere non possit, nisi post conversionem, illa renuat habitare cum ipso, aut etiam si consentiat, non tamen absque contumelia creatoris, vel ut eam pertrahat ad mortale peccatum » quae declaratio Pontificis ex eadem ratione ad eum quoque casum se extendit, quo infidelis, repudiata sua legitima uxore, cum secunda contraxerit; suscepto enim baptismate dimittit secundam, et adhaerebit primae repudiatae, etiamsi haec cum alio contraxisset. Vide L. Hug de Coniugii Matr. vinculo indissolubili, Friburgi 1816.

Denique quamdam etiam specialem firmitatem, seu indissolubilitatem acquirit matrimonium ex ratione sacramenti, de quo consuli poterunt Theologi. At hic mirabitur fortasse aliquis, si matrimonium non minus ex primaeva sua institutione, ac Christi lege, quam ex Sacramenti dignitate vinculum parit indissolubile, cur nam Christiani Imperatores, propagato iam per totum Imperium evangelio, plures evulgarunt leges, quibus dissolutio matrimonii pluribus in casibus permittebatur, ut videre est tum in titulis de repudiis et divortiis, qui perstant in codice et in ff., tum etiam in Novellis? At cessabit admiratio, si duplex, quae ipsis Imperatoribus favet excusationis ratio, perpendatur. Prior est, quod divortia, seu repudia, quibus matrimonii vinculum dissolveretur, non

probarunt, quasi licita forent et valida, sed veluti minus mala, quo graviora damna praecaverentur, permiserunt. Divortiorum enim, seu repudiorum abusus altas egerat radices, et idcirco potuit quidem refraenari, prout ab iisdem Imperatoribus revera factum est; non tamen potuit statim submoveri. Altera est, quod indissolubilitas matrimonii non ita stricte in primitiva Ecclesia intellecta fuerit, quin liceret ex legitima causa apud Episcopos Provinciales probata libellum repudii dari. Legatur hac de re Sanchez de Matr. l. 10, disp. 1, n. 12. Ac sane, ut caeterae omittantur quaestiones, quae circa matrimonii vinculum fuerunt agitatae, diu inter christianos dubitatum fuit, an per adulterium idem matrimonii vinculum dissolveretur. Dubitationi locum dedit v. 9, cap. XIX Matthaei, quam tamen dubitationem sustulit Conc. Tridentini sess. XXXIV, can. 7 de sacr. Matr., ubi ex causa adulterii matrimonii christiani vinculum neutiquam dissolvi definivit hisce verbis: « Si quis dixerit Ecclesiam errare, cum docuit et docet iuxta evangelicam et apostolicam doctrinam, propter adulterium coniugum, matrimonii vinculum non posse dissolvi, ut utrumque vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse, altero coniuge vivente, aliud matrimonium contrahere, moecharique eum, qui, dimissa adultera, aliam duxerit, et eam quae, dimisso adultero, alteri nupserit, anathema sit. » Ubi probe notandum est Concilium Tridentinum non definire, tamquam fide catholica tenendum, quod matrimonium, propter adulterium dissolvi nequeat, praesertim quod noluit anathemate ferire graecos contrarium sentientes, sed decernere Ecclesiam non errare dum docet

matrimonii vinculum propter adulterium, haud dissolvi posse. Unde fidei catholicae dogma est, illud nempe Ecclesiam non errare, quum docet iuxta evangelicam et apostolicam doctrinam, propter adulterium alterutrius coniugum, matrimonii vinculum non posse dissolvi. De dissolutione vinculi matrimonii propter haeresim, aut molestam habitationem, aut affectatam absentiam a coniuge, ita Concilium Tridentinum cit. loc. can. 5, loquutum est, ut fidei catholicae dogma sit propter has rationes matrimonii vinculum dissolvi non posse.

Falsum autem omnino est, quod in suo tractatu de regia in matrimonium potestate scripsit Launoius, se nempe legisse saepius permissum a christianis Imperatoribus repudium, non tamen ab Episcopis reprehensas aut improbatas eorum leges. Huiusmodi quippe Imperatorum leges nedum a S. Ambrosio, Augustino, Hieronymo, Gregorio Nazianzeno, Chrysostomo, verum etiam a SS. Pontificibus Innoc. I, Greg. M., Nicolao I, disertis verbis, reprobatae noscuntur, prout a Theologis statim fuit observatum. Vide Martorelli « Errori recenti sul divorzio » Romae 1792; Rosckovány l. cit. et Perrone de Matr. christ., t. I, p. 197.

Quae tamen de firmitate, seu indissolubilitate matrimonii huc usque tradidimus, ex praedictis titulis resultante, non ita intelligenda sunt, quasi nullum matrimonium in nullo prorsus casu dissolutionem potuerit aut possit admittere. Quidquid enim sit de matrimonio, quod iudaei in veteri lege contrahebant, an, per libellum repudii scilicet, revera dissolveretur quoad vinculum, qua in re discrepantes proferuntur sententiae, et hinc inde validissimis rationibus disputatur, ut videre praeser-

tim est apud Honoratum Tournely de Sacr. Matr.; quidquid etiam sit de matrimoniis apud infideles ante evangelicam legem contractis, de quibus etiam disputatur, an gravi saltem urgenti causa potuerint, quoad vinculum dissolvi, de qua re consuli poterit Sanchez de Matr. l. 2, profecto quod matrimonia, quae post legem evangelicam contracta fuerunt, aut contrahentur in posterum, si excipiamus matrimonium consummatum inter fideles, quod nulla ex causa dissolvi quoad vinculum potest, prout Conc. Trid. sess. XXIV, can. 5 et 7 definivit, et docuit Pius VI litt. 30 Dec. 1786 ad Ducem Wurtemberg. datis, matrimonia sive rata sive consummata inter infideles, nec non matrimonia simpliciter rata inter fideles dissolutionem, certis in casibus, possunt admittere.

§ 76.

De dissolutione matrimonii rati et consummati inter infideles.

Matrimonium quidem sive ratum sive consummatum inter infideles dissolvi potest per conversionem unius ad fidem. Hic enim, qui convertitur, relicto coniuge infideli, poterit novo matrimonio cum fideli copulari, si coniux, qui in infidelitate remansit, renuat cohabitare cum converso, aut si consentiat, non tamen cohabitare velit absque iniuria Creatoris, quae quidem iniuria duplex esse potest, directa nempe nomen et fidem Christi despiciendo, eiusque laudes et domesticorum conversionem prohibendo, indirecta inducendo coniugem fidelem ad mortale peccatum. Vide Inn. III

cap. QUANTO de div., ex quo illud evidenter eruitur, quod ad dissolutionem recensiti matrimonii satis est, ut unum alterumve ex his singillatim occurrat.

Dissolutio autem huiusmodi matrimonii in hisce circumstantiis conceditur ex singulari ac prorsus unico privilegio a Christo Iesu in favorem fidei et christanae religionis, quem innuit S. Paulus I ad Cor. c. VII, 15, alioquin enim ille qui conversus est, cogeretur absque sua culpa servare continentiam, et multi qui continere non possunt, a complectenda fide retraherentur. Neque huic dissolutioni quidquam obstant verba alias laudata Christi Domini « quod Deus coniunxit homo non separet. » Siquidem dissolutio haec non humana, sed divina auctoritate conceditur et quidem locum ea habet, postquam pars infidelis factae interpellationi formali, an christianam religionem amplecti, aut cohabitare saltem velit cum fideli sine contumelia Creatoris, negative responderit. Haec interpellatio ita est necessaria, ut si, absque superioris ecclesiastici permissu, nulla intercedente legitima causa, omittatur, nullo prorsus pacto prius matrimonium dissolvatur, adeo ut infidelis conversus liber omnino non sit ad uxorem aliam ducendam. Vide responsum S. C. de Propaganda 5 Aug. 1806, et 5 Mart. 1816. Plures porro sunt causae, quae impediunt, quominus interpellatio locum habeat. Non raro namque contingit, ut coniux moneri nequeat, vel quia interdum ad hostiles et barbaras provincias, ubi degit, ne nuntiis quidem accessus pateat, vel quia ignoratur in quas regiones fuerit transvectus, vel quia ipsa itineris longitudo, maximam difficultatem praeseferat, vel quia periculum

adsit, ne facta interpellatione, persecutio contra christianos oriatur, aliave causa urgens existat, qua interpellatio difficilis evadat. In hisce rerum adiunctis, fit recursus ad Sedem Apostolicam, nec Sedes Apostolica difficilem se praebet ad eam petentibus dispensationem, quam urgens causa suadet, concedendam, adeoque ab interpellatione facienda eximere infidelem ad fidem conversum consuescit, eique permittit, sive ut liberas nuptias cum alia fideli, etiam diversi ritus contrahat, sive ut ex pluribus, quas habuerat, mulieribus, eam retineat, quae fidem amplectetur, renovato tamen, debita forma consensu, eo quia prior ille mutuus consensus, in infidelitate praestitus, nullus et irritus fuit ob nuptias, iam constantes cum ea muliere, quam sibi primum desponsaverat. Vide Const. Pii V Romani Pontificis 2 aug. 1571, et Gregorii XIII Populis et nationibus 25 ian. 1585. Noverint missionarii, quibus concessa est facultas dispensandi ab interpellatione, ea non uti, nisi legitimis citatis causis, et ad normam citat. Constitutionum; advertant pariter non sufficere, ut de difficultate monitionis persuasi prorsus sint, sed necessarium esse, ut faciant processum summarium et extraiudicialem, quo pro omni futuro tempore appareat, interpellationem impossibilem, vel difficilem, vel inutilem fuisse. In quo tamen Summi Pontifices vinculum matrimonii in infidelitate contracti dissolvere in animo non habent, sicut egregie animadvertit Pontius de Matrim. lib. 7, cap. 48, n. 22 « Dispensavit certe (S. Pius V) ac supplevit monitionem de iure praescriptam, similem etiam dispensationem concessit Gregorius XIII. » Dispensavit pariter Bened. XIV Const. In

Suprema 16 ian. 1745, et dispensant eius successores, quin tamen dissolvant, quod probe notandum est, matrimonium consummatum infidelium. Interpellationis namque remissio est vere iuris divini, seu privilegii declaratio, qua manifestatur in quibusdam circumstantiis, obligationem desinere iuris divini. Nec vero ex dispensatione hac colligitur dissolvere Pontificem matrimonium consummatum infidelium. Etenim quum Pontifex possit ius divinum interpretari, cumque ex divino privilegio dissolvatur matrimonium in favorem fidei, cum infidelis non vult cohabitare cum fideli, profecto patet declarare Pontificem posse eum casum existere, in quibusdam rerum adiunctis, in quo quis conversus ad fidem, non requisito nec expectato infidelis consensu, queat uti divina concessione, et ad secundas nuptias libere transire, quae quidem, etiamsi postea innotuerit, coniugem infidelem suam voluntatem iuste impeditum declarare non potuisse, et ad fidem, etiam tempore contracti secundi matrimonii conversum fuisse, rescindi numquam debent, sed validae et firmae sunt. Conf. Ben. XIV de Syn. Dioec. l. 13, c. 21, et Const. Apostolici ministerii, 7 kal. octob. 1747. Quae cum ita sint, nonnulla hic notanda sunt. 1.est: Si infidelis, processu temporis, deficiat promissis, et voluntate immutata, non solum non convertatur, sed tentet fidelem, aut discedat ob aliquas rationes, et ad alias transeat nuptias, nullum dubium, quin pars derelicta fidelis et ipsa aliud matrimonium inire possit, dummodo coniugi nullum iustum ac rationabilem discedendi motivum, ex. g. per adulterium, dederit. S. O. Dec. 1 Aug. 1759, et 20 Sept. 1848. 2° est, fidelis licet adulterium

ante conversionem perpetraverit, iure potest ad alias convolare nuptias, si praemissa interpellatione, infidelis, dato repudio, cum ea cohabitare recuset; siquidem adulterii macula per conversionem et baptismum sublata est, et infidelis iniuste et irrationabiliter in suscepto consilio eam repudiandi perseverat. S. C. de Propaganda Fide 17 Ian. 1797 et 30 Ian. 1807. 3° est, si fidelis, praevia dispensatione, matrimonium cum infideli contraxit, et infidelis deinde vel cum eo pacifice cohabitare renuat, vel in perpetuum etiam se separet, et cum alio nuptias contrahat, certum est fidelem privilegio divino non frui, eo quod non exstat verus casus Apostoli, adeoque usque dum coniux infidelis superstes est, ad alias nuptias transire nequit. Vide S. O. 1 Apr. 1757 ad 4, et an. 1854 ad 2.

Quaeritur 1. a Theologis iurisque canonici consultis, quo praecise tempore, matrimonium in infidelitate contractum, per alterius conversionem dissolvatur? Communissima et in praxi recepta sententia est, connubium tum solvi cum fidelis, postquam novit partem infidelem ne velle quidem secum amplius pacifice cohabitare, aut postquam dispensationem ab interpellatione facienda obtinuit, ad alias nuptias cum effectu transiit. Vide Ben. XIV Constit. Postremo, et S. O. decr. 1 Aug. 1759 ad 5. 2° Quaeritur quandonam infidelis, qui nec converti, nec cum converso sine creatoris iniuria habitare vult, cum alio infideli matrimonium valide ac licite inire valeat? Licet Benedictus XIV Const. Postremo, et alia Apostolici quaestionem dirimere noluerit, tamen communis est sententia infidelem, post initas partis conversae nuptias, posse valide ac forte etiam licite cum infideli novum matrimonium contrahere. Nam licet privilegium casus Apostoli per se datum sit fideli in favorem fidei, per accidens tamen datum est infideli, si fidelis novum matrimonium contraxit. 3° Quaeritur, an infidelis, qui parte conversa adhuc innupta remanente, novum matrimonium inivit, possit, si convertatur ad fidem cum uxore, remanere cum hac coniuge, con-

sentiente parte antea conversa, vel accedente S. Pontificis dispensatione? Certum est non sufficere partis consensum; an vero per dispensationem apostolicam fieri id possit, disputatum est, et post ea quae a S. C. C. in causa Flor. 27 Iulii 1726, et 29 Martii 1827 et a S. O. 8 Iunii 1836 exposita sunt ac pertractata, negative respondendum esse arbitramur, praesertim quod agitur de matrimonio consummato, super quo nullum adest dispensationis exemplum. 4° Quaeritur, an solvatur matrimonium in infidelitate contractum per ordinum susceptionem, aut professionem solemnem conversi? Agitur hic de matrimonio consummato; nam de rato matrimonio nullus est dubitationi locus. Consummatum vero non dissolvi, quidquid contra dicant Tournely, Collet, aliique, recepta est hodie opinio ex cit. Flor. 29 Martii 1727. Undè pars in infidelitate remanens aliud matrimonium nequit inire, et si convertatur ad fidem, nil aliud remanet, quam ut dispensationem obtineat. 5° Quaeritur, an conversus qui novum non inivit matrimonium, nec professionem emisit, aut ordines sacros suscepit, teneatur ex iustitia ad compartem redire, si et ipsa convertatur? In cap. 8 de divortiis haec habentur: « Quod si conversum ad fidem et ipsa conversa sequatur, antequam propter causas praedictas legitimam ille ducat uxorem, eam accipere compelletur.» Excipe tum casum, quo primo conversus emisit professionem religiosam vel suscepit SS. Ordines, tum casum, quo secundo conversus post suam conversionem dedit causam obtinendi separationem. 6° Quaeritur, an Pontifex dissolvere, sua dispensatione, possit matrimonium ratum inter infideles, vel etiam matrimonium consummatum inter ipsos, si post susceptum a coniuge baptismum nulla carnalis copula intercessit? Certa hic ab incertis sunt secernenda. Certum est pontificia dispensatione dissolvi non posse matrimonium ratum infidelium, si ipsi in infidelitate permaneant. Potestas enim Pontificis ad eos tantum se extendit, qui per baptismum aliquando ingressi sunt Ecclesiam; certum pariter est matrimonium ratum infidelium, si ad fidem convertantur ex contraria ratione, apostolica dispensatione dissolvi, quia per baptisma, quod receperunt, iam subiiciuntur secundum se et secundum matrimonium suum potestati et iurisdictioni Pontificis. Quare tota controversia spectat matrimonium, quod fuerit quidem consummatum ante baptisma ab utroque susceptum, quin ulla carnali copula post baptismum se cognoverint. Etenim hoc casu dispensationi Pontificis locum esse non pauci affir-

mant ea ratione, quia cum Pontifex dissolvere possit matrimonium ratum fidelium, multo magis dissolvere poterit matrimonium consummatum infidelium, qui ad fidem fuerint conversi, si nova carnalis copula post baptismum se non cognoverint. Firmitas siquidem matrimonii rati inter fideles, inquiunt huius sententiae auctores, maior est, quam matrimonii consummati infidelium; hoc dissolvitur iuxta ea quae dicta sunt, si unus ad fidem convertatur, altero in infidelitate manente, ergo multo magis per dispensationem dissolvi poterit matrimonium consummatum, si nulla post baptismum carnalis copula accesserit. Negativam vero sententiam tuentur alii, tum quia vinculi dissolutio fieri non potest, nisi in casu expresso I Cor. VII, tum quia suscepto baptismo, matrimonium eorum iam ratum est, et consummatum, ac proinde indissolubilem coniunctionem Christi cum Ecclesia iam repraesentat, atque idcirco nulla amplius potestate dissolvi potest. Bened. XIV de Syn. Dioec. l. 6, c. 4, n. 5 narrat quaestionem S. C. C. propositam, sed non decisam fuisse.

§ 77.

De dissolutione matrimonii rati inter fideles.

Rata fidelium matrimonia per religiosam professionem, aut per legitimam Romani Pontificis dispensationem dissolvuntur. De religiosa professione res constat ex cap. Virum 2, et cap. Ex parte 14 de Convers. coniug., et definita est a Conc. Trid. sess. XXIV de Matrim. can. 6: « Si quis dixerit matrimonium ratum non consummatum per solemnem religionis professionem alterius coniugis non dirimi, anathema sit. » Hac in re afferri ratio solet, quia est quaedam civilis et spiritualis mors, iuxta illud Pauli ad Coloss. III, 3: « Mortui estis; » et quemadmodum matrimonium etiam consummatum naturali morte dissolvitur, ita vinculum matrimonii rati morte civili, seu spirituali, par est,

ut dissolvatur. Nomine professionis religiosae comprehenditur quaelibet valida professio trium votorum solemnium. Conceditur porro duorum mensium spatium, quo et sponsi matrimonium consummare non obligantur, et debitum alteri petenti denegare possunt, quod arbitrio iudicis vel restringi vel prorogari potest ex cap. 7 de Cons. coni. et ex causa S. C. C. Neapol. Mat. 31 mart. et 18 maii 1770, 28 sept. 1779, et 17 sept. 1772, ex quibus illud etiam satis arguitur, quod bimestre « a die praefixionis termini a iudice factae » numerandum est. Quia vero non ingressus in religionem, sed ipsa professio religiosa dirimit matrimonium ratum, aliunde vero professionem validam novitiatus integer annus ex praescripto Conc. Trid. praecedere debet, nemo est qui non videat, duos menses a iure concedi ad ingressum in religionem, non ad professionem; liberum proinde non erit alteri coniugi ad alias nuptias convolare, nisi post solemnem alterius professionem. Nemo pariter est qui non videat, alterum coniugem ius non habere exigendi coniugale debitum, nisi post duos menses ad deliberandum concessos, adeoque illum graviter peccare, si per vim copulam extorqueat.

Quoniam vero copulae per vim extortae iniecta est mentio, opportune hic quaeritur, an huiusmodi copula, vi extorta intra bimestre, verum consumetur matrimonium, ita ut non amplius dici possit simpliciter ratum, nec proinde locus sit, aut religiosae professioni, aut pontificiae dispensationi? Putarunt nonnulli copulam vi extortam non consummare matrimonium, et idcirco, professione solemni sequuta, vel obtenta dispensatione, dirimi matrimonii vinculum crediderunt, eo suf-

fulti unico argumento, quod matrimonium consummatum repraesentat unionem Christi cum Ecclesia per incarnationem, atque inde omnimodam indissolubilitatem sortiatur. Per eam igitur solam copulam, inquiunt ipsi, revera et ad praedictos effectus matrimonium debet consummari, quae hanc unionem queat repraesentare; sola vero copula voluntaria ad hanc ipsam unionem repraesentandam est idonea, cum unio Christi voluntaria prorsus fuerit, non coacta, aut per vim extorta. Ab hac sententia tamen recedendum arbitramur. Etenim per copulam vi extortam coniuges efficiuntur una caro, ut constat ex cap. *Discretionem de eo qui consanguineam*, ubi definitur ex huiusmodi copula affinitatem oriri; nullo sane modo id contingeret, nisi una caro efficeretur, ut constat ex iis, quae de affinitate diximus. Iungitur etiam, quod matrimonium favorabile sit, cap. *Fin. de sent. et re iud.*, atque idcirco constitutio quaelibet, quae in ipsius dissolutionem tendat, tamquam odiosa non debet extendi, sed potius restringi, ut intelligatur de matrimonio, quod nullo modo sive sponte, sive per vim fuerit consummatum. Quin obstet, quod pro contraria sententia deductum est argumentum. Copula enim per vim extorta repraesentat unionem Christi cum Ecclesia quoad substantiam, siquidem per eam fiunt coniuges una caro, sicut Christus per carnem est Ecclesiae unitus, licet non repraesentet unionem Christi quoad modum cum Ecclesia: unio quippe Christi spontanea fuit, illa autem, de qua agimus, violenta. Hac autem retenta sententia, de eo insuper disputatur, an uxor, quae per vim cognita est, inter bimestre tempus ad deliberandum concessum,

nihilo tamen minus possit ingredi in religionem, atque in ea solemniter profiteri, invito coniuge, qui vim intulit, unde hic ob vinculum, quod per ipsam copulam factum est indissolubile, debeat absque spe ulla coniugii usque ad uxoris obitum permanere? Verosimilior autem ea videtur sententia, quae affirmat, posse religionem ingredi et in ea solemniter profiteri, altero coniuge invito; validissimae profecto rationes eidem sententiae assistunt; 1° quia sponsus, extorquendo copulam intra bimestre, gravem sponsae iniuriam intulit, quippe quae adhuc debitum eidem negare poterat; ex hoc igitur sua culpa commodum sentire non debet sponsus; sentiret autem, si sponsa ab ipso per vim cognita, non posset, eo invito, religionem ingredi; 2° quia nemo per iniuriam alterius suo iure debet privari; privaretur sane iure suo sponsa, quae per vim a sponso cognita est, si hic impedire illam posset, quominus religionem ingrederetur, et solemnem in ea professionem emitteret; 3° quia denique propter adulterium vel lapsum in haeresim, ut mox videbimus, potest uxor virum deserere et religionem ingredi; igitur propter etiam violentiam ei illatam in extorquenda copula poterit; non enim haec minus videtur esse contra ius matrimonii, quam sit lapsus in haeresim, vel adulterium.

Ex his, quae diximus, illud facile infertur, quod si sponsa per vim cognita a sponso fuerit post bimestre, vel aliud tempus concessum a iudice, non possit, sponso invito, religionem ingredi, atque in ea solemniter profiteri. Hoc siquidem in casu, sponsus usus est iure suo, et nullam sponsae iniuriam intulit. Unde autem vis illa religiosae professioni

accesserit, non una est Doctorum sententia. Alii a naturali iure derivant, vi cuius licere putant a statu minus perfecto ad perfectiorem transire; alii a iure positivo divino per traditionem ad nos delato; alii demum ex iure ecclesiastico, quatenus per hoc ius cuivis Christianorum matrimonio haec tacita conditio inest, « nisi ante matrimonii consummationem malim religiosum statum amplecti. » Quanquam vero per religiosam professionem in Ordine approbato solemniter emissam matrimonium ratum et nondum consummatum dirimatur, illud tamen per sacrorum Ordinum susceptionem non dissolvitur, cap. ANTIQUAE De voto et vot. redempt. inter Extravag. Ioannis XXII.

Quod autem dispensationem Pontificis spectat, per eam quoque matrimonium ratum dissolvi posse, constans plurium saeculorum praxis, quam sane oportet apud catholicos omnes summi momenti esse, satis superque testatur. Consule Thesaur. S. C. C., et praesertim Chien. 21 martii 1729; Milevitan. 7 febr. 1789; Borchia 20 dec. 1806, et 23 ian. 1808, et Ianuen. 9 sept. 1815, et Zamboni op. cit. v. Dispensatio. Constat quin imo S. P. matrimonium ratum, ad instantiam unius coniugis, altero non consentiente, aut penitus invito, dissolvisse, ut testatur Ben. XIV, quaest. can. 108.

§ 78.

De separatione tori et cohabitationis.

Satis hactenus egimus de dissolutione matrimonii quoad vinculum. Nunc de eiusdem dissolutione quoad torum et cohabitationem, seu de divor-

tiis agemus necesse est. Divortium a repudio distat, ut species a genere : latius proinde patet repudium, quod etiam sponsus sponsae dare consueverit; leg. 101, et 191 ff. de verb. et rer. signif. Saepe tamen divortium et repudium veluti synonima usurpantur in iure civili. Theologi et Canonistae duplex divortii genus agnoscunt ac secernunt, nempe quoad vinculum, et quoad torum et cohabitationem. Iam vero divortium quoad torum et cohabitationem potest esse aut perpetuum aut temporale; perpetuum esse divortium potest duobus modis, primo nempe, quia votum solemne in suscipiendo sacro ordine vel professione religiosa fuerit emissum ab uno coniugum , altero consentiente, et concurrentibus requisitis, de quibus alias actum. Secundo ob adulterium , de quo nunc fusius est agendum. Itaque ob alterutrius adulterium pars innocens, altera parte etiam invita, et reconciliationem petente, iure potest in perpetuum separari. Constans haec est omnium catholicorum sententia suffulta Matth. V, 32, et XIX, 9. Quin imo pars innocens potest sine alterius consensu vitam monasticam profiteri , vel sacris Ordinibus initiari; adulterio enim admisso, coniux cadit iure in alterius corpus quaesito. At quaeritur, num coniux innocens adulterum dimittere teneatur? Qua in re quamquam divortii faciendi ius ex causa adulterii tam viro , quam foeminae competat, contra ac sentit Caietanus, quod tamen obligationem spectat, Doctores communiter inter virum et uxorem discrimen faciunt. Si enim mulier adultera fuit, plures auctores putant maritum divertere omnino debere. Nam Prov. XVIII, 22, ita legimus: « Qui expellit mulierem bonam expellit

bonum; qui autem tenet adulteram, stultus est et impius. » Quam sententiam spectans S. Augustinus, lib. 1, c. 19. Retractat. illud retractat, quod lib. 1 de Serm. Domini scripserat, scilicet permissum, non iussum esse divortium. Pariter in cap. Si quis de Adulteriis haec habentur: « Si vir sciens uxorem suam deliquisse, quae non egerit poenitentiam, sed permanet in fornicatione, vixerit cum illa, reus erit et eius peccati particeps. » Nam eo in casu, maritus est patronus turpitudinis indirecte saltem, quod omittat, quantum in ipso est, mulierem delinquentem corrigere, atque etiam particeps erit iniustitiae, si filii adulterini cum legitimis haereditaria bona partiantur. Alii autem auctores contrariam tenent sententiam, quia divortium datur in favorem innocentis, adeoque cum non sit praeceptum, sed ius, ipse non tenetur ad dimittendam uxorem, praesertim si mala et incommoda sibi, ac proli inde timeantur. At vero si maritus ipse adulter fuerit, non eamdem in uxore obligationem agnoscunt dimittendi virum: 1° Quia mulier, quae virum non dimittit, non censetur peccato viri consentire, propterea quod mulier non tanta in virum, quanta vir in mulierem, polleat auctoritate. 2° Quia non eadem incommoda et damna legitimis filiis imminent, neque enim incertus erit pater, nec falsus haeres supponetur. 3° Quia rarum est maritum adulterum ex divortio ad meliorem frugem redire, quin potius, ut advertit Sotus « ea abstinentia non cedit in remedium viro, ut saepius esse ei consueverit maius praeiudicium. » Itaque mulier poterit aut dissimulare, aut sustinere quod non valet corrigere. Caeterum et ipsa tenetur agere quidquid putave-

rit ad viri emendationem conducere; quamobrem si ex divortio probabilis sit spes emendationis obtinendae, a viro divertere tenetur. At, facto divortio, si adulterum flagitii vere poeniteat, pars innocens potest, imo ex caritate tenetur, quandoque, etiam per sententiam iuridicam, eidem reconciliari. Verum uxori permissum esse perpetuum divortium ob adulterium viri apprime colligitur ex Paulo ad Corinth. VII, 12, et ex ratione patet, siquidem divortii ius ex adulterio ortum praecipue suum habet fundamentum in violatione fidei et tori coniugalis; non minus autem haec per adulterium uxoris, quam mariti, violari, satis est exploratum. An coniux innocens, si post factum divortium velit ultro reconciliari nocenti, obligetur nocens acceptare et ad cohabitationem redire, negatur id quidem a nonnullis ea ratione fultis, quia innocens, dimittendo adulterum, omni iure, quod in ipsum habet, videtur se spoliasse. Vulgatum autem est, quod remittentibus iura sua non sit dandus regressus l. 14, § 9, ff. de aedilitio edicto At affirmativa sententia verior videtur, quia divortium ex causa adulterii in gratiam dumtaxat innocentis datur, et proinde non debet in eius odium et incommodum retorqueri. Atque id procedit, etiamsi per sententiam iudicis ad divortium deventum fuerit; nam innocens revocare potest adulterum eumque cogere ad redeundum, tum quia sententia non debet prodesse reo, tum quia innocens per eam nullum ius amisit, nullaque obligatione nocens liberatus est, nisi consecutive, ut aiunt, quandiu scilicet non fuerit ab innocente revocatus, innocens non spoliatur iure suo, sed nocens solum iure suo, volente ipso coniuge, privatur.

Plura porro sunt, quae impediunt quominus separatio ex causa adulterii queat induci. Et 1° si actus carnalis non fuerit consummatus; 2° si adulterium ab utroque coniuge patratum sit, quia paria crimina mutua compensatione tolluntur, c. 4 de Divortiis, et c. 6 et 7 de Adulter.; imo si postquam mulier iam a viro ob adulterium separata est, vir in idem flagitium labatur, matrimonium redintegrandum est, c. 5 de Divortiis. 3° Si pars innocens culpabilem causam adulterii dederit, c. 6, de eo qui cognov. 4° Si adulter ob vim illatam, aut probabilem ignorantiam, aliquo pacto excusari possit, veluti si mulier vi oppressa fuerit, si vir deceptus aliam mulierem pro uxore sua habuerit, si coniux, alterum vita functum existimans, novas nuptias iniverit. 5° Denique si pars innocens acceptam ab adultero iniuriam sive expresse, sive tacite remiserit.

Haec de divortio perpetuo ex causa adulterii satis dicta sint: nunc exponendae sunt causae quae temporale inter coniuges divortium inducere valent. Adesse plures causas separationis ad certum incertumque tempus, veritas est catholica, et a Conc. Trid. definita sess. XXIV, c. 8. In specie quatuor autem recensentur: I. est haeresis, et multo magis apostasia a fide matrimonio superveniens, quia ex cohabitatione cum haeretico vel apostata valde timendum est, ne coniux catholicus, eiusque proles pervertatur. Quin omne periculum animae, cum nempe coniux alterum coniugem ad grave aliquod peccatum provocat atque impellit, iustam praebet causam divertendi. Quum enim naturali et divino iure non modo permissum, sed etiam mandatum sit, ut periculum

animae et spiritualem ruinam evitemus, integrum profecto erit ob eam causam a toro et cohabitatione recedere, et, invita parte, religionem ingredi. II. Est periculum tum corporis, tum famae, tum honoris; non enim coniux coniugi maritali societate adeo devinctus est, ut nequeat gravem suae vitae et honoris iacturam declinare. Hinc coniux sanus poterit ab eo separari, qui lepra aut alio contagioso morbo laboret. Sic etiam uxor divertere poterit a marito, si hic latrocinia exerceat, ne tamquam criminum particeps habeatur. III. Est saevitia aut furor coniugis, si ex. gr. maritus uxorem suam capitali, ut aiunt, odio prosequatur, eiusque vitae ferro, veneno, aut aliis modis paret insidias, vel eam indigne et inhumaniter habeat. Cum enim mulier non vile mariti mancipium sit, sed tori consors, rerumque humanarum et divinarum socia, cumque ius defensionis contra vim alterius iniustam unicuique concessum sit, divortium effugium esse aerumnosae eiusmodi vitae dubitare nemo potest. IV. Denique est molesta cohabitatio propter iurgia, rixasque frequentes, quae indomita unius coniugis improbitate soleant excitari: siquidem ex molesta huiusmodi cohabitatione alter coniux de salute animae et incolumitate corporis periclitatur.

Separatio autem coniugum auctoritate Iudicis competentis decernenda est. Hinc privata auctoritate divertere non licet, nisi periculum sit in mora, et coniux suo arbitratu divertens ad cohabitandum compelli poterit. Ob adulterium tamen fas est coniugi innocenti, sine Iudicis auctoritate, sese ab alterius toro separare.

§ 79.

De effectibus matrimonii.

Matrimonii valide contracti effectus plures sunt, vel ex ipsa coniugii natura, vel ex Sacramenti religione, vel ex iure humano dimanantes. Quatuor praecipui sunt, qui utrumque coniugem spectant, hoc est vinculum indissolubile duorum in carne una, ius mutuum in corpora ad actus procreandae prolis aptos, obligatio tum ad custodiendam tori fidem, tum ad individuam vitae consuetudinem et mutuum adiutorium, et demum gratia sacramentalis, qua mutuus eorum amor perficitur et adiuvatur, fides matrimonii sustinetur, et matrimonii ac familiae onera evadunt leviora.

Praeterea sunt aliqui effectus, sive iura non communia, sed cuiusque coniugis propria, et quidem ratione viri duplex potestas, nempe maritalis, vi cuius maritus est caput uxoris, quantum ad gubernationem et domesticam administrationem pertinet, et patria, quam in liberos ex iustis nuptiis susceptos adipiscitur. Mulier vero fit particeps status et dignitatis mariti, iusque consequitur ad alimenta. Effectus matrimonii sunt etiam natales legitimi: itaque liberi nascuntur legitimi non solum ex matrimonio valido, sed etiam ex matrimonio ob latens impedimentum invalido, modo bona fides coniugum intervenerit. Bona autem fides in foro externo praesumitur, quando matrimonium publice in faciem Ecclesiae contractum est, quin unius coniugis bona fides sufficit, ut proles legitima censeatur. Itaque si

coniugatus, vivente uxore sua, aliam duxerit non consciam impedimenti, proles pro legitima denuntiatur. Lite etiam pendente de valore matrimonii, modo alteruter coniugum in bona fide perseveret, liberi ea pendente nati adhuc legitimi habendi sunt; nam mala fides legalis, quae per litis contestationem inducitur in praeiudicium prolis nihil efficit. Eumdem effectum legitimae prolis reddendae leges quoque tribuerunt matrimonio nativitatem prolis subsequenti, si tamen inter parentes, quo tempore eamdem generarunt, aut aliquo saltem tempore intermedio usque ad ipsius prolis nativitatem, legitimum matrimonium esse potuerit. Denique duo reliqui sunt nuptiarum effectus respectu filiorum, ius nempe alimenta et subsidia honestae et christianae educationis a parentibus exigendi, et subiectio potestati patriae, de cuius effectibus plura dabunt Iuris civilis interpretes.

§ 80.

De necessitate et praecepto matrimonii.

Divinum matrimonii praeceptum singulis hominibus initio mundi impositum ab illis Geneseos verbis: « Crescite, et multiplicamini » non pauci repetunt. Melius tamen opinantur alii hisce verbis divinam dumtaxat foecunditatis benedictionem inter homines designari. Brutis enim animantibus dictum pariter fuit: « crescite et multiplicamini » quibus tamen proprie dictum praeceptum omnino non datur; quocirca matrimonii praeceptum melius ex iure naturae repetimus, siquidem natura ipsa suggerit conservationi et propagationi generis humani

consulendum esse, cum in hunc ipsum finem matrimonium fuerit institutum, ideoque illud tuto possumus affirmare, initio mundi homines lege naturae ad ineunda matrimonia fuisse adscriptos, neutiquam vero post sufficientem humani generis propagationem.

Idem dicendum tum de tempore, quod proxime consequutum est universale diluvium, quo rursus Deus hominibus ait Gen. IX, 17: «Crescite et multiplicamini » tum de populo ipsius Dei, nam ex Augustino De bono viduitatis c. 7, cum adhuc exiguo esset numero, ut populus ille propagaretur, maledictus habebatur qui non suscitaret semen in Israël. At post diluvium, et in hominibus singulis et in populo Dei cessavit, singulorum respectu, matrimonii ineundi praeceptum, cum humanum genus, atque ipse populus Dei fuit satis propagatus; et sane in lege veteri nonnullos legimus, qui absque ulla iniuria legis aut naturalis aut divinae caelibes vixerunt, et casti, prout fuerunt Iosue, Elias, Ieremias, unde castitas tori coniugalis nescia Isaiae LVI, 3-5 et Sapientiae III, 13-14 laudatur.

Prostat quidem Exodi XXIII, 26 et Deut. VII, 14 celebris illa sententia sterilem non fore quemquam in terra Israël; sententia tamen haec non praeceptum continet sed promissionem. Ibi enim Deus, foecunditatis benedictionem coniugibus mandata sua servantibus pollicetur. Sane sterilis non dicitur caelebs, sed qui, vel quae matrimonio utens, filios tamen non possit generare; hanc autem sterilitatem opprobrium et maledictionem fuisse reputatam, Elisabeth Lucae I, 7 et aliorum multorum exempla apte convincunt.

Satius etiam affirmare possumus in lege evan-

gelica omnes et singulos ad contrahendum matrimonium neutiquam obligari ; quamvis enim necessarium illud sit ad bonum et Ecclesiae conservationem , singuli tamen homines sectari possunt quod melius est, atque perfectius ; melior tamen est , atque perfectior continentia matrimonio, ad quam hortatur Apostolus I Cor. VII. 8, 38, 40. Sunt autem quos per accidens speciatim obligat lex ineundi matrimonii , eos ex. gr. qui continentiae donum non habent et in proximo fornicationis periculo sunt constituti, quod iure consonat sententiae eiusdem Apostoli « Melius est nubere quam uri » ib. v. 9. Principes etiam vel alii viri primates ad matrimonium ineundum quandoque obligantur, si hac via maximo reipublicae aut fidei christianae damno possint consulere. Satis de necessitate ac praecepto matrimonii.

§ 81.

De lege continentiae sacris ministris imposita.

Novatores matrimonii necessitatem ac praeceptum plus aequo extendunt, et continentiae legem sacris ministris impositam temerario ausu damnant. Quocirca opportunum est omnino , ut de hac lege pauca dicamus. Ac primo inquirimus, an ea sit divina, an apostolica, vel dumtaxat ecclesiastica? Divinam simpliciter esse docuit Franciscus Turlianus; solus tamen inter scholasticos, prout observavit Trudicaeus, sententiam hanc amplexus est. Docuerunt alii, sed pauci, legem continentiae adstringere sacros ministros iure divino , quatenus eodem iure divino ab uxoribus post ordinationem

ducendis debeant abstinere. Haec tamen sententia non satis secum cohaerere videtur. Etenim cum admittat iure divino neutiquam adstringi sacros ministros, ut abstineant ab usu uxorum, quae ante ordinationem ductae sunt, incohaerentia redditur manifesta. Etenim matrimonium per se ac ratione contractus, qui bonus est, laudabilis, ac sacramentalis, neutiquam prohibetur clericis, sed ratione usus et carnalis copulae, quae viros sacris ministeriis addictos dedecet, proindeque si iure divino sacri ministri arcentur ab ineundo matrimonio post ordinationem, eodem iure divino ab usu matrimonii antea contracto arceri debent. Non desunt qui ab Apostolis promanasse primum hanc legem tuentur, et innituntur tum testimoniis Pauli ad Titum I, 8; I. ad Timoth. IV, 12; V, 22, et II. ad Timoth. II, 4, tum facto ipso Apostolorum, qui aut virgines fuere, aut continentes. Verum ad testimonia quod attinet, illud notamus, primo ea nimis probare, siquidem ex his colligeretur non modo apostolicam esse, sed vere divinam hanc legem continentiae, quam deberent sub poena aeternae damnationis omnino custodire, quod tamen falsum est. Praeterea notamus continentiam, quam Apostolus commendat, non esse continentiam ab uxoribus, aut ducendis aut ductis, sed esse continentiam ab omni illicita voluptate; ut enim ait S. Chrysost., « Haec est vera continentia nulli vitio subiici. » Atque in hoc sensu S. Petrus ep. 1, c. I, v. 6 iubet omnes fideles continentiae operam dare, non quatenus velit omnes ab uxoribus abstinere, sed ab illicitis desideriis et voluptatibus. Eodem modo exponi potest castitas, quam divus Paulus Timotheo commendat; in legitimo

enim matrimonio castitas servari potest, et reipsa, suoque modo servanda est; quamquam vero nuptiae ad saecularia negotia utcumque pertineant, attamen non sunt incompatibiles cum sacris ministeriis, et sacri ministri possunt simul ea, qua par est, reverentia altari inservire, et uxoris ac liberorum curam habere. Et re quidem vera Paulus I. ad Tim. c. III, v. 4 dum Episcopi dotes enumerat, inter caetera ipsum episcopum exhibet: « habentem filios subditos cum omni castitate, qui domui suae bene praeesse noverit. »

Ad factum Apostolorum quod pertinet, facile concedimus legem hanc, tamquam tantum ecclesiasticam, ab Apostolis esse derivatam. Siquidem accurate observari debet inter leges, quae apostolicae dicuntur, alias esse, quas Apostoli ex Christi Domini praecepto tulerunt, quae proprie loquendo divinae sunt, atque apostolico divinae saepius appellantur, et necessitatem imponunt, et tamquam divina praecepta perpetuo observantur; alias vero esse leges, quas Apostoli, ut Ecclesiarum rectores et duces, non ut divinas, sed ut ecclesiasticas proposuerunt ad optimam, prout circumstantiae tum exposcebant, Ecclesiae administrandae rationem, quae cum ecclesiastica dumtaxat nitantur auctoritate vim obligandi non habent, nisi ex praecepto Ecclesiae, unde mutationi sunt obnoxiae, atque in hoc dumtaxat sensu lex continentiae apostolica dici potest.

Quae cum ita sint, restat ut dicamus iure dumtaxat ecclesiastico maioribus clericis praeceptum perpetuae continentiae imponi; quod ex pluribus argumentis evidentissime demonstratur. Paphnutius loquens de continentia, eam non renuen-

tibus Nicaeni Concilii I Patribus, traditionem Ecclesiae non legem divinam vel apostolicam appellavit, et publice asseruit satis esse, si iuxta veterem *ecclesiae traditionem*, qui in clerum fuissent adscripti, non amplius uxores ducerent. S. Epiphanius Haer. LIX scripsit continentiam clericorum observari, ubi vigent ecclesiastici canones, hancque ab Ecclesia constitutam, utpote quae quam maxime deceat sacros ministros ibidem asseverat, aliquibus tamen in locis connivere Episcopos ait, ut ministri cum suis misceantur uxoribus; quae omnia demonstrant persuasum fuisse S. Epiphanio legem continentiae esse dumtaxat ecclesiasticam. Idem asserit s. Theodorus Pelusiota l. 3, ep. 75. Graeci in Concilio Trullano, seu Quinisexto suis presbyteris, diaconis et subdiaconis licentiam dederunt, quae etiam nunc apud ipsos perseverat, retinendi uxores, quas ante ordinationem duxissent. Magni momenti hac in parte est illud argumentum, quod deducitur ex unione et concordia identidem a graecis facta cum latinis in Conc. Lugdun. II, a. 1274 et in Florentino a. 1439. Graecis vitio haud datum fuit in hac concordia, quod graeci ministri suis cohabitarent et coniungerentur uxoribus, nec ipsis lex imposita, ut et uxoribus separarentur. Sane ecclesia neutiquam hanc graecorum consuetudinem tolerasset, si eam divino, vel apostolico praecepto vetitam esse intellexisset. Aliud argumentum non minoris roboris adduci a nonnullis solet, quod sic se habet. Si lex perpetuae continentiae divino aut apostolico praecepto fuisset sacris ministris imposita, semper isti castitatem saltem tacite professi fuissent cum ad Ordines sacros admittebantur. Attamen S. Basilius

op. 2 Can. Theophilocim car. 19 non alios agnoscit castitatem profitentes, quam monachos.

Iam vero lex continentiae sacris ministris ab Ecclesia imposita aequissima est ac sanctissima, quod facile demonstratur: 1ª ratio depromitur ex sanctitate et pietate mysteriorum, quae dumtaxat a ministris, qui puri sint, ac mundi contrectari debent. 2ª Quia, si, monente Apostolo Paulo, tenentur fideles coniugati ad tempus abstinere a carnali copula, ut vacare possint orationi, prout legitur II. Cor. VII, 51, utique oportet sacros ministros, qui perpetuo orationi vacare debent et incruentum sacrificium offerre, perpetuo continentes esse. Si enim sacerdotes veteris testamenti, tempore vicis suae (per vices enim templo administrabant) ab uxoribus suis abstinebant, multo magis sacerdotes novae legis, qui non per vices, sed semper altari inserviunt, decet ab omni cum uxoribus commercio abstinere : 3ª petitur tum a numero, tum a magnitudine officiorum, quae per sacros ministros praestanda sunt; totum siquidem haec officia requirunt hominem, qui saecularibus curis neutiquam distrahatur, unde Apostolus Paulus admonens Timotheum II epist. c. II, 2 ut laboret sicut bonus Christi miles, haec addit verba v. 4: « Nemo militans Deo implicat se negotiis saecularibus. » 4ª Quia cum Christus Dominus ex matre virgine sit, decet quam maxime, ut ab iis administris in sacrificio missae contrectetur, qui aut virgines sunt, aut perpetuo continentes. Hisce rationibus addi possunt etiam aliae quae tum a SS. Patribus, tum a Conciliis recensentur. Verum cum hac in parte Dei veritas per se clamet, diutius in aliis congerendis rationibus immorandum non

arbitramur. Unum monendum hic est, nempe Ecclesiam ad sacros Ordines suscipiendos neminem compellere; quocirca libere et ultro legi de servanda continentia se subiicit, qui post probatas vires suas, et diuturnum seriumque examen sponte ac libere ad sacros ordines suscipiendos accedit. Quod si quis, neutiquam probatis prius viribus suis imprudens sese obtrudat, et oscitanter sacros ordines suscipiat, sibi suam imputare debet culpam, nec aliud remedium ipsi suppetit, quam ut lacrymis peccatum suum eluat, atque ferventibus precibus donum continentiae expostulet ab eo, qui misericors est, atque, ut ait Conc. Trid. sess. XXIV, can. 9, «recte petentibus illud non denegat, nec patitur tentari nos supra id quod possumus.» Omnino autem per accidens est et contra legis mentem, quod aliquibus malis occasionem praebeat. Siquidem non ipsa lex, quae sancta est, sed humana malitia incusari debet. Et re quidem vera, si lex tamquam iniusta damnanda sit, quia eius occasione nonnulli peccant, expungenda profecto forent, ac de medio tollenda sacramenta, quae sacrilegorum profanationibus saepius exponuntur.

Hic canonico de Matrimonio tractatui finem facio, paratus quemcumque errorem, in quem lapsus sim, corrigere.

HOC VERO OPUS QUALECUMQUE SIT

DEIPARAE VIRGINI MARIAE

SINE LABE ORIGINALI CONCEPTAE

D. D. D.

APPENDIX I

DE FORMIS ET IMPEDIMENTIS CIVILIBUS MATRIMONII EX HODIERNO IURE CIVILI

Quod viri cuiusque ordinis praeclarissimi, eruditis suis scriptis, antistites sapientissimi, cum singillatim, tum una simul, protestationibus zelo ac doctrina refertis, et ipsemet Pontifex Maximus, augustissimae suae vocis auctoritate, avertere conati sunt, id, in pluribus regionibus constitutum esse vidimus. Etenim in Galliis, Belgio, Hollandia, Italia, aliisque locis matrimonium civile, non consulta nec probante Ecclesia, misere inductum est, ac lege infausta, ipsique societati, tum ecclesiasticae, tum civili summopere adversa, praescriptum ac promulgatum. Unde fit, ut nullum admittatur connubium, nullaque proles habeatur legitima, ubi formae civili lege sancitae omissae sint. Cum porro nihil impedimento sit, quominus sponsi, attentis praesertim adiunctis, legi huic, quaecumque caeterum ea sit, pareant in thesi generali ac se submittant, ut civilibus fructibus potiri queant, nemo est, qui non videat plurimum interesse, ut Parochi praesertim, ac Confessarii praecipuas matrimonii civilis formas ac impedimenta nota apprime ac perspecta habeant. Multis enim gravibusque difficultatibus opportune ac

facile occurritur, ubi sponsi, sive de civilibus matrimonii formis rite recteque implendis, sive de impedimentis et obstaculis, si qua sint, opportune e medio tollendis, quae non raro administrorum civilium scientiam, aut saltem memoriam effugiunt, tempestive matureque doceantur. Ex perspicua harum rerum scientia et praxi fit, ut actus civilis, qui matrimonii nomine perperam ornatur, coram publico Ministro, iure, remotis obstaculis, perficiatur, aut si haec tolli commode nequeant, saltem ut impediatur generatim, quominus propositum connubium tum civiliter, tum religiose contrahatur. Multum enim interest, ut matrimonium coram Ecclesia, sublato prius impedimento civili, et matrimonium coram Ministro civili, nullo amplius exstante impedimento canonico, rite celebretur. Quae cum probe animadverterem, rem nec inutilem, nec ingratam me facturum esse duxi, si huic operi manum admoverem, et quidquid scitu maxime necessarium Parocho ac Confessario esse posset, ut in tam ardua tantique momenti re, tuto sese dirigere queat, satis abunde exponerem ac explanarem. Disputationem vero hanc in duas partes distribuam, prima erit Historica, secunda Practica.

In prima parte de impedimentis, ac formis lege laica in Italia statutis, deque actu civili, quem exsequi sponsi tenentur, ut eorum coniugium secundum novissimas leges civilibus fructibus frui queat, praecipue loquar ac distincte pertractabo. Ni enim id praestiterim, finem quem mihi proposui, nullo pacto attingerem. Finis est, ut quaestiones practicae facile solvantur; harum porro solutio prorsus dependet a notitia impedimentorum civi-

lium; nemo itaque mihi succenseat, quod impedimenta civilia paullo fusius enumeranda, exponenda ac enucleanda esse duxerim. Haec praemittenda esse volui, ut tota consilii mei ratio etiam atque etiam aperta sit. Ita legenti cuilibet scrupulus dubitatioque omnis, si quae forte irrepserit, penitus eximetur, quo facilius frui hac disputatione possit.

In secunda parte quaestiones graviores proponam, facilemque eisdem solutionem dabo. Sit itaque

PARS PRIMA — Historica.

Potestati civili admodum interesse, ut quae celebrantur connubia nota ipsi sint, ac perspecta, nemo est qui audeat denegare. Verum quin matrimonii ipsius vinculum directe attingat, essentialesque eius proprietates impetat, ac prorsus destruat, alia media idonea ac legitima ad finem suum obtinendum civilis auctoritas in promptu habet. Etenim, caeteris missis, si statuat, ut eae tantum nuptiae civiles effectus producant, quae publice in faciem Ecclesiae contrahuntur, quod nec absonum nec indecorum dici potest, aut si velit, ut matrimonio, cum in Ecclesia celebratur, minister civilis adsit ac praesens sit, qui insuper recipiat a Parocho exemplar librorum, ubi matrimonia adnotantur, finis, qui propositus est, apprime, ac plene obtinetur, quin Gubernium civile proprios suae auctoritatis limites praetergrediatur, Ecclesiaeque iura pessundet. Verum aliter peragi videmus. Novimus profecto auctoritatem civilem leges condidisse, quae ipsum matrimonii contractum directe in sua essentia attingunt, et quibusdam

hominibus ita interdicunt, ut, nisi illae examussim observentur, aut plane nullum, aut saltem dissolvendum, et abolendum decernant, aut validum quidem considerent, sed poenis obnoxium iis infligendis, qui statutas leges perfregerint. Ex quo patet, in matrimonio mere civili esse constituta etiam impedimenta, quae definiri possunt leges civiles actum matrimonii vel radicitus irritantes, vel abolendum decernentes, vel solum, determinatis poenis, prohibentes. Huiusmodi impedimenta, ut ex ipsa definitione liquet, alia sunt *prohibentia*, quae illicitum duntaxat, alia *dirimentia*, quae illicitum et nullum efficiunt Matrimonium. Porro haec dividuntur in impedimenta radicitus, seu stricto sensu dirimentia, et in impedimenta per abrogationem dirimentia. Illa civilem connubii contractum in *radice*, et ab *initio* ita irritant, ut nullum exinde matrimonii legale vinculum existere unquam possit. Ista matrimonium civile non quidem reddunt ab initio nullum, sed abolendum, dissolvendumque decernunt. « *Les premiers*, ut verbis utar Cl. Marcadé t. 1 p. 575, *empêchent le mariage de se former; les seconds le laissent se former, mais ils permettent de le faire briser.* » Mourlon t. 1, pag. 330, ait: « *Les premiers rendent le mariage d'une nullité absolue et perpétuelle, les seconds ne le rendent qu'annulable; à cause des premiers les tribunaux n'interviennent que pour proclamer que le prétendu mariage n'a jamais eu de réalité légale; à cause des seconds, ils interviennent pour briser le mariage que la loi a traité provisoirement comme valable.* »

Notandum hic praeterea est, nullum existere impedimentum civile, quod matrimonium *pleno*

iure abroget, seu efficiat, ut absque iudicis sententia vinculum disrumpatur, omneque ius ad civiles effectus amittatur. In omni namque coniugio, licet radicitus nullo, adest semper vel titulus, vel saltem quaedam tituli species, quae iudicialiter destrui debet. Hinc Tronchet, *Confér. du Code tom.* 2, *p.* 84 ait: « *Jamais le mariage n'est nul de plein droit; il y a toujours un titre et une apparence qu'il faut détruire:* » Quae verba adhibens Toullier, *tom.* 1, *p.* 601, addit: « *Il y a une question à décider par le juge qui doit appliquer le droit au fait; la cause de nullité peut etre fausse, la nullité peut être couverte.* » Idem habet Cl. Duranton tom. 2, pag. 263. Quapropter discrimen, quod intercedit inter impedimenta radicitus dirimentia et ea, quae per abrogationem irritant, in eo solum consistit, quod in priori casu iudices declarant matrimonium nulla ratione exstitisse, in altero vero matrimonium dissolvunt, eiusque abrogationem iudicialiter pronuntiant.

Ulterius si legem civilem serio attenteque perscrutari volueris, facile reperies impedimenta dirimentia, non una semper eademque ratione, matrimonium infirmare, et abolere. Id enim quadruplici ratione fieri potest, unde quadruplex in foro externo *nullitas* producitur, nempe *absoluta*, *relativa*, *perpetua* et *temporaria*. De singulis definitionem dabo. *Nullitas absoluta* ea est, quae directe fundatur motivo ordinis publici, bonique communis, quaeque ab omnibus, quorum interest, et ab ipso ministerio publico, seu regio procuratore, in medium adduci potest. *Nullitas relativa* illa censetur, quae bono tantum privato innititur, quaeque adduci nequit, nisi durante quodam tem-

poris spatio, et ab iis, in quorum gratiam inducta est. *Perpetua nullitas* existit, quando neque ullo temporis lapsu, neque sequenti confirmatione, seu, ut aiunt, *ratihabitione*, legaliter contegi, aut purgari potest. Tandem *nullitas temporaria* habetur, dum vel temporis decursu, vel confirmatione contegitur. Vide Carrière de contractibus (1). Caeterum, quaelibet nullitas, ut in iudicio decerni possit, necesse prorsus est, ut textu legis explicito indubitanter contineatur : « *La nullité du mariage*, ait Delcourt, *ne peut jamais être prononcée que dans le cas, où la loi l'autorise par un texte exprès.* » Porro in determinandis nullitatibus non ipsum matrimonii valorem intrinsecum, sed commune bonum, familiae prosperitatem, et reipublicae pacem ac incolumitatem primitus lex respexisse videtur.

Hisce generatim praepositis, instituti nostri ratio postulat, ut palam faciamus tum impedimenta, quae radicitus aut per abrogationem matrimonium dirimunt, tum ea, quae illud tantummodo prohibent. Iam vero duo sunt impedi-

(1) Toullier t. 1, p. 601 ait : La plus part de ces nullités ne sont point dans la nature des choses: il en résulte que l'application serait, en certains cas, un mal plus grand que l'inconvénient qu'on a voulu prévenir : voilà pourquoi on a voulu qu'elles fussent couvertes par le temps, et pourquoi on a laissé beaucoup à la prudence du magistrat qui est lex loquens. » Daguesseau Plaidoyer 23, t. 1, p. 150, loquens de nullitatibus in favorem quarundam personarum inductis ait : « Lorsque ces personnes ne sont plus en état de les proposer, alors on peut dire que le mariage est comme validé, non qu'il soit exempt de défaut, mais par le défaut de droit dans celui qui veut le faire annuler, non iure proprio, sed defectu iuris alieni. »

menta radicitus dirimentia, nempe 1. *Defectus consensus* in contrahentibus ; 2. *Absentia ministri status civilis* in ipsa matrimonii celebratione. Impedimenta per abrogationem dirimentia decem numerantur, scilicet: 1. *Defectus libertatis* in consensu utriusque, vel alterutrius contrahentis. 2. *Error* personae tum *physicae*, tum *civilis*, vel, ut vocant, *substantialiter qualificatae*. 3. *Defectus* consensus eorum, a quibus sponsi ratione aetatis, dependent ; 4. *Defectus pubertatis ;* 5. *Ligamen ;* 6. *Cognatio naturalis*, seu consanguinitas et affinitas intra gradus prohibitos, *et cognatio legalis ;* 7. *Defectus notitiae* matrimonii (pubblicità) 8. *Defectus iurisdictionis* officialis civilis ; 9. *Impotentia* manifesta, perpetua, et antecedens ; 10. *Homicidium*. Tandem impedimenta mere prohibentia ad tria commode reducuntur, et sunt: 1. *Oppositio* matrimonio rite facta, et ministro civili ab illis significata, ad quos id iuris pertinet : 2. *Defectus* proclamationum, seu denuntiationum ; 3. *Defectus* viduitatis decem mensium in femina (1).

De hisce impedimentis sermo singillatim instituendus est eo solum fine, quemadmodum superius exposui, ut ex horum cognitione Parochus ac Confessarius facile sciat, quomodo in casibus peculiaribus sese dirigere debeat. Quapropter neminem adesse arbitror, qui putet me in iis enucleandis, haud satis ea aspernari, vel saltem scandali occasionem dare, sin minus, opus supervacaneum, et forsan etiam periculosum aggredi. Iam vero exordiar a consensus defectu. De contrahentium consensu, tamquam de conditione ad valorem

(1) Vide Mourlon, t. 1, p. 267.

matrimonii omnino necessaria, Codex in titulo « Del matrimonio » nullum sermonem facit. Verum ex iis, quae de consensu in contractibus art. 1108, 1109, 1112 generatim disserit, atque statuit, prono alveo descendit irrita, ac nulla decerni omnia connubia, quae alterutrius consensu destituuntur. Est enim ad matrimonii valorem mutuus iste consensus adeo necessarius, ut eius defectus, nulla humana potestate, sive civili, sive ecclesiastica, queat suppleri. Quapropter si quis ebrietate omnino, ac totaliter correptus, verba consensum exprimentia quomodolibet proferret, is profecto matrimonium nulla ratione contraxisse diceretur, licet pars ratione utens in matrimonium consulto ac serio consenserit; quia non adest contractus, ubi non est consensus, et ebrius in statu ebrietatis veri consensus incapax omnino est. Idem prorsus dicendum de eo est, qui versatur in statu perpetuae amentiae, eo quod mentis prorsus impos nil efficit, nullumque actum civilem, cum rationis usu careat, exsequi potest. Ast si sermo sit de aliquo, qui non continuo, sed interdum tantum amentia laboret, is profecto matrimonium, lucidis mentis intervallis, valide contraheret, dummodo legaliter interdictus non fuerit; obstante art. 324, et praesertim art. 61 Codicis, ubi aperte statuitur: « *Non possono contrarre matrimonio gli interdetti per infermità di mente.* » Vide Mourlon t. 1, p. 275. Nec aliter iudicandum est de surdis simul et mutis, qui consensum dare nequeunt, nisi constet eos ita institutos in antecessum fuisse, ut sciant, sufficienterque intelligant, quid sit matrimonium, et quos effectus producat, et simul manifesto animum patefaciant, dum signo aliquo consensum

suum clare aperteque exprimunt, se foedus coniugale cum determinata persona reapse inire. Vide Toullier *Droit civil*, t. 1, p. 505.

Quaeri hic potest, an error personae physicae (veluti si Maevius cum Caia contrahere putans, per errorem aliam ducat), impedimentum ex defectu consensus constituat? Duplex adest sententia. Qui affirmativam sequuntur, ex legis ratione argumentum desumunt. Nam error personae ideo praecise matrimonium nullum reddit, quia consensus omnino deest; qui enim errat, non consentit in determinatam personam, cum qua contrahit, sed in aliam prorsus diversam, quam mente concipit (1). Qui negativam tenent sententiam, licet fateantur eum, qui circa personam errat, sive ex propria oscitantia, aut culpa, sive alterius fraude erret, revera non consentire in eam personam, quae sibi proponitur et praesens est, adeoque admittant errorem personae suum fundamentum haurire ex consensus defectu, tamen perfracte denegant personae errorem cum defectu consensus confundi, et unum idemque impedimentum constituere, praesertim cum de personae errore separatim ac distincte in iure disseratur. Eadem quaestio in Gallia agitata fuit. Verum in Galliis, duplici articulo, lex, tum de errore personae, tum de defectu consensus distinctim loquitur. De defectu consensus explicite sermo habebatur art. 146, ubi dicitur: « *Il n'y a pas de mariage, lorsqu'il n'y a point de consentement.* » De errore personae art. 180 dicitur hisce verbis: « *Lorsqu'il y a eu erreur dans la personne, le mariage ne*

(1) Vide Marcadé t. 1, 471.

peut être attaqué que par celui des deux époux, qui a été induit en erreur. » Porro plerisque visum est impedimentum ex errore personae physicae solummodo, hoc articulo comprehendi, praesertim quod ex una parte de defectu consensus adest particularis articulus, et ex altera de errore personae ita speciatim sermo hic instituitur, ut inter personam physicam et personam civilem nullo modo distinguatur. Ita Mourlon, t. 1, p. 345. Quae cum ita sint, quaestio, quod ad nos spectat, in eo versatur an idem dici, et affirmari possit de Regno Subalpino, ubi codex de consensus defectu nullum articulum habet, ut vidimus, et de personae errore eadem prorsus, quae Gallica lex ad unguem profert art. 105: « *Quando vi fu errore nella persona, l'azione di nullità può essere impugnata da quello degli sposi che fu indotto in errore*, » seu quaeritur, quod magis explicat quaestionem, an hoc articulo error personae physicae comprehendatur? Quaestio sane nec inutilis, nec otiosa. Nam ut caetera silentio praeteream, hoc praecipue animadversione dignum est, nempe si propositae quaestioni negative reposueris, adeoque dixeris errorem personae physicae constituere consensus defectum, matrimonium nullum radicitus erit, eo quod error hic cum consensus defectu confunditur. Si autem affirmativam sententiam amplexus fueris, matrimonium per abrogationem dissolvetur. In priori sententia, postquam ex. gr. Maevius cum Caia contrahere putans, aliam per errorem duxit, ex qua sobolem habuit, haeredes, post Maevii decessum, contendere iure possunt, ut irrevocabili sententia matrimonium ab origine nullum esse legaliter

pronuntietur. In secunda sententia e contra, nulla plane haeredibus Maevii iuridica actio spectabit. Nostrum non est, de hac quaestione, pro rei gravitate disserere. Discrimen inter utramque sententiam, quoad sequelas, quae exinde oriuntur, notasse sufficiat. De errore inferius sermo speciatim redibit, ubi nonnulla exponam, ex quibus facili sane iudicio deducere quisque poterit, cui potius sententiae adhaerendum sit.

Consensum omnino requiri, ut matrimonium civile possit existere, hucusque vidimus. Verum simplex consensus non sufficit. Requiritur praeterea, ut matrimonium coram administro *Status Civilis* celebretur. Praesentia ministri adeo necessaria est, ut, si ipse absit, matrimonium civiliter nullo modo consistat. Itaque non agitur hic de ministri iurisdictione, nec de publica matrimonii notitia; nec de formis a iure praescriptis, de quibus omnibus inferius erit dicendi locus; sed sermo solummodo instituitur de omnimoda ministri absentia, ex qua impedimentum alterum radicitus ac stricto sensu dirimens exsurgit. Vide de hac re Marcadé t. p. 574, Portalis Code et Motifs t. 2, p. 255, et Merlin Répertoire verb. Mariage (1).

At quisnam in iure dicendus est Minister Sta-

(1) Portalis exponens legis motiva coram coetu legislativo haec proferebat: « Il n'y a pas mariage, mais commerce illicite entre deux personnes qui n'ont point formé leur engagement en présence de l'officier civil compétent, témoin nécessaire du contrat. Dans notre législation actuelle, le défaut de présence de l'officier civil compétent a les mêmes effets qu'avait autrefois le défaut de présence du propre curé. Le mariage était radicalment nul, il n'offrait qu'un attentat aux droits de la société, et une infraction manifeste des lois de l'état. »

tus Civilis, coram quo essentialiter matrimonium celebrari debet? De hac quaestione, ob gravissima exorta litigia, olim in Gallia, ac in Belgio multa in utramque partem disputata sunt. Verum nunc apud omnes, res est perspecta ac explorata, quum munus efficiendi actus status civilis auctoritatibus municipalibus attributum sit, unde unum Collegium Burgimagistri et Scabinorum, seu Syndici et Adiutorum (*la Giunta Municipale o Magistratura*) hoc officio iure fungitur. Syndicus itaque, aut Scabinus a Collegio designatus ministri officium implet, eaque exsequitur, quae ad matrimonii celebrationem prorsus necessaria videntur. Ubi ipse desit, alter e collegio, vel etiam unus e consilio municipali, secundum nominationis ordinem, locum eius supplet, vicesque gerit. Vide Bivart Commentaire sur la loi communale p. 112, Pailliet Manuel de Droit Civil, t. 1, p. 38; Marcadé t. 1, p. 181, et Mourlon t. 1. p. 296. Fatendum tamen est nil hac de re adhuc in Italia lege generali praescriptum esse, adeoque arbitrio Syndici et adiutorum relinquitur administri deputatio, qui aliquando extra Collegium eligitur.

Hactenus de duplici impedimento radicitus dirimente; modo sequitur, ut de caeteris impedimentis, quae matrimonium per abrogationem dirimunt, breviter disseram. Sequar vero eumdem ordinem quem in eorum enumeratione superius prosequutus sum. Sit itaque primum sermo de libertatis defectu in sponsis, qui, mutuo praestito exterius consensu, foedus matrimonii coram administro solemniter ineunt. Articulos legis 105 et 1188 paullulum attendenti, illico patebit, matrimonium, ex libertatis defectu, non reddi radicitus nullum,

sed, ex causis gravissimis, infirmari, ac perimi. Citatus art. 105 duas complectitur paragraphos, in quarum altera de libertatis defectu in consensu *generatim*, in altera vero de personae errore *speciatim* sermo instituitur. De utroque itaque impedimento distinctim ac separatim disserendum est.

Quoad primum dicitur : *Il matrimonio può essere impugnato da quello degli sposi, del quale non sia stato libero il consenso.* Porro nemo est, qui non videat legem loqui in genere, et consensus libertatem simpliciter in matrimonio exposcere. Ex quo manifestum fit, ut quaelibet causa ad libertatem consensus in caeteris contractibus, aut labefactandam omnino, aut valde admodum imminuendam sufficiens, profecto potens quam maxime sit, ut affirmetur consensum in matrimonium nec deliberatum, nec liberum exstitisse. Aliqua sunt, eaque non parvi momenti, quae in medium, de hac re, proferre superfluum non erit.

Atque illud in primis dicendum est, inter praecipuas causas, quibus matrimonium ex defectu libertatis dirimitur, vim accenseri. Vis duplex a iurisperitis et canonistis distinguitur : *absoluta*, quae liberum consensum omnino tollit, et *conditionata*, quae non differt a metu, seu potius est illius correlativa, quia vis consideratur in inferente metum, metus autem in patiente vim. Unde vis conditionata, et metus indistincte adhibetur. Nos non loquimur de vi absoluta, seu de coactione omnimoda, et corporali personae reluctanti illata, quum matrimonium per huiusmodi vim contractum omni iure nullum ac irritum esse nemo non intelligat. Loquimur itaque de vi conditionata, seu de metu, qui non omnem aufert liberta-

tem, nec absolute cogit partem ad contrahendum, sed efficit, ut, invito animo, consentiat, et certus proinde eius libertatis gradus per iniuriam tollatur. Cum vero Codex art. 1108 statuat *in genere*, consensum metu gravi et iniusto extortum in contractibus validum non reputari, prono iam alveo descendit matrimonii etiam contractum huiusmodi metu initum non consistere, ac proinde nullum effectum, nullamque obligationem parere. Metus gravis tunc habetur art. 1112: *Quando è di tal natura da fare impressione sopra una persona sensata, e da poterle incutere ragionevole timore di esporre sè e le sue sostanze ad un male notabile. Si ha riguardo in questa materia all'età, al sesso, ed alla condizione delle persone.* » Quaenam debeant concurrere, ut metus gravis sit, ex hisce verbis aperte liquet, ex quibus pariter manifestum est, prudentis iudicis arbitrio relinqui, ut in casibus peculiaribus diligenter inspiciat, ac perpendat personarum sexum, conditionem, aetatem, animi robur, aliasque circumstantias, et ex iis omnibus definiat, num metus gravis fuerit, vel levis. Si enim levis metus fuerit, aut etiam *reverentialis*, ut aiunt, quo nomine intelligitur existimatio et formido mali, quod timemus ab iis, quorum legitimae potestati obnoxii sumus, nisi eorum voluntati obtemperemus, profecto dicendum est matrimonium nullo pacto dirimi, dummodo timor reverentialis a gravi comminatione seclusus prorsus sit; quod eruitur etiam ex art. 1114, ubi statuitur; *Il solo timore riverenziale, senza che sia intervenuta violenza, non basta per annullare il contratto.*

Altera causa, quae validitati matrimonii prae-

cipue obsistit, eo quod ad vim referri, et in vi includi commode potest, est raptus, seu violenta personae de loco in locum abductio, matrimonii ineundi causa. Articulus 1108 haec habet: *Il consenso non è valido, se.... estorto con violenza o carpito con dolo.* Iam vero ubi adest raptus, et quamdiu persona rapta in potestate raptoris invita et reluctans est, existit violentia, adeoque consensus, si qui externe exprimitur, extortus dicitur, nec amplius liber est, ut citatus articulus praescribit. Itaque matrimonium, durante raptu, initum, impeti potest. Rem exemplo illustrabo. Sit puella, quae per vim, seu physicam, cuiusmodi est violenta manus iniectio, seu moralem, ut sunt graves minae, gravisque metus, aut ab ipso raptore, aut a mandatario illatae, de propria domo extrahatur, et ad domum municipalem reipsa abducatur, ubi adhuc in potestate raptoris constituta ad nuptias coram ministro ineundas metu potius, quam voluntate adigatur. Nemo sane dubitat, quin huiusmodi raptus impedimentum dirimens constituat. Aliter autem dicendum esset, si puella non amplius invita, sed volens, lubensque consenserit, et quod ipsi antea displicuit, tandem inciperet placere.

De raptu fraudulento, seu seductionis, qui locum habet, quando ob eumdem finem matrimonii ineundi, puella precibus, suasionibus, pollicitationibus, aliisque blandis ac insidiosis artibus seducitur, ut lubenti animo raptorem ipsum sequatur, controversia est, an citatus articulus loquatur. Sunt auctores, qui tenent huiusmodi raptum libertati consensus ita adversari, ut matrimonium legaliter perimere possit, praesertim quod saepenu-

mero facilius resistitur apertae violentiae, quae animum alienat, nedum conciliat, quam fraudulentis suasionibus, captiosis illecebris, ac sollicitationibus dolosis, quibus inexperta ac versatilis puella circumvenitur, scite fallitur, et ad consensum praestandum adducitur, qui profecto, nisi huiusmodi acta exstitissent, numquam praestitus esset. Dum autem ii auctores id affirmant, iudices monitos esse volunt ac vigiles, ut caute, prudenterque in hoc negotio procedant. Hinc Mourlon t. 1, p. 341 haec habet: *Ils ne devront jamais prononcer la nullité qu'autant qu'il sera bien constaté par les circonstances* 1. *que la liberté des époux a été vraiment détruite, et* 2. *qu'elle l'a été par des influences immorales et de nature à ne pouvoir être sanctionnées par la loi*. Verum haec non adeo momentosa sunt, ut in eam sententiam adducamur. Lex enim, missis caeteris argumentis, quae adduci possent, matrimonii libertatem respicit, quae incolumis et salva manet, cum rapta voluerit, serioque consenserit, apprime advertens, se coniugii ineundi causa, fugam arripere, et coram ministro sese exhibere (1).

Cum Concilium Tridentinum et Sacri Canones passim ita loquantur de raptoribus, ut de raptricibus prorsus servent silentium, quaesitum inde fuit, an impedimentum raptus locum habeat, si

(1) Sermo hic est de persona, quae sub potestate parentum, vel tutoris, aut curatoris amplius non est. Namque si ab iis adhuc ipsa dependeat, et volens raptorem, eisdem invitis, sequatur, haberetur raptus in parentes, vel tutores, in quo deprehenderetur iniuria illis illata, sine quorum consensu matrimonium contrahi nequit, unde constitueretur impedimentum dirimens civile ex defectu consensus parentum, aut tutoris.

mulier per vim virum rapuerit, et duplex, ut vidimus, adest sententia. Verum cum lex civilis loquatur simpliciter de libertate consensus, nihilque de raptu, vel raptore dicat, plerisque omnibus placet opinio, quae statuit perinde omnino esse, si femina rapiat virum, ac si vir rapiat feminam, tum quia in utroque casu libertas illa, quae requiritur a lege, aufertur, tum quia alia etiam matrimonii impedimenta feminas ac viros aeque, et indiscriminatim afficiunt, tum denique quia, iure civili, expressio masculini sexus etiam femineum sexum comprehendit, saltem in correlativis, ubi eadem ratio militat.

Caeterum duae huic impedimento gravissimae apponuntur exceptiones, quarum altera est, ut matrimonium impeti possit ab alterutro tantum ex sponsis, cuius liber consensus defuit. Id enim patet ex art. 105 superius citato. Altera est, ut ius petendae abrogationis exerceri amplius nequeat, post continuam unius mensis cohabitationem, ex quo alteruter sponsorum suae libertatis exercitium plene obtinuerit. Id liquet ex art. 106: *Non è più ammissibile la domanda di nullità per le cause espresse nell'articolo precedente, se vi fu coabitazione continuata per un mese, dopo che lo sposo ha riacquistata la sua piena libertà.*

Hactenus, ex prima § art. 105, de defectu libertatis consensus dictum est. Sequitur modo quaestio de errore ex altera § ubi dicitur: *Quando vi fu errore nella persona, l'azione di nullità può essere promossa da quello degli sposi che fu indotto in errore.* Error itaque personae nullitatem matrimonii importat. Triplex error ex iure civili considerari potest in matrimonio, nempe *personae*

physicae, personae civilis, et *qualitatis* tum praecipuae, tum secundariae. Error *personae physicae* ille est, quo una persona sumitur pro alia ; error *personae civilis*, seu *substantialiter qualificatae* tum habetur, cum quis putatur ex determinata ac certa familia ortus, dum tamen ad aliam prosapiam, ac progeniem spectat. Error *qualitatis* est, cum quis iudicatur iis pollere qualitatibus, quibus revera destituitur, vel iis defectibus, ac vitiis omnino carere, quibus reapse laborat.

Certum omnino est, errorem *personae physicae* reddere matrimonium nullum et irritum. Ratio est, quia qui errat in persona physica, quae matrimonii praecipuum ac substantiale obiectum est, non consentit in eam determinatam personam, cum qua contrahit, sed in aliam prorsus diversam, quam mente concipit, quae per errorem praesens putatur ; proinde error versatur circa ea, quae sunt de substantia matrimonii, atque idcirco matrimonium impeti potest, licet, errore perseverante, corporum coniunctio sequuta fuerit; idque exemplo aliorum contractuum illustratur. Si quis enim paciscitur se praecise vendere domum suam Petro amico suo, aut empturum ab artifice laminam argenteam ; alius autem Petrum se esse simulans, domus possessionem acquireret, vel artifex pro lamina argentea daret stamneam, nulla esset possessio et nulla venditio, quia neque cum hac persona, neque circa hanc materiam contrahens assensum praebuit; alias enim ab illo fraude extorqueretur, quod nullatenus excogitavit (1).

(1) Ex his quisque facile intelligit, quaenam sit mea sententia quoad quaestionem nempe an error personae physicae constituat impedimentum ex consensus defectu propositam.

Quod vero spectat errorem *personae civilis*, regula est, ex lege hodierna, per huiusmodi errorem matrimonium dirimi, eo quod nomen familiae, in quo erratur, tanti ponderis censetur, ut primarium matrimonii obiectum constituat, et certam ac individuam personam designet, ac determinet. Quapropter affirmari potest, errorem hunc eiusmodi esse, ut directe personam afficiat, eiusque identitatem tollat, atque adeo circa *quid individuum* versetur, et in ipsam eius substantiam transeat ac reducatur, seu potius « redundet in eam qualitatem, qua sola futuri coniugis persona determinatur » prout habetur in instructione a Card. Archiep. Viennensi composita pro iudiciis Eccl. Imperii Austriaci. Itaque error iste, veluti redundans in substantiam personae, semper consideratur (1). Mourlon t. 1, p. 347 ait ad rem: *Il n'y a pas ici erreur dans l'individu, mais il y a erreur dans la personne civile, puisqu'on s'est trompé sur l'état principal et civil de l'individu, c'est-à-dire que Louise s'est mariée avec lui, parce qu'elle le croyait de telle famille, tandis qu'il appartient à telle autre.*

Novi non deesse doctores, qui errorem *personae civilis* non ad solum nomen, ac genus coarctant,

(1) Iure canonico error qualitatis tum solum nuptias dirimit, cum qualitas, in qua erratur, per modum conditionis, apposita est, aut cum contrahens ei qualitati ita consensum suum alligavit, ut, si haec absit, animum contrahendi non habeat; tunc enim error qualitatis redundat in errorem personae. Fieri itaque potest, ex dictis, ut error personae civilis constituat quandoque impedimentum etiam canonicum. Id autem ex peculiaribus circumstantiis rerum, et personarum diiudicandum est, quod quidem iudicium gravissimum est, ac periculosae plenum aleae.

sed ad omnes *praecipuas ac primarias personae qualitates* extendendum esse arbitrantur. Hi enim putant aboleri ex errore posse connubium, quod, ex. gr., vir ad triremes perpetuo damnatus, sed postea libertate donatus, aut etiam monachus professus, vel clericus sacris ordinibus initiatus, contraxit cum puella, quae nil de poena, aut voto, aut ordine sciebat: *La loi civile*, ait Toullier, *deviendrait odieuse et tyrannique, si elle contraignait une femme trompée à vivre dans une union contraire à sa religion et à sa conscience* (1). Verum alii plures huic opinioni non penitus assentiuntur, quos inter recensendi sunt Pailler, *Manuel de droit civil*, t. 1, p. 85, Rognon *Code Civil* t. 1, p. 48, Carrière *de Matr.* p. 299, Gousset *Le Code Civil expliqué* n. 27, et Mourlon, qui haec habet: *Le pouvoir discrétionnaire, absolu et limité est trop essentiellement contraire à l'institution du mariage, pour qu'on puisse l'induire d'un texte qui ne le renferme pas expressément.* Hi doctores innituntur tum auctoritate tum ratione. Auctoritate, quia Supremum Tribunal Lutetiae Parisiorum, (la Corte di Cassazione) die 25 Apr. 1843 decrevit, ex harum qualitatum errore, matrimonium nullatenus dirimi, quia per eum non tollitur consensus in primarium matrimonii obiectum, quod est persona. Ratione vero, quia qualitates primariae, licet

(1) Novi dari iurisperitos, qui eo progrediuntur, ut totis viribus sustinere non vereantur, impedimentum erroris tum etiam exstare, quum mulier aut nubit viro, quem iam foro cessisse penitus ignorabat, aut cum eo contrahit, qui renuit ac pertracte detrectat datam fidem sese sistendi in faciem Ecclesiae ad copulationem ratam validamque coram Deo habendam. Marcadé et Bressolles tenent « que le refus de procéder à la célébration

causae sint, quae ad contrahendum plerumque impellunt, non inde tamen sequitur, matrimonia, quae ex hoc errore contrahuntur, involuntaria absolute, et quoad substantiam a iure civili haberi. Qui enim sic contrahunt, in certam ac determinatam personam consentiunt, solumque in eo falluntur, quod identitatem personae, et eius substantiam nullomodo tangunt (1).

Haec autem, quae dicta sunt de primariis qualitatibus, potiori ratione procedunt, quando de errore circa qualitates secundarias agitur. Re quidem vera si error qualitatis cuiuslibet, ex hodierna lege, nuptias irritas faceret, omnia propemodum matrimonia, magno prolis et reipublicae detrimento, dissolvi possent, cum vel nulla, vel pauca admodum ea sint, in quibus aliquis error circa qualitatem non contingat (2).

religieuse constitue un cas de nullité pour erreur sur la personne. » Verum M. Decolombe suo op.: Traité du mariage t. 2, p. 482, huic sententiae non assentitur, et solum admittit tunc locum dari separationi corporis, cum pars promissis haud stare voluerit, quia, ut eius utar verbis: « lorsqu'en effet la célébration religieuse a été promise, soit expressément, soit tacitement; et que l'autre époux a dû y compter (ce qui fera une question de fait) le refus de son conjoint est envers lui une injure grave, puisque ce conjoint veut le forcer à vivre dans un état qui à ses yeux ne serait qu'un concubinage. »

(1) Hic sermo est de impedimento erroris, et nullo modo de illo, quod ex voto ac ordine in casu proposito oritur. Quaeritur nempe, an error circa has qualitates, etiamsi votum et ordo impedimentum non constituerent, matrimonium irritet, seu verius, an praeter impedimentum dirimens ordinis, ac voti, adduci etiam possit in medium erroris impedimentum.

(2) Quandonam ex iure canonico error qualitatis et fortunae efficere possit nullum et irritum matrimonium, vide quae a nobis dicta sunt superius, ubi de erroris impedimento egimus.

Modo, ut huic impedimento erroris ultimam manum imponamus, restat, ut notemus actionem pro matrimonii nullitate promoveri a sponso tantum posse, qui in errorem inductus est, prout verba cit. articuli aperte innuunt. Actio vero non amplius admittitur, *se vi fu coabitazione continuata per un mese, dopo che lo sposo ha... conosciuto l'errore.*

Videndum nunc est, quid importet impedimentum dirimens ex defectu consensus eorum, a quibus sponsi aetate minores dependent. Iam vero huiusmodi impedimentum in eo situm est, quod masculus ante 25, et femina ante 21 aetatis suae annum completum, sine parentum consensu et auctoritate, matrimonio valide ineundo omnino inhabilis sit. Id expressis verbis statuitur art. 63: *Il figlio, che non ha compiuto gli anni venticinque; la figlia, che non ha compiuto gli anni ventuno non possono contrarre matrimonio senza il consenso del padre e della madre.*

Si filii legitimi sunt, ii a patre et matre dependent, et eorum consensum habere tenentur. Si alter defunctus sit, aut nequeat suam manifestare voluntatem, alterius sufficit consensus. An sufficiens sit matris consensus, quae alterum virum legitime duxit, in disputationem vocatur, et duplex adest sententia, de qua vide Locré, *Esprit du Code Civil* t. 3, p. 105. Si agatur de filio adoptivo, qui annum 21 nondum explevit, praeter parentum consensum, adoptantis etiam consensus postulatur. Art. 63. Si parentes mortui sint, vel ob imbecillitatem, aliasque causas, consensum exprimere nequeant, ascendentes ex utraque linea, seu avi, aviaeque, et, his deficientibus, proavi,

proaviaeque locum eorum tenent, proindeque tum masculi, tum feminae ad annum usque vigesimum primum, eorum consensum habere debent, et, illis deficientibus, nec exstante adoptante, consensus consilii familiae requiritur. Unde sequitur, filios, praemortuis parentibus, expleto iam anno 20, fieri sui iuris, seu aetate maiores, atque matrimonium, absque ullo consensu, libere tunc inire posse.

Si vero filii sunt mere naturales, distinctione opus est : vel enim sunt legaliter agniti, vel non. In priori casu, indigent parentum consensu, ac si legitimi essent, et, parentibus mortuis, aut facultate destitutis voluntatem suam exprimendi, consensum consilii tutelae habere prorsus tenentur, etiamsi alii ascendentes existant, quia parentum dumtaxat, non vero avorum, proprium est illegitimos filios agnoscere. In secundo casu, masculi ante annum 25 completum, et feminae ante annum 21 pariter expletum, absque consensu consilii tutelae, nubere vetantur. Art. 66. Vide Carrière compend. p. 303, et Bouvier tract. de Matr. t. 4, p. 370.

Porro si parentes in consensu emittendo inter se dissentiant, sufficit patris consensus, quia pater familiae caput est, art. 63 : si avi aviaeque dissentiant, avi consensus sufficit; et si ambae lineae inter se dissentiant, dissensus pro consensu habetur; art. 64. Filius qui vigesimum primum annum iam explevit, cum aetate maior factus sit, art. 240, ius habet adeundi tribunal secundi gradus, ut de dissensus causa decernatur. Si agatur de minori, omnes qui cum eo sanguine sunt coniuncti, publicumque etiam ministerium, recursum contra

dissensum promovere iure merito possunt; art. 67.

De iis, qui annum 21 et 25 expleverunt, non est cur loquamur, cum, ex lege, ad contrahendum matrimonium non solum nullius indigeant, ut vidimus, parentum, si qui sint, consensus, sed neque eorum consilium, reverentiae, ac observantiae causa, exposcere teneantur (1).

(1) Praestat hic codicis articulos transcribere:

Art. 63 « Il figlio che non ha compiuto gli anni 25, la figlia che non ha compiuto gli anni 21 non possono contrarre matrimonio senza il consenso del padre e della madre. Se i genitori sono discordi, è sufficiente il consenso del padre. Se uno dei genitori è morto, o nell' impossibilità di manifestare la propria volontà, basta il consenso dell'altro. Al matrimonio del figlio adottivo, che non ha compiuto gli anni 21, è necessario, oltre il consenso dei genitori, il consenso dell' adottante.

Art. 64. Se il padre e la madre fossero morti, o nella impossibilità di manifestare la loro volontà, i minori degli anni 21 non possono contrarre matrimonio senza il consenso degli avi o delle avole; se l'avo o l'avola della medesima linea sono discordi, basta il consenso dell'avo. Il disparere tra le due linee equivale a consenso.

Art. 65. Se non esistono genitori, nè adottante, nè avi, nè avole, o se niuno di essi è nell' impossibilità di manifestare la propria volontà, i minori degli anni 21 non possono contrarre matrimonio senza il consenso del consiglio di famiglia.

Art. 66. La disposizione dell' art. 65 è applicabile ai figli naturali legalmente riconosciuti. In mancanza dei genitori viventi e di adottante capaci di consentire, il consenso sarà dato dal consiglio di tutela. A questo consiglio spetterà pure di dare il consenso pel matrimonio dei figli naturali non riconosciuti, in mancanza di genitori adottivi.

Art. 67. Contro il rifiuto di consenso degli ascendenti, o del consiglio di famiglia, o di tutela, il figlio maggiore di età può far richiamo alla corte di appello. Nell' interesse della figlia e del figlio minore di età potrà farsi richiamo sia dai parenti, o dagli affini, sia dal pubblico ministero. » In Gallia, in

Verum, hoc loco, silentio praeterire non possumus art. 108, in quo statuitur: *Il matrimonio contratto senza il consenso degli ascendenti, e del consiglio di famiglia, e di tutela può essere impugnato dalle persone, delle quali era richiesto il consenso, e da quello degli sposi, di cui il consenso era necessario.* Ex quo articulo descendit, connubium in casu impugnari posse tum *ab iis*, quorum consensus requirebatur, tum a sponso, qui consensu huiusmodi ad matrimonium ineundum indigebat. Verum in priori casu, nullitatis actio nequit amplius intentari, si 1, illi, quorum postulabatur consensus, explicite, vel tacite matrimonium approbaverint, si 2 integrum semestre, ex quo matrimonium ipsis innotuerit, nemine reclamante, elapsum fuerit, hoc est, ut verbis utar art. 109, *quando il matrimonio sia stato espressamente o tacitamente approvato, o quando dalla notizia del contratto matrimonio siano trascorsi sei mesi senza richiamo.* In secundo casu, pariter actio denegatur, si sponsus, postquam annum praestitutum attigerit, semestre elabi permiserit, quin recursum haberet, eod. art. § 1: *L'azione non potrà essere promossa dal coniuge, che dopo raggiunta la maggior età, ha lasciato trascorrere sei mesi senza far richiamo.* Quaeri hic potest, an annus 21 sufficiat, quando adsunt ascendentes? Toullier sequitur sententiam affirmativam cum Delvincourt: sed Merlin putat requiri annum 25, quia, exstantibus parentibus, coniux post hunc annum consentire tantum potest.

Belgio, in Hollandia ac in omnibus ferme regionibus, ubi adest lex civilis quae impedimenta dirimentia matrimonium constituit, eadem prorsus, de hac re, praescribuntur.

Quae de parentum consensus defectu hucusque diximus, viam nobis sternunt, ut propter materiae affinitatem investigemus, quae ad matrimonii valorem aetas requiratur. Ea vero, de iure civili, est pubertas, seu annus 18 in masculo, et 15 in femina utrinque completus. Hinc art. 55 statuit : *Non possono contrarre matrimonio l'uomo prima che abbia compito gli anni* 18, *la donna prima che abbia compiti gli anni* 15. Ideo autem huiusmodi aetas statuitur, quia tunc solum, pubertate adventante, nec incapacitatis praesumptio, nec consensus imperfectio amplius admittitur (1). Duo hic notanda sunt ; 1° est, quod art. 110 habetur, nempe matrimonium non posse impeti, *quando sieno trascorsi sei mesi dopo compiuta l'età richiesta; e quando la sposa ancorchè non giunta a tale età sia rimasta incinta*, quia praesumptio debet cedere veritati ; 2° est, quod art. 111 decernitur : *Il matrimonio contratto prima che gli sposi, o l'uno di essi avesse l'età fissata, non può esser impugnato dagli ascendenti, nè dal consiglio di famiglia, o di tutela, che vi abbiano acconsentito.* Vide Marcadé L. 1, p. 494.

De impedimento ligaminis, non est cur peculiarem disputationem instituam. Nam ex art. 56. et 148 Cod. satis innotescit quid illud sit, et in quonam consistat. Art. 56 habet : *Non può contrarre altre nozze chi è vincolato da un matrimonio*

(1) Iure ecclesiastico ad valorem matrimonii pariter pubertas requiritur; quae tamen est annus 14, in masculo, et an. 12, in femina, mathematice de momento in momentum, vel saltem moraliter completus, quemadmodum patet ex pluribus capitibus, quae prostant in tit. de dispens. impub. et ex interpretibus ad eumdem titulum, ut supra vidimus.

precedente. Art. 148, dicitur : *Il matrimonio non si scioglie che colla morte di uno de' coniugi*. Hinc *la maxime*, ait Portalis, *Code des motifs p.* 230, *qu'on ne peut contracter un second mariage, tant que le premier subsiste, constitue le droit universel de toutes les nations policées*. Verum subdit Bouteville, loquens de populis, qui polygamiam admittunt, *bournons-nous à plaindre les peuples qui n'ont point encore une idée plus saine du mariage*. Itaque qui matrimonii vinculo obstringitur, tum tantum capax est alterius ineundi, cum, morte coniugis, prius vinculum dissolutum fuerit. Nemo itaque secundas nuptias inire potest, nisi de morte prioris coniugis certo constet. Porro certitudo de obitu prioris coniugis *generatim* talis esse debet, ut nullus de ea dubitandi locus relinquatur. *Speciatim* vero qualis sit oportet, et quinam istius assequendae modus, ex iis, quae de authentico ad hoc testimonio, praescribuntur cap. IV. Codicis, haud difficile est eruere. Inquirendum nunc superesset, an testimonii huiusmodi defectui suppleri possit per probationes, quae fulciantur vel duobus testibus, vel instrumento e registris sepulturarum extracto, vel aliis mediis, quibus omnis tollatur scrupuli et dubii causa. Sunt qui affirmativam sequuntur sententiam, et dicunt sufficere certum de morte coniugis nuntium, prout in cap. In praesenti de Spons. et Matr. in Iure Can. dicitur. Verum validiora, ni fallimur, ea momenta sunt, quae negativae sententiae assistunt, cui quidem sententiae praxis in Gallia, ac in Belgio omnino favet, ac fulcimen praebet.

Quae ex ligamine oritur nullitas, ab omnibus, quorum interest, et ab ipso ministerio publico,

invocari potest. Ipse coniux hoc iure, quolibet tempore, uti potest art. 113. Excipitur tantum casus, quo secundum matrimonium, altero coniuge absente, contractum sit, quandoquidem, durante eius absentia, impeti a coniuge nequit. « *Il matrimonio contratto dal coniuge di un assente non può essere impugnato, finchè dura l' assenza.* » Art. 113. Nullitas, quae oritur ex ligamine, non purgatur, etiamsi prius matrimonium dissolvatur. Verum si alter coniux obierit, publicum ministerium agere pro nullitate nequit; art. 114.

Gradum modo faciam ad impedimentum dirimens, quod, tum ex cognatione naturali, seu carnali, et ex affinitate, tum ex cognatione civili, seu legali proficiscitur. De cognatione spirituali in iure civili non est sermo. Ad cognationem naturalem et ad affinitatem quod primo spectat, apertus est sermo in art. 58 et 59. In priori dicitur: « *In linea retta il matrimonio è vietato fra tutti gli ascendenti e discendenti legittimi o naturali e gli affini della medesima linea.* » In altero habetur: « *In linea collaterale il matrimonio è vietato* 1° *fra le sorelle e i fratelli legittimi o naturali;* 2° *fra gli affini nel medesimo grado;* 3° *tra lo zio e la nipote, la zia ed il nipote.* » Patet itaque impedimentum existere 1° in linea recta inter omnes ascendentes ac descendentes, sive legitimos, sive naturales, atque etiam inter affines eiusdem lineae in quolibet gradu in infinitum; 2° in linea transversali, seu collaterali inter fratres et sorores sive legitimos, sive naturales; 3° inter affines eiusdem gradus; 4° inter avunculum, aut patruum et neptem, et inter materteram, aut amitam et nepotem, quia ii invicem parentum, et liberorum loco

sunt. Ex quibus satis aperte apparet a Civ. lege ea tantum admitti impedimenta, quae in c. XVIII Levitici exprimuntur.

In Codice civili de gradibus non est sermo, quia in nuptiis contrahendis spectatur tantum, an personae qui connubium inire volunt, parentum et liberorum locum invicem obtineant, et fratres et sorores sint. Gradus autem potissimum numerantur, vel causa haereditatis, seu haereditatum ab intestato, vel causa tutelarum, et bonorum possessionis. Inde ratio apparet, cur in numerandis gradibus lex civilis a canonico iure discrepat. Lex civilis enim non potest dignoscere, quis sit defuncto, vel pupillo agnatus aut cognatus proximus, qui remotiores excludat, nisi utriusque lateris personas enumeret ac percurrat, et ita gradus cognoscit, ac in singulis personis praefigit, adeo ut tot distent inter se gradibus, quot eae sunt, dempto stipite. Ius vero canonicum e contra, gradus computat, matrimonii causa, quod sine duabus personis contrahi non potest; ideo SS. Canones duas in uno gradu personas constituerunt. Accedit illud, quod, iure canonico, personae, de quarum nuptiis quaeritur, ad proximum communem stipitem referuntur. Haec causa est matrimonii impediendi, et in ipso simul collecti existimantur omnes, qui sunt in altero latere, quique non numerantur, proinde unum tantummodo computatur latus; et persona, de qua agitur, tantum distat ab omnibus alterius aequalis lateris personis non numeratis, quantum distat a stipite.

Tria, hoc loco, quaeri possunt; 1° an cognatio mere naturalis legaliter non agnita impedimentum producat? 2° an affinitas naturalis impedimentum

pariter constituat? 3° an matrimonium inter magnum avunculum vel patruum, et parvam neptem prohibitum sit? Ad primam quaestionem affirmative respondeo cum Merlin t. v, verb. *Empêchements*, § 4, a. 4, p. 707, praesertim quod publicae honestati repugnat, « ut pater filiae suae in coniugem dare possit filium naturalem, quem actu privato agnovit, vel manifeste, et palam, ut filium habuit » ut observat Carrière, t. 2, n. 983. Ad secundam quaestionem pariter affirmative respondendum est, si agatur de affinitate, ex commercio licito, quom id et textui legis, et menti legislatoris respondeat. Si sermo sit de affinitate ex commercio illicito, non omnes sentiunt idem et unum. Merlin loc. cit. censet quidem bonis moribus valde congruere, ut impedimentum, ex hac etiam affinitate, oriatur, sed simul fatetur legem id non statuisse. Delvincourt, et Nougarède animadvertunt legem non explicare, quid per affinitatem intelligatur, adeoque tenent affirmativam sententiam. Duranton putat adesse impedimentum, si legaliter constet de commercio illicito, non quidem per agnitionem filii illegitimi, quia concubinatus non est aliquid legale, sed per matrimonium, quod aliqua causa irritum fuerit declaratum. Ad 3 affirmativam sequuntur sententiam Duranton p. 168, et Hatteau p. 275. Vide Brixhe Manuel p. 207.

Omitti hic nullo modo potest, quod art. 59 de avunculo, aut matertera, eiusque nepotibus, ac neptibus naturalibus, nec non de affinibus in eodem gradu, nullam mentionem facit. Quapropter statui potest, matrimonium civile inter avunculum et neptem, aut materteram et nepotem illegitimos, legaliter non prohiberi, illudque pariter permitti

inter viduum et neptem uxoris suae iam defunctae, aut inter viduam et nepotem sui mariti mortui. Toullier t. 1, p. 538, et Rognon *Code civil expliqué*, p. 543.

Sed iam eo loci devenimus, quo oportet de civili et legali cognatione sermonem instituere. Iam vero lex adoptionem solummodo imperfectam, quae ab illa romanorum non multum discrepat, agnoscit et admittit tit. VII, c. 1 et 2, art. 202-219, et de ea haec statuit, art. 60: « *Il matrimonio è proibito fra l' adottante e l' adottato ed i suoi discendenti: tra i figli adottivi della stessa persona, tra l'adottato ed i figli sopravvenuti all'adottante; fra l'adottato ed il coniuge dell' adottante, e tra l'adottante ed il coniuge dell' adottato.* » Non defuerunt auctores, qui affirmarent sermonem hic esse de impedimento tantum prohibente. Cl. Delvincourt, ait: « *C'est l'opinion la mieux fondée dans les principes du Code civil.* » Verum contraria sententia omnino tenenda est, uti observant Boston Theol. Rothom. p. 553, Concordance, p. 251, et Carrière, qui haec habet op. de Matr. t. 2, p. 987, « licet dicatur tantum matrimonium prohibens, agnoscitur esse impedimentum dirimens, » et in Compendio p. 301: « Vulgo agnoscitur hic exprimi impedimentum dirimens, et quidem magis extenditur, quam in iure romano, cum impediat matrimonium inter plures filios adoptivos eiusdem personae. »

Hisce sic expositis, non est cur hic inquiramus, an cognatio legalis, quae ex adoptione imperfecta oritur, impedimentum etiam canonicum constituat, quandoquidem ex iis, quae in tractatu de Matrimonio § 20 dicta sunt, satis apparet quid hac de

re sentiendum sit. Quaestio quae submoveri adhuc potest ea est, an Ecclesia agnoverit, ac suum fecerit etiam impedimentum civile, quod oritur 1° in linea recta inter adoptantem et adoptati descendentes; et 2° in linea collaterali inter liberos eiusdem personae? Quoad primam quaestionem, cum ius antiquum civile loquatur tantum de impedimento inter adoptantem et adoptatum, cum insuper inter canonistas adsit opinionum discrepantia, an cognatio haec ultra primum gradum sese extendat, consultum est in praxi, ubi huiusmodi quaestio sese offerat, ad s. Sedem recurrere. Ad secundam quaestionem quod spectat, tota difficultas in eo est, quod lex hodierna impedimentum statuit inter filios adoptivos eiusdem personae, nec restrictionem iuris romani admittit, iuxta quod impedimentum obtinebat quandiu adoptivi manebant sub potestate adoptantis, adeoque, alterutro emancipato, vel cessante adoptione, cessabat. Quaestio itaque in eo est, an Ecclesia agnoscat pro matrimonio christiano dispositionem hanc iuris moderni, vel potius decernat standum esse iuri antiquo. Quum nihil statutum sit hac super re, necessarium est s. Sedem consulere, si quaestio haec proponatur.

Sed iam a nobis nonnulla exponenda sunt de duplici impedimento dirimente, quod respicit matrimonium civile, non secreto omnino celebratum, sed clandestine, hoc est, absque praesentia ministri lege praescripti, et extra locum designatum. Codex art. 93 habet: « *Il matrimonio deve essere celebrato nella casa comunale e pubblicamente, innanzi all'ufficiale dello stato civile del comune, ove uno degli sposi abbia il domicilio o la residenza.* »

Articulus hoc sibi praecipue proponit, ut statuat, matrimonium ob legalem clandestinitatem, seu ob defectum publicae eius notitiae, aboleri iure merito posse. Verum Mercadé, t. 1, p. 579, aliique auctores, distinguunt inter notitiam facti (*celebrato pubblicamente*) et inter notitiam iuris (*avanti all'uffiziale competente*), atque adeo duo separata impedimenta agnoscunt. Sit itaque prius sermo de notitia facti.

Iamvero formae et conditiones, quae requiruntur, ut matrimonium facto notorium dicatur, sunt 1° promulgatio peracta duobus diebus dominicis sese immediate sequentibus, art. 70; 2° libellus proclamationum prope domus communalis ianuam publice expositus, per totum temporis spatium, quod inter duplicem proclamationem elabitur, art. 70, 71, 72; 3° praesentia duorum testium, art. 94; 4° denique celebratio matrimonii in domo communali intra tempus determinatum, art. 92. Si 180 dies, a proclamationibus peractis, effluxerint, antequam matrimonium fiat, proclamationes denuo faciendae sunt, art. 77. Hae porro conditiones, ac formae, quae a lege praescribuntur, non adeo strictim ac absolute expostulantur, ut, si una vel altera desit, matrimonium illico nutet, et vitio defectus notitiae laboret. Sane legislatoris mens fuit, ut matrimonia semel inita tam facile non dirimerentur, adeoque iurisperiti dicunt exceptiones, in hac re, facile esse admittendas. Ita sentiunt plerique auctores, qui hanc quaestionem in Gallia pertractarunt. Hinc Mourlon, t. 1, p. 333, ait: « *La question de savoir, si le mariage a reçu, ou non, une publicité suffisante est entièrement abandonnée à l'appréciation des juges.* » Vide

Merlin l. c. Ulterius dari possunt matrimonia civilia *secreta*, quae tamen nullo clandestinitatis vitio laborant, ut observat Malleville Analyse de la discussion du Code. « *Hodie*, ait Carrière, n. 1011, *matrimonia, modo observatae fuerint formae a lege praescriptae, valida erunt omnino, etiamsi nihil non tentetur, ut occulta permaneant.* » Unde sequitur, ex diversis rerum adiunctis, et ex aequa tribunalium aestimatione, potius quam ex impletis omnibus conditionibus dependere, num matrimonium publicum sit, ac proinde validum, nec ne. Delvincourt, p. 69, Toullier t. 1, p. 569, Locré 3, p. 422 et Carrière *de Matr.*, t. 2, p. 244, agnoscunt proclamationes non requiri, sub poena nullitatis, sed sub multa.

Verum aliquod facessere potest negotium matrimonium in alio regno celebratum intra duos cives, aut intra civem ed advenam, eo quod validum dicatur art. 100, dummodo: « *il cittadino non abbia contravvenuto alle disposizioni contenute nella seconda sezione del capo 1 di questo titolo. Le pubblicazioni devono farsi anche nel regno a norma degli art.* 70 *e* 71. » Verba haec important necessitatem publicationum, ita ut ob harum defectum, matrimonium irritari possit? In Gallia, ubi Codex art. 170, loquitur de matrimonio extra patriam, eadem quaestio proposita est, et nonnulli auctores putarunt matrimonium, extra patriam initum, irritum fore, si proclamationes omissae fuerint. Ita sentiunt Delvincourt et Nougaréde. Ast Toullier, et Vazeille innixi decisionibus plurium tribunalium, contrariam sequuntur sententiam, nullamque distinctionem, inter matrimonium extra patriam, et in patria celebratum, admittunt. Merlin *Répert. de*

Jurisp. v. Bans, quaestione fusius discussa, concludit, matrimonium irritum declarari, si omnis publica actus notitia defuerit, non vero, si sola promulgatio omissa fuerit. Idem tenet Duranton, p. 238. Hanc sententiam eo libentius, quoad Italiam, nos amplectimur, quod art. 100 Codicis ita redactus esse nobis videtur, ut omne dubium adimat. In Codice namque Gallico matrimonium extra patriam celebratum dicitur validum, « *pourvu qu'il ait été précédé des publications.* » Inde oritur difficultas, quia proclamationes conditionem *sine qua non* importare videntur. Sed Codex subalpinus loquitur de necessitate publicationum, postquam conditiones implendas pro matrimonii validitate posuerit, unde concludi potest, promulgationes minime constituere conditionem, cuius omissione, matrimonium irritationi subiiciatur. Id confirmari posse videtur ex art. sequenti, ubi dicitur: « *Il cittadino che ha contratto matrimonio in paese estero, deve, nei tre mesi dal suo ritorno nel regno, farlo iscrivere ne' registri dello stato civile del comune, dove avrà fissato la sua residenza, sotto pena di una multa estensibile a lire* 100. » Eadem namque est loquendi ratio, tum in hoc articulo: *deve fare iscrivere il matrimonio ;* tum in altero: *le pubblicazioni debbono anche farsi.* Unde satis apparet, matrimonium extra patriam contractum suos habere ac producere effectus civiles, sive inscriptio intra tres menses omittatur, dummodo constet evidenter de publica matrimonii notitia, sive proclamationes omissae fuerint, si matrimonium aliunde notorium sit.

Unum de matrimonio extra patriam inito adhuc adnotare praestat. Quae impedimenta incolas per-

sonaliter, ac directe tangunt, eadem iis inhaerent, eosque ubicumque, in disiunctis etiam ac dissitis locis, commorentur, continuo sequuntur. Quare nemo ex regno, alio vivens, ac domicilium habens, connubium contrahere cum concivi sua, 14 annos tantum nata, potest, licet ibi lege permittatur, ut puella post annum 12 nubere valeat: uterque enim legibus sui regni obstringitur. Contra, si ipse idem in uxorem duceret puellam illius regionis, quae annum pubertatis iuxta morem vigentem attigerit, matrimonium validum erit, ut observant Delvincourt et Toullier. Vide Bouvier t. 4, p. 372. Haec de cive, qui extra regnum matrimonium inire vult, incolatus sui tempore; quae advenam respiciunt, qui in regno nubere intendit, habentur art. 102 et 103, quos perspectos habere Parocho valde iuverit.

Sed ut eo, unde digressi sumus, revertamur, omnia quae de proclamationibus disseruimus, aptari iure possunt testibus, quorum praesentia non est adeo essentialis, ut, si ipsi absint, matrimonium abolendum sit; sufficit enim, ut aliunde constet, matrimonium reapse publice initum fuisse. Id fuse probant Merlin, *v. Mariage sub.* 4. Nougarède t. 6, c. 8, et Carrière t. 2, p. 47. In Gallia quatuor testes adesse debent, attamen Toullier p. 535 putat matrimonium sine testibus celebratum non esse irritandum, ubi alia concurrant rerum adiuncta, quae illud in dubium nullo modo revocent.

Idem plane dicendum videtur de celebratione in domo communali, praesertim cum lex neutiquam prohibeat, quin minister « *si trasferisca nel luogo in cui trovasi lo sposo impedito, ed ivi in*

presenza di quattro testimoni seguirà la celebrazione del matrimonio » art. 97. Ulterius usuvenire aliquando potest, ut, attentis gravissimis circumstantiis, minister extra locum determinatum matrimonium celebrandum esse decernat; quo in casu, quid servandum sit, ut praesumptio clandestinitatis elidatur ac destruatur, exponit fuse Hatteau t. 7, c. 4, § 1, n. 18. Haec, quae diximus, ad factum pertinent. Nunc de iure videndum est.

Certum est notitiam iuris, ex iurisdictione ministri civilis exoriri; unde sequitur matrimonium nullum posse declarari, ubi coram ministro a lege constituto non sit celebratum. Non hic agitur de omnimoda ministri absentia; haec enim impedimentum radicitus, seu stricto sensu, dirimens constituit, et si minister absit, neque praesides cuiuscumque tribunalis, neque notarii, neque alii eius vices gerere possunt. Posito itaque, quod minister officio legitime fungatur, hoc est, quod reapse ac vere minister sit iuridice deputatus, et insuper praesens actui existat, quaeritur, quid requiratur, ut ipse idoneus sit ad matrimonium civile rite celebrandum, seu in quonam consistat eius iurisdictio, ut matrimonio legaliter praeesse possit? Responsio obvia est ac facilis ex art. 93 iam citato. Etenim iurisdictio oritur ex domicilio, aut commoratione alterius saltem coniugis in loco, ubi minister deputatus est. Si itaque nullus ex sponsis nec domicilium, nec moram habeat in loco, in quo minister suo fungitur officio, iuxta sententiam plurium doctorum, impedimentum dirimens habetur, propterea quod iurisdictio adeo una ac indivisa est, ut dispesci nequeat, nec *plus ac minus* ullo modo admittat. Alii autem aliter sentiunt, atque

tenent quaestionem de iurisdictione confundi cum quaestione de sufficienti matrimonii notitia, quae pendet a prudenti iudicis arbitrio, et *plus ac minus* admittit. Si itaque iudici compertum sit, connubium fuisse, propter notitiam in vulgus editam, vere contractum, illud validum permanebit, licet minister proprius non fuerit ex iurisdictionis defectu. Quapropter Mourlon t. 1. p. 334, licet admittat matrimonium impugnari posse ob iurisdictionis ministri defectum, tamen non diffitetur posse iudices, attentis circumstantiis, vel abolendum, vel conservandum decernere, licet minister coram quo fuit celebratum, domicilii, vel commorationis alterutrius sponsi minister non sit. Confer Paillet t. 1, p. 88.

Non erit hic abs re rem exemplis, claritatis gratia, illustrare, 1. Casus. Caius et Caia, nonnullis abhinc mensibus, domicilium Augustae Taurinorum translatis bonis, elegerunt, ibique moram duxerunt. Antea ipsi Florentiam incolebant, ubi bona possidebant, et parentes, amicos, ac cognatos habebant, quos singulis hebdomadibus adibant. Nemo non videt ministrum status civilis urbis Taurinorum habere iurisdictionem ad consensum utriusque pro matrimonio excipiendum. Sed quaeritur, an etiam minister Florentinus, ubi sponsi nec domicilium, nec sedem amplius habent, aliquali iurisdictione in eos polleat? Duplex adest sententia, et multa in utramque partem disputantur.

2. Casus. Titius et Titia Civitatem Florentinam, ubi sedem et domicilium habebant, relinquunt, et alio se conferunt, ibique domicilium figunt. Verum iter postmodum aggrediuntur, et Florentiam petunt, ibique post paucos dies, coram ministro

civili matrimonium contrahunt. Agitur hic de iurisdictione, ratione personarum, et certum est matrimonium impeti posse, propterea quod sponsi nec domicilium, nec sedem Florentiae amplius habent. Non desunt tamen auctores, qui arbitrantur, sapienti iudicis aestimationi relictum esse, ut, omnibus attente consideratis, matrimonii validitas decernatur, si de publica matrimonii existentia satis constet.

3. Casus. Claudius et Claudia, incolae Florentini, servatis servandis, in domo communali, coram alterius loci ministro civili, quo cum intima coniunctione devincti erant, coniugium iniverunt. Agitur hic de ministri iurisdictione, ratione loci. Nullus ambigendi locus relinquitur, quin matrimonium aboleri possit; ast quaeritur, an necessario iudices irritum esse matrimonium decernere debeant? De hac quaestione triplex adest sententia. Prima negat, eo quod dispositio art. 93 applicari tantummodo debet ministro, qui *ratione personae* iurisdictionem habet. Secunda affirmat omnino, in casu esse matrimonium radicitus irritum, quia minister extra territorium sibi subiectum est simplex privatus, adeoque nullam actui vim conferre potest. Tertia tandem admittit matrimonium probari posse, sed simul prudenti iudicum arbitrio prorsus permittit, ut, omnibus attente inspectis, matrimonium ipsum vel infirment vel confirment. Vide Mercadé t. 1, p. 499, Mourlon et Paillet loc. cit.

Unde cum Carrière n. 1016 possumus concludere « *rigidam non adeo esse legis civilis praescriptionem, quoad formas requisitas in matrimonii celebratione, ac prima fronte videri posset.* »

Non est cur de caeteris formis, quae art. 79-80 praescribuntur, verba faciam, quandoquidem apertum est, ex dictis, ad substantiam contractus civilis eas nullomodo pertinere, adeo ut ex earum omissione connubium haud dissolvatur. Vide Bouvier t. 4, p. 374, et Carrière l. c. Merlin eo progreditur, ut affirmet validum esse matrimonium, licet actus vel nullatenus scriptus, vel iamdiu redactus fuerit.

Tria praestat hic accurate notare ; 1 est, quod nullus minister in proprium suum, aut suorum liberorum matrimonium civiliter celebrandum iurisdictionem habet. Tunc enim necesse est, ut alius delegetur; 2. est, quod non admittitur amplius nullitatis petitio ob iurisdictionis defectum in ministro, post integrum matrimonii annum, ex art. 104; 3. est, quod nullitas matrimonii, *saltem relate ad sponsos*, purgari ac contegi potest, ex *possessione status*. Vide quae notantur art. 118, 119 et 120. Possessio status habetur, quando, diversis rerum adiunctis, praesertim *nomine, tractu*, ac *fama* probatur, uti legitimos sponsos vulgo haberi. Dixi saltem *relate ad sponsos*, quia nonnullis placet, id *quoad omnes* locum habere. Mercadé t. 1, p. 580 ait: « *La nullité pour défaut de publicité matérielle, ou civile, se couvre par la possession d'état, c'est-à-dire, par la publicité que le mariage acquiert postérieurement à sa célébration, et qui attribue aux conjoints, aux yeux de tous, la qualité d'époux légitimes. Ce sera encore aux tribunaux à décider, en fait, s'il y a publicité suffisante pour couvrir la clandestinité primitive de l'union.* »

De impedimento impotentiae pauca admodum

notanda sunt. Impotentia est « incapacitas consummandi matrimonium, seu habendi perfectam copulam coniugalem. » Impotentia multiplex distinguiur, sed ea tantummodo, lege civili, dissolvit matrimonium, quae manifesta, perpetua, et antecedens est, quamvis ex parte unius dumtaxat ex contrahentibus se teneat. Etenim statuitur art. 102: « *L'impotenza manifesta e perpetua, quando sia anteriore al matrimonio, può essere proposta, come causa di nullità dall'altro coniuge.* » Id porro consonat tum iuri canonico, ut patet ex tit. de frigid. et malef.; tum iuri naturali, siquidem matrimonium involvit mutuam traditionem potestatis corporis ad copulam, et impotentia perpetua, et antecedens, ex natura rei huiusmodi traditionem impossibilem efficit. Nam nemo potest tradere potestatem illius actus, quem nullatenus habet in sua potestate ; nec etiam potest se obligare ad id, quod dare vel facere nequit, cum impossibilium nulla sit obligatio leg. 185 ff. de R. I., unde sicut in aliis contractibus non valet obligatio, qua quis spondet id quod non potest, ita nec in matrimonio.

Ex verbis citati articuli colligitur, matrimonium eorum, quorum alter probatur impotens, non esse propria contrahentium, sed iuridici auctoritate dissolvendum, dummodo tamen alter impotentiae labem ad sollicitandam connubii nullitatem proposuerit.

Crimen tandem est etiam impedimentum civile. Ad praecavenda adulteria, et caedes coniugum, atque in iustissimam horum criminum poenam, Ecclesia, provido sane decreto, constituit, ut, inter tanti flagitii complices, matrimonium dirimeretur,

videlicet constituit, ut dirimens matrimonii impedimentum esset; 1. Coniugis homicidium, ab utraque parte in eum finem procuratum, ut simul nuptias inire possent. 2. Homicidium cum adulterio. 3. Adulterium cum promissione futuri matrimonii. 4. Adulterium et matrimonium, vivente coniuge, cum adultera attentatum. Haec quatuor criminum genera de iure ecclesiastico, matrimonium dirimunt, ut in tractatu de matrimonio exposuimus. At iure civili, homicidium simplex solummodo matrimonii impedimentum constituit ea ratione, qua habetur art. 82 : « *Chi fu in giudizio criminale convinto reo, o complice di omicidio volontario commesso, mancato o tentato nella persona di uno dei coniugi, non può unirsi in matrimonio coll'altro coniuge. Se fu soltanto pronunciata la sentenza di accusa, ovvero ordinata la cattura, si sospenderà il matrimonio fino a che il giudizio sia terminato.* » Res explicatione non indiget. Ex hisce verbis statim patet, in quo civile a canonico iure, quoad hoc impedimentum, discrepet. Illud certum est in iure canonico, ex simplici homicidio non oriri impedimentum criminis. Hinc est, ut si quis interficiat alterius coniugis maritum, ut eam in uxorem ducat, matrimonium iniri inter utramque poterit, utpote quod nullis legibus canonicis reprobatum constet. Sunt non pauci ex theologis et canonistis, qui fatentur optandum esse, ut Ecclesia hoc etiam in casu impedimentum dirimens statueret.

Sed iam videndum est, 1° quasnam nullitates singula, quae hucusque exposuimus, impedimenta producant; et 2° quaenam sint iuris ecclesiastici impedimenta, quae in codice civili non habentur,

et quaenam e contra in eodem admittantur, quorum nulla in iure canonico mentio fit. Ad primum quod attinet, ex iis quae hactenus protulimus, facili iam negotio intelligitur, quod ex duplici impedimento radicitus dirimente nullitas *absoluta et perpetua* exoriatur; absoluta oritur, quia ab omnibus interesse habentibus, et ab ipso publico ministerio invocari potest; perpetua vero, quia nulla prorsus ratione purgari, aut contegi civiliter potest. «*Le néant*, ait Mourlon p. 330, *n'est point susceptible de ratification.*» De impedimentis per abrogationem dirimentibus haec statui posse videntur; 1. ex defectu libertatis in consensu utriusque vel alterutrius contrahentium, existit *nullitas relativa et temporaria;* 2. ex errore unius circa personam, tum physicam, tum civilem, prodit *nullitas relativa ac temporaria;* 3. ex defectu consensus eorum, a quibus sponsus minor aetate dependet, exsurgit *nullitas temporaria ac relativa;* 4. Ex defectu pubertatis nascitur *nullitas absoluta* simul ac *temporaria;* 5. ex ligamine sequitur nullitas *absoluta ac perpetua;* 6. ex consanguinitate, affinitate, ac cognatione legali oritur nullitas *absoluta ac perpetua;* 7. ex defectu notitiae, quae tum a iure, tum a facto procedit, enascitur nullitas *absoluta et temporaria*, saltem quoad ipsos sponsos; 8. ex impotentia oritur nullitas *relativa et perpetua*; 9. tandem ex homicidio *absoluta et perpetua* nullitas habetur. Art. 104.

Ad alterum quod spectat, manifestum ex dictis est, legem civilem altum silere de canonicis impedimentis, quae oriuntur 1. ex conditione servili; 2. ex voto; 3. ex ordine sacro; 4. ex cognatione spirituali; 5. ex publica honestate; 6. ex

raptu in stricto sensu canonico; 7. ex clandestinitate, vi decreti tridentini; 8. ex crimine, quod importat adulterium et matrimonium, vivente coniuge, attentatum, vel adulterium cum promissione futuri matrimonii; et 9. ex cultus disparitate. Ad caetera impedimenta canonica quod spectat, ex iis, quae superius exposuimus, satis abunde dignoscitur, qua ratione, quove modo, lex ea acceperit, ac sua fecerit. Si quis porro haec omnia serio mente revolvat, attenteque cum iis comparet, quae de impedimentis canonicis superius in tractatu a nobis sunt exposita, manifesto perspiciet nullum ferme adesse canonicum impedimentum, quod, in omnibus, cum civilibus eiusdem nominis ac generis impedimentis amussim concordet, quin imo videbit nonnulla dari, quae maxime discrepant.

Duo hic sedulo notanda sunt. Alterum est: ex quo lex nonnulla impedimenta canonica non recenseat, non inde inferas ea prorsus a lege reiici. Lex ex. gr. de voto solemni, ac de ordine sacro, altum silet; sequitur ne, ex hoc silentio, quod ordo impedimentum civile dirimens non sit? Scio adesse nonnullos, qui affirmativam sequuntur sententiam, ac modis omnibus persuadere conantur a civilibus ministris matrimonia sacerdotum permitti, ac celebrari tuto posse ac debere. Verum pro sententia negativa plura argumenta depromi possunt, tum ex ipsa praecipua regni lege, quae admittit religionem catholicam esse religionem Status, tum ex aliis legibus, quibus Clerus catholicus agnoscitur sacris canonibus subiectus, ac proinde obnoxius effectibus, qui exinde oriuntur, tum demum ex doctorum ac tribunalium auctori-

tate, quae in Galliis, ubi lex pariter de ordine silet, pro impedimento iudicium protulerunt. « *La risposta negativa*, ait Cl. Audisio, *si dimostra storicamente, giuridicamente e moralmente.*» Vide quae ipse habet ad suam thesim demonstrandam in *Archivio dell'Ecclesiastico* fasc. 26, vol. 5 Februar. 1866. Deus faxit, ut Gubernium etiam in hisce Italiae regionibus prohibeat, expressa lege aut decreto saltem *administrativo*, ut aiunt, quominus ministri publici huiusmodi matrimonia in posterum celebrent, aut ut, sin minus iurisconsulti, ac iudices, si res ad eos deferri contingat, quod tamen numquam fore exstiturum licet ominari, exemplum tribunalium, ac iurisperitorum gallorum sequantur, aperteque declarent irritum eorum matrimonium, qui sacros ordines susceperunt, votumque castitatis solemne nuncuparunt. Vide D. Meniot de Demmartin « Mémoire et consultation pour le sieur et la dame Dumonteil, » opus inscriptum « De la jurisprudence sur le mariage des prêtres, dénoncée à la Chambre des Députés, et des régles du Code civil sur le mariage » 1834, Sirey « Recueil des lois et arrêts » t. 19, p. 2, pag. 182, l'Ami de la Religion et du Roi t. 16, p. 51. André « Cours de droit civil ecclésiastique » et « Cours alphabétique et méthodique de droit Canon.» «Henrion Code Eccl. Français.» Chardon « Traité du Dol, » t. 1, n. 22, nec non *La Gazzetta de' Tribunali, Genova* 27 *genn.* 1866, *n.* 4. Alterum notatu dignum illud est, quod impedimenta, de quibus Codex civilis silet, vim suam coram Ecclesia integre exserunt, eo quod auctoritas civilis impedimentum ab Ecclesia constitutum abrogare nec potest, nec vult. Non potest quidem

ut per se patet, et fassus est ipse Napoleon I, quando in discussione haec proferebat: « *On ne peut obliger le ministre des cultes à bénir les mariages valables, suivant les lois civiles, lorsqu'il aperçoit quelque empêchement canonique.* » Conférenc. de Code t. 2, p. 26. In eodem sensu pluries reposuit Portalis. Vide Jouffret t. 1, p. 300. Non vult autem quia, caeteris omissis, laica de matrimonio lex, ex legislatoris voluntate forum externum respicit, adeoque conscientiam non attingit, quin imo in individuo, quadam mentis abstractione, hominem socialem ab homine religioso ita distinguit ac separat, ut alterum quoad relationes mere civiles in ordine externo dumtaxat devinciat, alterum vero liberum prorsus relinquat quoad effectus religiosos in ordine spirituali, seu in iis, quae Deum et conscientiam respiciunt. Ex quo manifestum profecto est, matrimonium christianum, dum in faciem Ecclesiae celebratur, in sua integritate cum suis impedimentis canonicis prorsus relinqui, nihilque lege decerni, quod illi, uti sacramento, obsistat et adversetur.

Tandem tria in Codice habentur impedimenta dirimentia, de quibus nulla in iure canonico mentio fit, eaque sunt 1. defectus consensus parentum; 2. defectus publicae notitiae matrimonii; 3. defectus iurisdictionis in ministro status civilis. Quae enim de notitia matrimonii ecclesiastici, et de praesentia parochi in locis, ubi Concilii Trid. decretum sess. XXIV, c. 1 publicatum est, ac usu receptum, praescribuntur in iure canonico, nil commune habent cum iis, quae a lege civili decernuntur.

De impedimentis civilibus prohibentibus, quae 1. ad oppositionem rite ministro significatam; 2. ad defectum proclamationum, et 3. ad defectum

viduitatis, superius commode nos reduximus, sequentia prae oculis habeantur. 1° Quotiescumque oppositio aliqua fiat ab eo, cui id iuris competit, ob causam a lege admissam, celebratio matrimonii suspensa manet, ex art. 90, ubi aperte enunciatur: « *L'opposizione fatta da chi ne ha la facoltà per causa ammessa dalla legge, sospende la celebrazione del matrimonio sino alla sentenza passata in giudicato, per la quale sia rimossa l'opposizione.* » De iure faciendi oppositionem, deque personis quibus oppositio competit, nec non de modo servando in exercitio huiusce iuris, vide art. Codicis 81, 82, 83, 84, 85, 86, 87, 88, 89. Confer Mourlon t. 1, p. 315-329. 2° Plura de promulgationibus in Codice praescribuntur, quae a ministro strictim sub poena pecuniaria, art. 126, servanda sunt. Verum nemini, ex dictis, dubium esse potest, quin earum omissio impedimentum tantum prohibens importet, ita ut matrimonia, iis posthabitis etiamsi extra regnum celebrentur, valida sint. 3° Tandem de defectu viduitatis habetur art. 57: « *Non può contrarre nuovo matrimonio la donna, se non decorsi dieci mesi dallo scioglimento o dall'annullamento del matrimonio precedente, eccettuato il caso espresso nell'art.* 107. *Cessa questo divieto dal giorno, in cui la donna abbia partorito.* » Nullum dubium, quin quae hactenus dicta sunt, ea ad existentiam impedimentorum sive dirimentium, sive prohibentium pertineant.

Reliquum est, ut de eorum relaxatione aliquid dicamus. Porro dantur quaedam impedimenta, quae a Rege, vel ab auctoritate, cui id muneris commissum est, ob graves causas, relaxari pos-

sunt. Cuius enim est legem condere, eius etiam est, eam solvere. Lex art. 68 haec habet: « *Il re, quando concorrano gravi motivi, può dispensare dagli impedimenti indicati nei numeri 2 e 3 dell'art.* 59 (hoc est in impedimento consanguinitatis inter fratrem et fratris filiam vel sororem, et fratris filium, et affinitatis in primo gradu, lineae transversalis). *Può anche dispensare dall' impedimento dell'età, ed ammettere al matrimonio l'uomo che ha compiuto gli anni* 14, *e la donna che ha compiuto gli anni* 12.» Art. 78 dicitur: «*Il re e le autorità a ciò delegate possono per gravi motivi dispensare da una delle pubblicazioni.... Può anche venir concessa per cause gravissime la dispensa di ambedue le pubblicazioni....* » Quamvis vero lex de omni alia cuiusvis generis dispensatione haud loquatur, non inde tamen inferri debet, Regem facultate destitui dispensationes huiusmodi concedendi, adeoque subditos nequire ad eum recurrere pro dispensationibus obtinendis quoad illa impedimenta lege civili statuta, quae a iure naturali, aut divino aeque simul non proficiscantur, ac prodeant. Etenim plures iurisperiti arbitrantur Principi in regnis etiam, ubi ex forma recepta, eius non est leges ferre, potestatem inesse dispensandi ultra casus per legem expressos, tum quia aliud est, quod lex non dixerit Principem dispensaturum, aliud quod dixerit non dispensaturum, tum quia, licet lex dixisset, Principem non dispensaturum, non inde sequitur, eum dispensandi potestatem amisisse. Vide de Hatteau d'Origny de l'état civil tit. 7, § 1, n. 7, p. 216 (1).

(1) « Si la loi a spécifié (ait auctor hic) les cas, pour lesquels les dispenses pourraient être demandées au Prince, on

Supplices preces pro dispensatione obtinenda procuratori regio porriguntur, qui, additis animadversionibus, ad Ministrum Iustitiae moderandae praepositum eas dirigit. Hic rem ad Regem defert, et edictum obtinet, quod procuratori regio traditur, in regestis deinde, praevio mandato Iudicis, transcribendum. Exemplar tandem edicti ad Ministrum loci, ubi sponsi commorantur, expeditur, et cum caeteris actibus publice exponitur.

PARS SECUNDA — Practica.

Si res ita procederent, ut matrimonium eadem die, tam coram Parocho, quam coram administro civili celebraretur, et praescriptis legis, tum ecclesiasticae, tum laicae simul satisfieret, profecto in praxi vel nulla difficultas adesset, aut si exoriretur, facile solveretur. Verum non ita se res habet. Nam lex civilis nihil omnino sollicita est de iis, quae a lege canonica praescribuntur, et non modicae inde ambages occurrunt, quin imo, ut verba cl. Carion-Nisas, mea faciam: « *aujourd'hui il peut y avoir contrat civil et nul pacte religieux, pacte religieux et nul contrat civil. On peut vivre avec la même femme épouse selon la loi, et concubine selon*

n'en conclura point qu'il lui soit interdit d'en accorder hors de ces cas. Qu'on les considère, comme un acte de justice ou d'indulgence, elles rentrent dans l'exercice de son pouvoir qui est, lorsque la loi ne lui en enlève pas la faculté, de tempérer ce que le droit positif aurait de trop rigoureux dans son application à des circonstances extraordinaires... Ainsi nous pensons que tout particulier qui, dans des cas imprevus, et pour des motifs graves, aurait à demander des dispenses relativement au mariage, pourrait se pourvoir auprès du Roi, en conseil d'état. »

la conscience, épouse selon la conscience, et concubine selon la loi. »

Quae cum ita sint, officii nostri ratio modo postulat, ut praecipuos casus, qui aliquod facessere negotium possunt, in hac secunda parte exponamus, et quid in praxi agendum, faciendumque sit, breviter indicemus. Sic enim haud difficile erit decernere, quandonam et quomodo matrimonium civile et ecclesiasticum, attentis impedimentis a iure canonico et civili praescriptis, secure et sine gravi incommodo contrahi possit.

Quaeritur itaque 1° quomodo agendum sit cum poenitente, vel parochiano, qui matrimonium in faciem tantum Ecclesiae, posthabitis civilibus formis, intendit inire? Quamvis verum fidelium matrimonium in locis ubi viget Tridentinum decr. cap. 1, sess. XXIV, tum solum contrahatur, quum vir et mulier, impedimentorum expertes, mutuum consensum patefaciunt coram Parocho et testibus, secundum praescriptam a Tridentino formam, atque ita contractum matrimonium omnem suum valorem obtineat, nec opus sit, ut a civili potestate ratum habeatur aut confirmetur; attamen valde expedit, ut parochus ad connubium celebrandum sponsos non admittat, nisi serio in antecessum, coram testibus etiam, si oporteat, promiserint, leges omnes de formis civilibus religiose se esse servaturos; ea tamen intentione, ut sistendo se Gubernii officiali, nil aliud faciant, quam ut civilem caeremoniam exsequantur, ut docet Benedictus XIV Brevi, REDDITAE SUNT NOBIS 17 sept. 1746. Quantum utilitatis ex hac sponsione inde derivetur, atque accedat, nemo sane est, qui non videat. Etenim 1° si non omnis sponsis praepeditur via, saltem in parte oc-

cluditur, civiles formas ex qualibet etiam futili causa omittendi, efficiendique, ut matrimonium christianum sanctione externa destitutum, nullo urgente gravi motivo, exsistat; 2° vitantur gravia incommoda, quibus sponsi ipsi, et quandoque etiam parochi, ob neglectam hanc promissionem, fortasse subiicerentur; 3° bono, tum coniugum, tum sobolis prospicitur, quia hoc modo, cum de celebratione matrimonii civilis non amplius dubitari rationabiliter liceat, iam de civilibus, qui exinde derivantur effectibus, coniuges securi sunt; 4° tandem providetur religionis bono, quia satis efficaciter impeditur, quominus coniuges, si eos matrimonii taedeat, maximo omnium bonorum scandalo, mutuo separentur, et cum alia persona matrimonium civile, despecto sacramento, coram ministro civili misere ineant. Diximus consulto, id valde expedire: nam non eo progredimur, ut asseramus nusquam dari casum, in quo matrimonium christianum, qualibet omissa promissione, de implendis formis civilibus, celebrari non solum liceat, quin imo omnino oporteat. Nostrum non est hos casus recensere, multoque minus eos indigitare, in quibus parocho permittitur, ut omnibus rerum adiunctis inspectis, matrimonio benedicat, etiamsi sponsi legi civili parere perfracte recusent. Illud, quod iuxta legem nuperrimam, nemo inficias ire potest, est, nempe in mortis articulo, parochos, pro bono spirituali infirmi, matrimonium celebrare tuto ac secure posse, licet is declaret, civiles formas, si unquam convalescat, se haud esse impleturum.

Quaeritur 2. quid agendum sit cum poenitente, vel parochiano, qui matrimonium in faciem Ec-

clesiae cum impedimento civili, inire desiderat ac intendit? Confessarius, vel parochus debet diligenti examini subiicere impedimenti naturam, quo parochianus vel poenitens detinetur, non quidem, ut infaustae legis exsequutioni cooperationem tribuat, sed ut bono coniugum, et prolis unice provideat. Itaque si impedimentum tolli, civili dispensatione, neutiquam potest, omnes industriae nervos in id intendere debet, ut sponsi a proposito matrimonio, quod civiliter irritum, ac fructibus civilibus destitutum semper esset, omnino avertantur. Si vero impedimentum facile deleri possit, et simul praevideatur matrimonium faustum futurum, consultum sane est, ut sponsi utilibus adiuventur consiliis, quo facilius dispensationem assequantur, eaque obtenta, nil vetat, quominus matrimonium coram Ecclesia in Domino celebretur. In hisce rerum adiunctis, parochus gratissimum parochianis se reddet, si eos, maxima comitate ac urbanitate, exceperit, et de omnibus, quae peragenda sunt, monitos ac vigiles esse voluerit, accurateque docuerit. Quum usuvenire aliquando possit, ut praeter civile, obstet etiam impedimentum canonicum, parochus et confessarius curare debet, ut apostolica dispensatio obtineatur, antequam ipsum civile matrimonium locum habeat. Vitandum namque sedulo est, ne sponsi proximae peccandi occasioni sese exponant, neque ullo modo credant se iam veri matrimonii vinculo esse copulatos, dum tamen matrimonium, ob dirimens canonicum impedimentum, nullum est. Quae cum ita sint, nemo est, qui non videat, quantum intersit, ut parochus impedimenta tum canonica, tum civilia, probe noscat. Tunc enim ipse facile

poterit utrumque impedimentum tempestive removere, et parvi quidem refert, generatim loquendo, definire a quanam dispensatione petenda initium sumi debeat.

Quaeritur 3. Quid agendum est, si poenitens, vel parochianus in faciem Ecclesiae tantum matrimonium valide contraxerit, sive quod actum civilem plane omiserit, sive quod, cum impedimento civili dirimente, impleverit? Quum in utroque eventu matrimonium coram Deo valide contractum sit, sequitur profecto poenitentem, vel parochianum tuta conscientia uti matrimonio posse, quin imo ipse graviter peccaret, si coniugem desereret, aut debitum coniugale praestare detrectaret. Nulla de hac re quaestio moveri potest, quum ex SS. PP. et SS. CC. responsis aperte liqueat « hisce matrimoniis suam quoad maritalem nexum inesse vim et valorem, qualiacumque tandem fuerint impedimenta ab saeculari potestate, Ecclesia non consulta, nec probante, perperam ac nulliter constituta; « ut verbis utar S. Poenitent. 6 iunii 1824. Vide respons. ad Episc. Aniciens. 7 Apr. 1826. Verum enimvero quaedam a parocho, vel confessario, in utroque eventu praestanda sunt. In priori enim casu, quando nempe actus civilis omissus est, sponsi enixe hortandi, quin imo et cogendi sunt, nisi ratio potissima aliter suadeat, ut coram ministro civili matrimonium rite ineant. Hoc enim pacto 1° matrimonium civilibus fructibus non privatur; 2° proles nascitura, coram lege, ut legitima habetur; 3° tandem periculum removetur a proposito recedendi novumque ineundi matrimonium civile, vitamque in adulterio legaliter traducendi. In posteriori casu, quando nempe ma-

trimonium, tum in faciem Ecclesiae, tum coram ministro civili, cum impedimento civili dirimente contractum est, videndum sedulo, an nullitas adhuc persistat, vel non: si sublata est, matrimonium, tum ecclesiasticum, tum civile consistit, et nulla amplius adest difficultas. Si non est sublata, adeoque persistit adhuc, duo quae superius notavimus, in memoriam revocare nedum opportunum, verum etiam necessarium duco. Alterum est; matrimonium cum civili impedimento contractum numquam irritum *pleno iure* habetur. Nullitas enim ab interesse habentibus invocari semper debet, et a iudice decerni, ut suum sortiatur effectum, adeoque antequam iudicium proferatur, coniuges communi matrimonii vinculo adhuc irretiti censentur. Alterum est: plura matrimonia civilia, licet ab initio valida habeantur, tamen postmodum aboleri iure possunt, nisi tamen lapsu temporis, vel ratihabitione vel possessione status, purgentur et tegantur. Quibus sic animadversis, considerandum adhuc est, an impedimentum civile nullitatem absolutam ac perpetuam, an temporariam tantum inducat. In priori casu, curandum prudenter est, ut de recursu ad tribunal ferendo, et de dissolutione coniugii obtinenda, nemo cogitet, vel curet. In secundo casu, confessarius vel parochus in eo totus esse debet, ut nullitas, impedito quolibet recursu, sive tempore praestituto, sive confirmatione, seu ratihabitione, sive possessione status, quam primum fieri potest, legaliter auferatur.

Quaeritur 4. tandem, quid agendum sit, si poenitens, vel parochianus actum tantum civilem, cum impedimento civili, nondum celebrato ma-

trimonio ecclesiastico, perfecerit? Ut huic quaestioni plene respondeatur, videndum in primis est, an impedimentum temporariam tantum, vel potius perpetuam nullitatem secum trahat. In priori casu, curandum est, in thesi generali, ut nullitas, quantum fieri potest, purgetur, et ubi coniici liquido liceat id brevi absque obstaculo locum esse habiturum, permitti poterit, ut matrimonium, nulla interposita mora, coram Ecclesia contrahatur. Si vero praevideatur, aut saltem suspicio oriatur eos, qui interesse habent, statim acturos, ut matrimonium abrogetur, opportunum erit a matrimonii celebratione supersedere, usque dum iudicium prolatum sit. Interim poenitens, vel parochianus de nullitate matrimonii monitus reddi debet. In secundo casu, inspiciendum est, an adsit, nec ne, solida suspicandi ratio, ne huiusce matrimonii validitas, ob exsistens impedimentum, aliquando impetatur. Si adest suspicio, nullus dubitationi locus relinquitur, quin parochus ad celebrationem matrimonii, fideles non tam facile, ac promiscue admittat; quin imo consultum est, ut se abstineat, cum non expediat, in thesi generali, matrimonio benedicere, quod nullitate civili laborat, quodque fortasse impugnabitur ac dissolvetur. Si contra nulla aut levis tantum suspicio habeatur, parochus connubium celebrare poterit, praesertim si hac ratione concubinatui finis imponatur, et gravia incommoda praecaveantur. Quaestionibus propositis dum eas dedi solutiones, quae validis fulciri argumentis mihi visae sunt, non ea mens mihi fuit, ut in meam sententiam lectorem invitum pertraherem, sed eius arbitrio melius eligendi optionem relinquerem.

Hisce sic enucleate disputatis, restat postremo, ut de sponsalibus, et de separatione civili pauca subiiciamus. Ad sponsalia quod spectat, notum est ea nuptiis praemitti non quidem, ut valeat matrimonium, sed ut cautius et ordinatius ineatur, quemadmodum magnitudo rei omnino postulat. Verum ex lectione art. 53 codicis satis abunde patet, quod desponsati nulla ad nuptias contrahendas obligatione devinciuntur, sive simplicibus verbis, sive publico instrumento, sive privata syngrapha, animum suum expresserint. Solum lex vult, ut qui scripto matrimonium promisit, si eum poeniteat, debeat, « *risarcire l' altra parte delle spese fatte, per causa del promesso matrimonio* » art. 54. Haec iuris dispositio opponitur, ut quisque videt, iuri canonico, quod vult promissiones nuptiarum ratas et firmas esse, et non suadet modo, sed minis etiam urget, ut sponsalibus satis fiat, quia nihil tam fidei humanae congruum est, quam ut pacta serventur et impleantur. In iure praeterea canonico, ex sponsalibus rite factis, impedimentum exsurgit, quod publicae honestatis dicitur. Parochus itaque, ubi casus occurrat, prae oculis habeat ea omnia, quae de hoc impedimento doctores loquuntur, simulque attente consideret rerum ac circumstantiarum adiuncta, ex quibus, facili ratione, normas haurire poterit, quibus in tam trepida, ac tanti momenti re tuto dirigat sese.

Ad separationem quod attinet, certum est eam porrigi tantum ad cohabitationem et bona, ex causis a lege definitis, firmo remanente matrimonii civilis vinculo. Divortium namque, quo matrimonium civile solvitur quoad vinculum, ita ut con-

iugibus liberum sit ad alias transire nuptias, lege in Italia ac Gallia non admittitur, admittitur vero in Belgio, aliisque locis, sive ex mutuo coniugum consensu sub certis conditionibus a lege praescriptis, sive ex quibusdam determinatis causis, praesertim ex adulterio. Causae separationis a lege definitae sunt: 1° Adulterium uxoris respectu mariti generatim et absolute; adulterium mariti, respectu uxoris speciatim tantum, nempe ex art. 151: « *quando egli mantenga la concubina in casa o notoriamente in altro luogo, oppure concorrano circostanze tali che il fatto costituisca un' ingiuria grave alla moglie* (1) »; 2° « *il volontario abbandono* »; 3° « *gli eccessi e le sevizie, minaccie e ingiurie gravi* (2) » art. 150; 4° « *quando il marito*

(1) Discriminis ratio in eo est, quod mulieris adulterium multo gravius crimen constituat, praesertim ratione periculi *putativos* haeredes in familiam inducendi. Ius canonicum hoc discrimen non admittit, quidquid contra dixerit Caietanus. Divortii enim seu separationis ius ex adulterio ortum praecipue fundamendum constituit suum in violatione fidei, ac thori coniugalis: non minus autem haec per adulterium uxoris, quam mariti violari, satis est exploratum. Quaenam requirantur in iure canonico, ut ex adulterii causa, separatio, quoad torum et cohabitationem, induci queat, in Tractatu de Matrimonio exposui.

(2) Excessus et saevitiae factum supponunt. Excessuum nomine, ii intelliguntur actus, qui omnem excedunt mensuram, et vitam alterius coniugis in discrimen adducunt. Saevitiae simplices sunt quidam crudelitatis actus, qui vitam in periculo nullomodo ponunt. Iniuriae, ac minae verbis continentur, et graves haud reputantur, nisi in grave alterius coniugis honoris detrimentum tendant, morumque integritatem laedant. Gravitas earum a qualitate personarum, et rerum adiunctis dimetitur, adeoque iudicis est decernere, an graves, vel leves sint, quandoquidem fieri potest, ut iniuriae leves in se, attentis circumstantiis, graves evadant, et quae graves in se sunt, leves ha-

senza alcun giusto motivo non fissi una residenza, ed avendone i mezzi, ricusi di fissarla in modo conveniente alla sua condizione » art. 152; 5° « *la condanna ad una pena criminale, tranne il caso che la sentenza sia anteriore al matrimonio, e l'altro coniuge ne fosse consapevole* » art. 151; 6° « *il consenso dei coniugi coll'omologazione del tribunale* » art. 158. Alias causas codex civilis non agnoscit. Huc spectat art. 153 et 157, referre in quibus duo casus considerantur. Alterum respicit animorum, ante sententiam, reconciliationem, et tunc inchoatum iudicium perimitur; alterum spectat coniugum, post sententiam, conventionem iterum simul matrimonium, proprio nutu et absque iudicis auctoritate, restaurandi, effectusque latae de separatione sententiae, expressa declaratione, aut ipso cohabitationis facto, perimendi.

Porro quaenam esse debeat parochi agendi ratio, ubi, de separatione facienda, quaestio sese offerat, ex iis, quae diximus, facile deducitur. Parochus itaque in causas sedulo inquirat, quae pro separatione stant, et si leves vel fatuas esse compererit, a separatione sponsos avertat; si validas quidem invenerit, sed non adeo urgentes reputaverit, ut separationem necessariam prorsus reddant, coniuges ad concordiam vehementer hortetur. Si e contra separatio necessaria sit, videndum est, an causa separationis in foro civili agitata, a iudice facile, nec ne, admittenda sit. In priori casu, iudicium expectetur, in altero parochus

beantur, praesertim si coniux eas provocaverit, adulterium committendo, suspectos viros frequentando, maritum dicteriis lacessendo, verberibus afficiendo, etc. Vide Toullier t. 2, p. 41 et 762.

multa uti debet cautela ac prudentia, et ordinarii consilium exposcet.

Finem huic disquisitioni ponere non possum, quin hic referam quae habet Bened. XIV de Syn. Dioec. t. VI, c. 7, n. 5: « Consultius utique foret ut catholici, nonnisi matrimonio iam antea in faciem Ecclesiae inter se legitime celebrato, ad illam explendam civilem caeremoniam saecularem magistratum adirent. » Eadem ferme habet Pius VII Instr. 14 ian. 1808. Ubi vero id, sine magno incommodo ac periculo impleri nequeat, parochus saltem pro viribus satagat, ut postquam sponsi gubernio morem gesserunt, sublato, si quod obstat, canonico impedimento, matrimonium coram Ecclesia, si fieri possit, eadem ipsa die celebrent, vel saltem non diu differant Ecclesiae legibus parere, et interim a matrimonii usu se abstineant. De hoc argumento nihil attinet plura dicere; velim ut disquisitio haec Parochis ac confessariis bene multis profuisse sentiam.

APPENDIX II

DE FORMULIS SUPPLICUM PRECUM

Operae pretium esse duxi breves ac concinnas formulas, quibus dispensationes petuntur, hic subnectere. Dum id perago, non ea mens mihi est, ut lectorem ad eas caeteris, si quae sunt, antiquioribus praeferendas inducam, sed eius arbitrio alias, quae magis ipsi aptae videantur, eligendi optionem relinquam. Porro ut in hisce formulis describendis aliquis servetur ordo pertractationem ita distribuam, ut primo preces tradam, quae ad impedimenta publica et ad forum externum attinent; deinde exponam, quae ad impedimenta occulta, et ad forum internum referuntur. Cum autem in utroque foro, alia sint impedimenta, quibus Ordinarius loci, vi indulti Pontificii, aut facultate ordinaria, dispensat, alia vero sint, quibus peculiaris S. Sedis dispensatio requiritur, prius eas trademus, quae ad Ordinarium, postmodum autem eas subiiciemus, quae ad S. Sedem diriguntur. Unde fit ut quadruplicis speciei formulae tradantur, ut sequitur.

I.

FORMULAE

AD PETENDAS DISPENSATIONES MATRIMONIALES
IN FORO EXTERNO,
AB ORDINARIIS LOCORUM IMPERTIRI SOLITAS

I. *Formula petendi dissolutionem sponsalium.*

Illustrissime ac Reverendissime Domine,

Ioannes N. et Ioanna N. parochiani mei, die mensis anni sponsalia solemnia contraxerunt. Iam vero mutuo consensu cupiunt (vel: sponsus aut sponsa cupit) ea rescindere. Quare humillime supplicant Illustrissimae Dominationi vestrae, ut ecclesiastica auctoritate dignetur ea dissolvere.

Causa est: rixae graves et lites inter desponsatos exortae; — summa iniuria vel ignominia a sponso sponsae illata, vel vicissim, etc.

die mensis anni

NN. Pastor parochiae

Littera N quae reperitur in omnibus libellis supplicis, in quibus de foro externo agitur, notat, illic nomen familiae accurate scribendum esse. Ex dictis in operis decursu patet, simili dissolutione non sustolli impedimentum publicae honestatis quod ex sponsalibus absolutis oritur. Quare sine dispensatione sponsus matrimonium inire non valet cum matre, sororibus et filiabus sponsae, neque sponsa cum patre, fratribus et filiis sponsi.

II. *Formula petendi dispensationem in proclamat. antenuptialibus.*

Illustrissime ac Reverendissime Domine,

Ioannes N. et Ioanna N. parochiani mei, matrimonium in faciem Ecclesiae inire cupiunt. Quia vero diutius illud differri non potest, humillime petunt ab Illustrissima Dominatione Vestra dispensationem super duabus proclamationibus.

Causa est: instans oratricis partus; damnum grave evitandum; tempus clausum appropinquans, etc.

Oratores taxam ordinariam solvent; vel, Oratores sunt pauperes.

die mensis anni

NN. Pastor parochiae

Si Sponsi non sint eiusdem parochiae subditi, uterque respective parochus scribat hoc modo: Ioannes N parochianus meus (Ioanna N parochiana mea) matrimonium inire cupit cum Ioanna N (cum Ioanne N) parochiae de . Quia vero etc. ut supra.

Eadem fere formula adhiberi potest ad petendam dispensationem super *tempore clauso*.

Hae preces, mutatis mutandis, mitti etiam possunt, in Dioecesibus quibusdam, ad decanum eiusdem respective districtus.

III. *Formula petendi licentiam celebrandi matrimonium vagorum.*

Illustrissime ac Reverendissime Domine,

Ioanna N. parochiana mea, matrimonium inire cupit cum Ioanne N. in Dioecesi N. nato, qui, quoniam nullibi habet domicilium vel quasi-domicilium, inter vagos est habendus. Parentes oratoris, qui habitant in N. consensum dede-

runt, nec quidquam inveni, quod eius libertati possit obstare, aut impedimentum aliquod canonicum inducere. Vel: Diligenti facta inquisitione, nihil inveni, quod eius libertati, aut parentum consensui obstet. Quare Illustrissimae Dominationi Vestrae supplico, ut mihi, quid faciendum sit, significare dignetur.

die mensis anni

NN. Pastor parochiae

De vagis vide quae in opere dicta sunt. Mutatio facienda, ubi sponsa est vaga, facillima est. Saepe hic in precibus explicandum erit, ob quas causas parocho videatur, matrimonium vagorum tuto celebrari posse, aut etiam ad vitanda innumera mala, celebrandum esse.

IV. *Formula petendi dispensationem super impedimentis consanguinitatis vel affinitatis, quae secundum gradum non attingunt; item cognationis spiritualis, aut publicae honestatis.*

Illustrissime ac Reverendissime Domine,

Ioannes Henricus N. aetatis 38 annorum, parochiae de N. et Henrica Ioanna N. aetatis 25 annorum, parochiana mea, matrimonium inire cupiunt. Obstat vero impedimentum: 1° consanguinitatis tertii et quarti gradus inaequalis, lineae collateralis; 2° affinitatis tertii gradus aequalis, lineae collateralis, quia orator ducere intendit consanguineam uxoris suae defunctae in eodem gradu, ut ex additis schematibus constat; 3° cognationis spiritualis, quia oratrix prolem oratoris in baptismo suscepit; vel: in

confirmatione tenuit; 4° publicae honestatis ortum ex iustis sponsalibus oratricis cum fratre oratoris.

Quare humillime supplicant Illustrissimae Dominationi Vestrae, ut super iis impedimentis cum ipsis dispensare dignetur.

Causae sunt: 1° diuturna et publice nota conversatio, huc usque sine copula carnali; 2° aetas puellae, quae 24^m^ annum excedens huc usque paris conditionis virum, cui nubere posset, non invenit; 3° quod orator tribus liberis minorennibus gravatus adiutorio uxoris eget.

Testor oratores, orthodoxae fidei cultores, huiusmodi esse fortunae, ut in toto, circiter sex millia francorum in re, viginti autem millia in spe possideant. Vel tam pauperes ac miserabiles esse ut solo labore manuum victum et amictum sibi comparare cogantur.

die mensis anni

NN. Pastor parochiae

SCHEMATA

CONSANGUINITATIS

Stipes

Petrus N.

I	I
Petrus N. -	Catharina N.
II	II
Catharina N. -	Ioanna N.
III	III
Orator -	Iosephus N.
	IV
	Oratrix.

AFFINITATIS

Stipes

Iosephus N.

I	I
Iosepha N. -	Henrica N.
II	II
Petrus N. -	Iosephus N.
III	III
Iosepha N. -	Oratrix.
uxor defuncta	oratoris.

Notandum hoc loco est id quod in Tractatu dicitur, nimirum: pro omni dispensatione super impedimentis consanguinitatis, affinitatis, cognationis spiritualis, et publicae honestatis, copulam carnalem inter oratores admissam, necessario exprimendam esse, publicam publice, occultam saltem occulte, et addendum esse, utrum cum malevola intentione ita facilius obtinendae dispensationis fuerit perpetrata.

Copula occulta vel separatim in particulari supplici prece declarari, vel potius inter causas et tamquam causa, hoc fere modo, exprimi potest: Copula carnalis occulta ob solam vesanam libidinem admissa, vel: quam dolentes fatentur commissam fuisse spe facilius obtinendi dispensationem. Quando ea copula iam publice nota est, vel praevidetur brevi manifestanda, dicitur simpliciter *copula carnalis ob solam*, etc.; quia illa expressio sine addito, notat, vel incestum iam notum esse, vel certe notum iri.

Ubi oratores sint diversarum Dioecesium, quid praestandum sit, vide Tractatum.

V. *Formula petendi dispensationem in impedimento criminis publico, neutro machinante.*

Illustrissime ac Reverendissime Domine,

Ioannes N. 35 annorum, parochiae de N., Dioecesis N. et Ioanna N. aetatis 20 annorum, parochiana mea matrimonium inire cupiunt. Obstat autem impedimentum criminis publicum, ortum e copula carnali inter ipsos habita, stante matrimonio Ioannis cum priori uxore, cum promissione matrimonii data et acceptata, neutro tamen machinante; quod adulterium iis conditionibus perpetratum per totam meam parochiam est pervulgatum.

Quare humillime supplicant Illustrissimae Dominationi Vestrae, ut vi facultatis apostolicae ex-

traordinariae super illo impedimento cum ipsis dispensare dignetur.

Causae sunt: 1° concubinatus; 2° proles nata, et altera nascitura; 3° scandala reparanda et maiora praevenienda.

die mensis anni

NN. Pastor parochiae

Ubi hoc impedimentum non est publicum, sumitur supplex petitio pro dispensationibus in foro interno (XIV).

VI. *Formula petendi convalidationem in utroque foro dispensationis a Sancta Sede impetratae, quando bona fide oratorum reticitum fuit impedimentum, in quo Ordinarius potest dispensare.*

Illustrissime ac Reverendissime Domine,

Ioannes N. ex Dioecesis N. et Ioanna N. parochiana mea, in eo sunt ut matrimonium cum dispensatione super impedimento consanguinitatis secundi gradus aequalis, lineae collateralis, a Sancta Sede obtenta ineant. At vero reticitum fuit bona fide oratorum, impedimentum cognationis spiritualis ortum ex eo quod sponsus sponsae filium in confirmatione tenuit, quod iuxta stylum Curiae Romanae erat exprimendum, sed in quo vi indulti apostolici Dominatio Vestra potest dispensare.

Quare humillime supplicant Illustrissimae Dominationi Vestrae, ut vi facultatis apostolicae extraordinariae super eo impedimento reticito dispensare dignetur, et simul dispensando in utroque

foro convalidare dispensationem a Sede Apostolica expeditam.

Causae sunt: 1° omnia ad matrimonium celebrandum parata; 2° damna aliaeque molestissimae difficultates vitandae.

die mensis anni

NN. Pastor Parochiae

II.

FORMULAE

AD PETENDAS DISPENSATIONES MATRIMONIALES IN FORO EXTERNO, A SOLA SEDE APOSTOLICA CONCEDI SOLITAS

VII. *Formula petendi a Sancta Sede per Ordinarium loci dispensationem super impedimentis consanguinitatis et affinitatis, in quibus primus vel secundus gradus intervenit.*

Illustrissime ac Reverendissime Domine,

Henricus Iosephus N. aetatis 28 annorum, parochiae de N. et Iosepha Henrica N. aetatis 25 annorum, parochiana mea matrimonium inire cupiunt. Obstat vero impedimentum affinitatis primi gradus aequalis lineae collateralis, quia oratrix nubere intendit fratri mariti sui defuncti; 2° consanguinitatis tertii et secundi gradus inaequalis, lineae collateralis, ut ex addito schemate constat;

3° cognationis spiritualis, quia orator prolem oratricis in baptismo suscepit, vel in confirmatione tenuit.

Quare humillime supplicant Illustrissimae Dominationi Vestrae, ut ipsis dispensatio Sanctae Sedis super praefatis impedimentis procuretur.

Causae sunt: 1° diuturna et publice nota conversatio ; 2° copula carnalis occulta ob solam vesanam libidinem admissa; vel: quam oratores dolentes fatentur commissam fuisse spe dispensationis facilius obtinendae, e qua proles creditur concepta; 3° quod oratrix duobus liberis minorennibus gravata adiutorio viri indiget, et orator ad eos feliciter educandos maxime convenire dicitur; 4° scandala reparanda , evitanda , praevenienda ; 5° vani conatus ad eos ab hoc matrimonii proposito avertendos; 6° tam grave ac continuum inter eos peccatorum periculum , ut hoc eorum matrimonium haberi debeat unicum (necessarium, peropportunum) salutis remedium ; 7° timor fundatus, ne si dispensatio negetur, formas civiles impleant; 8° consensus regius, ad formas civiles implendas, iam petitus, vel obtentus, etc.

Testor , oratores , orthodoxae fidei cultores , eiusmodi esse fortunae , ut in toto simul 3,000, 4,000, 10,000, 50,000 libellarum circiter in re, et totidem in spe possideant. Vel : tam pauperes ac miserabiles esse, ut solo labore manuum viventes nullam taxam solvere possint. Solvent tamen pro expensis Romae faciendis 12, 15, 20 libellas quos apud me deposuerunt.

die mensis anni

NN. Pastor parochiae

SCHEMA

Stipes

Catharina N.

I		I
Melania N.	—	Arnoldus N.
II	—	II
Henricus N.	—	Oratrix.
III		
Orator		

In his precibus additum est impedimentum cognationis spiritualis, in quo ipsi Ordinarii ubique fere possunt dispensare, ne a memoria excidat, omnia simul impedimenta in eodem libello supplici exprimi debere, quia maior ille numerus impedimentorum reddit dispensationem obtentu difficiliorem. Affinitatis ac consanguinitatis vinculum multiplex esse potest, idque sive ex uno, sive ex diverso stipite: et totidem tunc constituit vincula necessario exprimenda, ut valeat dispensatio. Vide P. Corradum op. cit. l. 7, c. 5, n. 84, Seitz Darstellung der Kath. Kirchendisciplin ac Ratisb. 1830, p. 626, et Van De Burgt de dispens. Sylvaeducis 1855.

Quando copula carnalis inter oratores locum non habuit, illud hoc fere modo poterit inter causas declarari: *publice nota conversatio, vel: nimia partium familiaritas, huc usque sine copula carnali,* ne Romae ullum dubium moveri queat de *iniungenda reparatione,* vel de *interdicendo quocumque tractu.*

VIII. *Formula petendi a Sancta Sede dispensationem in matrimonio contracto, super impedimento consanguinitatis secundi gradus, vel super impedimento publico affinitatis primi vel secundi gradus, orta e copula illicita.*

Illustrissime ac Reverendissime Domine,

Ioannes N. parochiae de N. Dioecesis N. subditus, et Ioanna N. parochiana mea, matrimonium in faciem Ecclesiae sine dispensatione contraxerunt et bona fide consummarunt; iam vero innotuit, eos esse consanguineos in secundo et tertio gradu inaequali, lineae collateralis, ut ex adiecto schemate constat; vel: iam vero ante eorum matrimonium, notum erat omnibus fere meis parochianis, praefatam Ioannam copulam fornicariam habuisse cum fratre sponsi, super quo impedimento dispensatio petita non fuit.

Quare humillime supplicant Illlustrissimae Dominationi Vestrae, ut super illo impedimento Sanctae Sedis dispensatio procuretur.

Causae sunt: 1° matrimonium civile initum, propter quod iam facti sunt inseparabiles; 2° soboles nata; 3° damna gravia evitanda.

Testor, oratores, orthodoxae fidei cultores, tam pauperes ac miserabiles esse, ut nullam taxam solvere possint. Pro expensis Romae faciendis apud me depositae sunt 15 libellae.

die mensis anni

NN. Pastor parochiae

SCHEMA

Stipes

Catharina N.

I	I
Henricus N.	Iosepha N.
II	II
Orator	Ioannes N.
	III
	Oratrix.

Si novit Parochus, Ordinarium loci obtinuisse a Sancta Sede facultatem dispensandi in utroque foro super impedimento primi, vel primi et secundi, vel secundi tantum affinitatis gradus, proveniente e copula illicita, *in matrimoniis contractis*, eadem supplex formula adhibeatur, sed loco: *Quare humillime*, etc. dicatur: *Quare quum in hoc casu tanta urgeat matrimonii illius necessitas ut recursus ad Sanctam Sedem haberi non possit, humillime supplicant Illustrissimae Dominationi Vestrae, ut vi facultatis apostolicae extraordinariae super illo impedimento dispensare dignetur.*

IX. *Formula petendi dispensationem a Sancta Sede super impedimento publico primi vel secundi gradus affinitatis, e copula fornicaria, pro matrimoniis contrahendis.*

Illustrissime ac Reverendissime Domine,

Ioannes N. aetatis 32 annorum, parochiae de N. Dioecesis N. subditus, in eo est ut matrimonium ineat cum Ioanna N. aetatis 20 annorum, parochiana mea. At vero obstat impedimentum

publicum affinitatis primi gradus aequalis, lineae collateralis, ortum e copula fornicaria cum sorore sponsae, quae parochianis meis maximam partem est nota.

Quare humillime supplicant Dominationi Vestrae, ut super illo impedimento Sanctae Sedis dispensatio ipsis procuretur.

Causae sunt: 1° copula carnalis ob solam vesanam libidinem admissa, e qua proles concepta; 2° pax et concordia inter oratorum familias restituenda; 3° angustia loci, in quo oratrix honestae familiae nata est et, aeque ac orator, habitat, vel in quo oratrix nata est et in quo orator habitat; vel, in quo oratrix simul et orator habitant, et qui numerum 1000 incolarum non excedit; 4° timor fundatus, ne si dispensatio negetur, per instigationem malevolorum oratores formas civiles impleant; 5° turpis concubinatus; 6° formae civiles iam impletae.

Testor oratores, orthodoxae fidei cultores, eiusmodi esse fortunae, ut in re solummodo 2500 francorum; in spe vero 3500 circiter possideant.

die mensis anni

NN. Pastor parochiae

Quum nonnullae sint Dioeceses in quibus a Sede Apostolica Ordinario loci facultas facta est, pro paucis admodum et urgentissimis casibus, dispensandi in *matrimoniis contrahendis* super illo impedimento, etiam quando est publicum, propterea non sine ratione notari hic poterit, in illo casu adhibendam esse praecedentem formulam, et loco: *Quare humillime* etc. dicendum esse: *Quum impedimentum illud sit publicum, et matrimonii illius adeo urgeat necessitas, ut recursus ad Apostolicam Sedem haberi non queat, humillime supplicant Dominationi Vestrae, ut vi facultatis apostolicae extraordinariae super illo impedimento dispensare dignetur.*

X. *Formula petendi a Sancta Sede dispensationem super impedimento religionis mixtae.*

Illustrissime ac Reverendissime Domine,

Constantia N. romano-catholica, aetatis 26 annorum parochiana mea, matrimonium inire cupit cum Frederico N. sectae lutheranae addicto, et in suis erroribus saltem huc usque persistente.

Pars acatholica coram me, ut ex declaratione huic petitioni addita patet, sub fide iuramenti promisit, omnes utriusque sexus infantes ex illo matrimonio nascituros, in fide romano-catholica baptizandos et educandos esse, iisque, aeque ac comparti, prorsus liberum fore religionis romano-catholicae exercitium.

Praeterea pars catholica spopondit, se pro viribus curaturam, ut, quantum in ipsa erit, vir ad veram fidem convertatur.

Quare humillime supplicat Illustrissimae Dominationi Vestrae, ut ipsi super eo impedimento Sanctae Sedis dispensatio procuretur.

Causae sunt: 1° vani conatus, ut oratrix illi matrimonii proposito renuntiet; 2° formae civiles certo certius brevi adimplendae; 3° spes fundata conversionis partis acatholicae etc.

Pars catholica 25 francos pro expensis faciendis apud me deposuit.

die mensis anni

NN. Pastor parochiae

XI. *Formula declarationis a parte acatholica sub fide iuramenti coram officiali, vel parocho eiusve delegato, propria manu signandae (italico idiomate et gallico).*

Io sottoscritto, abitante in N., dichiaro con giuramento, 1° di permettere che i figli d'ambo i sessi nascituri dal mio matrimonio con N., siano battezzati ed allevati nella religione cattolico-romana; 2° che io permetterò sempre alla suddetta mia consorte ed a tutti i miei figli il libero esercizio del loro culto.

Fatto a il

NN.

Je soussigné, demeurant à N., déclare sous la foi du serment 1° que je permets que les enfants de l'un et de l'autre sexe, à naître de mon mariage avec N., soient baptisés et élevés dans la religion catholique-romaine; 2° que je permettrai toujours à ma dite épouse et à tous mes enfants le libre exercice de leur culte.

Fait à le

NN.

Sunt Episcopi qui vi specialis indulti apostolici pro paucissimis aliquot et urgentissimis casibus, facultatem habent dispensandi super impedimento mixtae religionis. In Italia Episcopi non gaudent hoc indulto, nec solent petere dispensationem a S. Sede, super mixtae religionis impedimento. Si Parochus in talem fortasse incideret necessitatem, et Ordinarius simile indultum foret adeptus, eadem petitio offerri posset, sed loco:

Quare, etc. scribendum foret: *Quum periculum ita sit in mora et tam graves adsint causae, ut per tempus non liceat adire Sanctam Sedem; supplicat Dominationi Vestrae ut vi specialis indulti apostolici super impedimento mixtae religionis cum ipsa dispensare dignetur.* Idem faciendum est, mutatis mutandis, si Episcopi obtinent facultates extraordinarias dispensandi super impedimentis secundi gradus affinitatis vel consanguinitatis mixti etiam cum primo. Hae facultates conceduntur pro remotioribus regionibus.

XII. *Formula petendi a Sancta Sede, in ordine ad matrimonium, dispensationem super tribus perpetuis votis simplicibus in aliqua congregatione religiosarum emissis.*

Illustrissime ac Reverendissime Domine,

Ioanna N, aetatis 27 annorum, parochiana mea, humillime exponit,

Se die , in congregatione religiosarum N. tria vota simplicia obedientiae, paupertatis et castitatis publice et in perpetuum emisisse; at vero se abhinc tribus mensibus, ultro consentiente superiorissa, et, uti oratrix testatur, consulente confessario, ex illo conventu egressam esse; iam vero se a viro pio in honestum matrimonium peti.

Quare humillime supplicat Illustrissimae Dominationi Vestrae, ut super iis votis ei a Sancta Sede dispensatio procuretur, ut matrimonium inire et debitum coniugale petere et reddere licite valeat.

Causae sunt: 1° quod reditus oratricis in conventum prorsus est impossibilis; 2° quod, quum res iam eo devenerint, oratricis indoles et eius

vitae ratio satis monstrare videntur, statum coniugalem eius animae magis quam vitam monasticam, aut coelibem in mundo, salutarem fore ; 3° quod vir a quo in uxorem petitur , est multo quidem quam ipsa pauperior, sed pius et prudens qui eius tum animae, tum corporis bono sapienter providebit.

die mensis anni

NN. Pastor parochiae

Haec respiciunt vota simplicia, quae in neotericis quibusdam institutis a S. Sede prolatis emittuntur , utpote quae Summo Pontifici sunt reservata. De antiquis monasteriis, ubi moniales in Gallia emittunt vota simplicia, ex S. Sedis declaratione, aliter dicendum est. Ab hisce Votis enim ordinarii dispensare possunt.

III.

FORMULAE

AD PETENDAS DISPENSATIONES MATRIMONIALES IN FORO INTERNO, AB ORDINARIIS LOCORUM CONCEDI SOLITAS

XIII. *Formula petendi dispensationem pro restitutione iuris ad petendum debitum coniugale*

Illustrissime ac Reverendissime Domine,

Titius adulterium commisit cum sorore, vel nepte suae uxoris. Peccati sui poenitens humillime supplicat Illustrissimae Dominationi Vestrae, ut ob

periculum incontinentiae, ius petendi debitum coniugale ei restituere dignetur.

die mensis anni

NN. Confessarius ecclesiae

XIV. *Formula petendi dispensationem super impedimento criminis occulto, neutro machinante.*

Illustrissime ac Reverendissime Domine,

Maevius et Maevia, Dioecesis N. subditi, matrimonium inire cupiunt. At vero obstat impedimentum criminis ortum ex copula carnali inter ipsos habita, stante matrimonio Maevii cum priori uxore, cum promissione matrimonii data et acceptata, neutro tamen machinante. Impedimentum est occultum, praevidetur manifestandum.

Quare humillime supplicant Illustrissimae Dominationi Vestrae, ut vi facultatis apostolicae extraordinariae super eo impedimento cum ipsis dispensare dignetur.

Causae sunt : 1° omnia ad matrimonium celebrandum parata ; 2° formae civiles iam impletae ; 3° instans oratricis partus.

die mensis anni

NN. Confessarius ecclesiae

In crimine consideranda est etiam impedimenti multiplicitas, de qua vide auctores citatos. Vrrum si adiuncta rite exponantur, iam inde numerus impedimentorum expressus apparet.

XV. *Formula petendi dispensationem post matrinium contractum super occulto impedimento criminis, admissi cum utriusque vel alterutrius oratorum machinatione.*

Illustrissime ac Reverendissime Domine,

Caius et Caia, Dioecesis N. subditi, matrimonium invalide contraxerunt ob impedimentum criminis ortum e copula carnali inter ipsos habita, stante matrimonio Caiae cum priori marito, cum promissione matrimonii data et acceptata, et machinatione solius Caiae in vitam mariti, quae fuit vera causa coniugicidii. Matrimonium in faciem Ecclesiae bona fide ob ignorantiam iuris contraxerunt et consummarunt. Impedimentum est occultum nec timetur manifestandum; deinde quum occasione missionis crimen in confessione declaraverint, petunt ut ad evitandum scandalum et gravissima mala, quae moram scribendi Romam non patiuntur, sublato statim per dispensationem impedimento, matrimonium, occulte renovato inter se mutuo consensu, valeant convalidare.

Quare, quum in casu evidenter adsint sex conditiones communiter iuxta Bened. XIV Syn. Dioec. lib. 9, cap. 2 requisitae, ut episcopus possit pro foro conscientiae dispensare super impedimentis, in quibus ipse Summus Pontifex dispensare consuevit, humillime per me Illustrissimae Dominationi Vestrae supplicant, ut super illo impedimento cum ipsis sine mora dispensare dignetur.

Causae sunt: 1° formae civiles impletae; 2° sex infantes nati; 3° gravissima omnis generis mala evitanda.

die mensis anni

NN. Missionarius

N. B. Dispensatio cum sequenti inscriptione epistolae apprime clausae ad me mittatur: N...

XVI. *Formula petendi dispensationem super impedimento occulto affinitatis orto e copula fornicaria.*

Illustrissime ac Reverendissime Domine,

Titia, Dioecesis N. subdita, in eo est, ut matrimonium contrahat cum Titio. At vero obstat impedimentum omnino occultum affinitatis primi gradus aequalis, lineae collateralis, ortum e copula fornicaria com fratre sponsi.

Quare humillime supplicant Illustrissimae Dominationi Vestrae, ut super eo impedimento cum ipsa vi facultatis apostolicae extraordinariae dispensare dignetur.

Causae sunt: 1° omnia ad matrimonium parata; 2° scandala et oblocutiones vitanda.

die mensis anni

NN. Confessarius ecclesiae

Si Ordinarius non gaudet indulto Sedis Apostolicae, quo possit in eo impedimento dispensare, confessarius deberet hanc petitionem ad Ordinarium vel ad officialem mittere, eumque

rogare, *ut super eo impedimento Sanctae Sedis dispensatio procuretur*. Vel posset ipse ad Maiorem Poenitentiarium Romae preces suas dare. Haec autem in iam datis precibus tunc forent mutanda:

1° loco: Illustrissime, etc. scribatur:

Eminentissime ac Reverendissime Domine.

2° loco: Quare humillime, etc. scribatur:

Quare humillime supplicat Eminentiae vestrae, ut super eo impedimento cum ipsa dispensare dignetur.

3° Addendum foret:

Dignetur Eminentia Vestra responsum dare ad:

. Hoc igitur loco accurate designetur inscriptio epistolae (l'indirizzo).

4° Confessarius expeditionis sumptus ipse solvat et ita litterarum suam inscriptionem conficiat:

Eminentissimo ac Reverendissimo Domino, Maiori Poenitentiario,

Romam.

XVII. *Formula petendi convalidationem dispensationis, quae nulla est ob incestum reticitum in precibus, aut patratum vel iteratum post missas preces et ante dispensationis exsecutionem, vel ob falso allegatam copulam carnalem absque culpa oratorum, vel ob reticitam bona fide oratorum malitiosam intentionem, qua incestus fuit admissus.*

Illustrissime ac Reverendissime Domine,

Titius et Titia, Dioecesis nostrae subditi, matrimonium in faciem Ecclesiae inire cupiunt cum obtenta dispensatione in impedimento consanguinitatis, vel affinitatis ex copula matrimoniali, (hic exprimitur gradus), publicae honestatis, vel cognationis spiritualis. At vero impetrata dispensa-

tio nulla est ob incestum reticitum in precibus; vel, ob incestum patratum vel iteratum post missas preces et ante dispensationis exsecutionem; vel, ob falso allegatam copulam carnalem absque culpa oratorum; vel, ob reticitam bona fide oratorum malitiosam intentionem qua incestus fuit admissus.

Quare humillime supplicant Dominationi Vestrae, ut vi facultatis apostolicae extraordinariae dispensationem modo fulminatam convalidare dignetur.

Causae sunt: 1° infamatio oratorum vitanda; 2° Scandala praevenienda.

die mensis anni

NN. Confessarius ecclesiae

Si dispensatio obtenta sit super impedimento, in quo Ordinarius loci dispensare non potest, et si ipse eam convalidandi facultate Sedis Apostolicae extraordinaria non gaudeat, recurritur ad Sacram Poenitentiariam, h. e. ad Maiorem Poenitentiarium, pro *Perinde valere*, quod confessarius vel seipsum facere potest, vel per Ordinarium sive officialem loci, ut iam supra dictum est.

IV.

FORMULAE

AD PETENDAS DISPENSATIONES MATRIMONIALES IN FORO INTERNO, A SANCTA SEDE CONCEDI SOLITAS

XVIII. *Formula petendi dispensationis convalidationem* per PERINDE VALERE.

Illustrissime ac Reverendissime Domine,

Titius et Titia, Dioecesis nostrae subditi, matrimonium inire intendunt, cum obtenta et iam fulminata Sanctae Sedis dispensatione super impedimento consanguinitatis secundi gradus aequalis, lineae collateralis; vel, affinitatis primi gradus aequalis, lineae collateralis. At vero obtenta dispensatio nulla est ob impedimentum omnino occultum et nullatenus manifestandum, proveniens e copula illicita Titii cum sorore Titiae, super quo dispensatio petita non fuit; *vel*, ob incestum reticitum in precibus; *vel*, ob incestum patratum aut iteratum post missas preces et ante dispensationis exsecutionem; *vel*, ob falso allegatam copulam absque culpa oratorum; *vel*, ob reticitam bona fide oratorum malitiosam intentionem, qua incestus commissus fuit.

Quare humillime supplicat Titius Illustrissimae Dominationi Vestrae, ut super illo impedimento dispensationem a Sacra Poenitentiaria, et simul

pro iam impetrata, sed invalide, Sanctae Sedis dispensatione *Perinde valere* procurare dignetur.

Vel: Quare humillime supplicant Dominationi Vestrae, ut pro impetrata, sed invalide, illa dispensatione gratiam *Perinde valere* ipsis procurare dignetur.

Causa est: Scandala et gravissima mala praescindenda.

die mensis anni

NN. Confessarius ecclesiae

XIX. *Altera formula petendi dispensationis convalidationem* per PERINDE VALERE.

Illustrissime ac Reverendissime Domine,

Titius et Titia, Dioecesis nostrae subditi, matrimonium inire intendunt, cum obtenta dispensatione fori interni. At vero nulla est illa dispensatio, quia simul existebat impedimentum publicum affinitatis secundi gradus aequalis, lineae collateralis, ortum e copula fornicaria Titii cum consanguinea Titiae in eodem gradu, quae quampluribus est nota.

Quare, quia iam ab apostolica Dataria dispensatio petita est super illo impedimento publico, humillime supplicant Illustrissimae Dominationi Vestrae, ut pro impetrata, sed invalide, fori interni dispensatione, a Sacra Poenitentiaria gratiam *Perinde valere*, ipsis procurare dignetur.

Causa est : Fundatus timor , ne formas civiles impleant.

die mensis anni

NN. Pastor parochiae

Litterae declaratoriae, seu *perinde valere* requiruntur etiam, quando propinquior gradus reticitus est. Verum si gradus reticitus non est primus, matrimonium illicitum, sed non invalidum erit, et donec illae fuerint obtentae, coniuges, si fieri potest, separandi sunt.

XX. *Formula petendi in ordine ad matrimonium dispensationem super voto simplici perpetuae castitatis, vel super voto ingrediendi in religionem approbatam.*

Illustrissime ac Reverendissime Domine ,

Titia Dioecesis nostrae subdita, olim votum perpetuae castitatis , vel , ingrediendi in religionem approbatam , emisit. Iam vero prudenter iudicatur , statum coniugalem cuius opportuna occasio sese offert, ipsi futurum esse magis salutarem.

Quare humillime supplicat Illustrissimae Dominationi Vestrae ut dispensationem Sanctae Sedis super praefato voto procurare ipsi dignetur , ut matrimonium inire et debitum coniugale licite petere ac reddere valeat.

Causa est 1° quod nisi nubat, in certo periculo salutis versatur; 2° quod ad negotia gerenda, iam viro carere non potest ; 3° quod , quum sit pauperrima , hoc matrimonio melius vitae sine ege-

state transigendae consulit; 4° quod oratrix ob ingentes stimulos carnis se posse continenter vivere diffidit, etc.

die mensis anni

NN. Confessarius ecclesiae

Pro masculis eadem petitio, assumpto genere masculino, usurpari potest.

XXI. *Formula petendi convalidationem matrimonii per dispensationem seu sanationem in radice.*

Illustrissime ac Reverendissime Domine,

Titius et Titia, Dioecesis nostrae subditi, cum vero et sincero Titiae consensu qui asseritur adhuc perseverare, matrimonium in faciem Ecclesiae contraxerunt et consummarunt. At vero matrimonium eorum est invalidum ob copulam fornicariam Titii cum sorore Titiae, cuius impedimenti Titia est prorsus inscia. Impedimentum est omnino occultum nec timetur manifestandum, sed super eo nulla dispensatio petita fuit. Orator poenitens fundate timet, ne si qualicunque modo consensus renovatio a putativa uxore petatur, eam ipsa vel recuset, vel si non abnuat consensum renovare, pax domestica ob violentas suspiciones, vel, acerbissimos mores compartis gravissime inde turbetur.

Quare, quia orator optat in gratiam Dei redire, compartem gratiarum matrimonii participem reddere et numerosam sobolem legitimare, humillime supplicat Illustrissimae Dominationi Vestrae,

ut dispensatione in radice praefati matrimonii sanationem a S. Poenitentiaria procurare dignetur.

die mensis anni

NN. Confessarius ecclesiae

Si Confessarius ipse malit Romam scribere, id facere poterit, servatis, quae superius in precibus XVI dicta sunt, servandis; quod etiam notandum est pro formulis XVIII, XIX et XX.

APPENDIX III

DE SACRAMENTIS IN GENERE ET IN SPECIE

De Sacramentis verba facturi, ipsorum essentiam, materiam et formam, tum auctorem, ministrum, atque subiectum, ac denique numerum et effectus breviter exponemus; inquisitionibus, et quaestionibus, quae ad Theologos pertinent penitus praetermissis. Iamvero Sacramentum, ut sub nomine Augustini definit Gratianus can. 32 de Consecr. dist. 2, est « invisibilis gratiae visibilis forma, » vel ut communiter definitur, « est invisibilis gratiae visibile signum ad nostram iustificationem divinitus institutum.» Itaque tria ad Sacramenti naturam proprie pertinent, ut nempe a Deo institutum sit, ut visibili signo seu re sensibus subiecta perficiatur, ut gratiam ipsam contineat quam significat, eamque omnibus non ponentibus obicem ex opere operato semper conferat, dum illud suscipiunt. Et sensibili quidem gratiae signo efficitur Sacramentum ob materiam et formam, quibus veluti partibus coalescit, scilicet omnia Sacramenta constant materia et forma. *Materia* est ipsa sensibilis res, qua Sacramentum conficitur, uti aqua in baptismo, *forma* autem sunt verba a ministro prolata, dum conficit Sacramentum, uti *Ego te baptizo;* quae quidem verba ma-

teriam seu rem sensibilem determinant ad peculiarem sacramenti gratiam tum significandam, tum efficiendam. Hinc apud Patres Sacramenta dicuntur rebus, seu elementis ac verbis constare « accedit verbum ad elementum, et fit sacramentum » inquit Augustinus tractatu 80 in Ioannem. Quia vero forma seu verba, spectata cuiusque Sacramenti natura, supra materiam cadere debent eamque determinare et cum ea unum adaequatum signum constituere; idcirco ad validam Sacramenti confectionem ea inter materiam et formam requiritur coniunctio, ut formae prolatio cum materiae applicatione una moraliter actio censeatur. Oportet etiam in Sacramentis conficiendis materiam et formam adhibere, quae ex Christi institutione ab Ecclesia catholica usurpatur. Sed mutatio huiusmodi vel substantialis esse potest vel accidentalis. Substantialiter materia mutatur, quando aut physice et *entitative*, aut moraliter et *theologice* diversa adhibetur ab ea materia, quam Christus in Sacramenti illius institutione in genere vel in specie designavit: contra vero accidentaliter immutatur, cum mutatio aliqua tantum afficit rei qualitatem, salva ipsius rei substantia. Item forma substantialiter mutatur cum transpositione, subtractione, additione, corruptione, aut alia mutatione verborum aufertur sensus et significatio, quam Christus intellexit; accidentaliter tantum, cum verba mutantur, integro manente sensu. Iam vero qui materiam vel formam sciens et volens, aut ex culpabili negligentia substantialiter mutat, sacrilegus est, cum Sacramentum irritum et inane efficiat, et Christo instituenti ac homini suscipienti iniuriam irroget. Verum si mutatio sit accidenta-

lis, valent quidem Sacramenta, sed graviter peccant ministri contra Ecclesiam iubentem, ne quidquam in materia et forma Sacramentorum addatur, detrahatur vel immutetur. Praescripti quoque ritus in Sacramentorum administratione, licet ad Sacramenti validitatem non pertineant, omnes debent adhiberi et procul dubio gravi crimine se obstringerent ministri, qui eos pro libitu omitterent aut novos alios inveherent. Tantum in Sacramentis, quae ad iustificationem necessaria sunt necessitate medii, necessitate urgente, poterunt ritus et caeremoniae praetermitti; quin etiam in eo casu si certa materia haberi nequeat, dubia adhibenda est, ut meliori quo fieri potest modo aeternae proximorum saluti consulatur. At extra necessitatis casum piaculum est materiam dubiam usurpare, ne periculo nullitatis Sacramentum temere committatur. Praeterea ex Alexandro III, cap. 2 de Baptismo et praxi Ecclesiarum receptum est, ut quo casu prudenter dubitetur, num Sacramentum collatum fuerit, vel etiam an valida habenda sit ipsius collatio, sub forma conditionali Sacramentum conferatur, veluti *si non es baptizatus, ego te baptizo;* idque locum habet non solum in Sacramentis, quae non iterantur, hoc est Baptismo, Confirmatione, et Ordine, sed etiam ex sententia Theologorum in sacramento Poenitentiae, si minister dubitet, num subiectum in articulo mortis constitutum absolutionis capax sit.

Sacramenta autem novae legis septem numero sunt, Baptismus nempe, Confirmatio, Eucharistia, Poenitentia, Extrema Unctio, Ordo et Matrimonium, quod dogma fidei est a Tridentinis Patribus definitum. Et ea quidem singula auctorem

habent Iesum Christum ; quia solus Deus potuit virtutem fundandae gratiae rebus sensibilibus alligare. Cum vero Deus Sacramenta instituerit, eaque voluerit ab hominibus quidem viatoribus, non singula tamen a singulis, confici et dispensari, consequitur 1° homines Sacramentorum ministros esse, et in illis administrandis ipsius Christi personam gerere ; 2° eum solum esse Sacramentorum ministrum, qui per legitimam ordinationem et missionem sacri ministerii potestatem ex divina institutione acceperit. 3° Sacramentorum virtutem et efficaciam non pendere a probitate ministri, sed a Christo, qui ea instituit, et in eis operatur ; quamvis minister graviter peccet, qui lethalis culpae sibi conscius Sacramenta conficit aut dispensat, cum grande nefas sit pura ab impuris tangi et sancta non sancte tractari ; 4° Sacramenta ab haereticis, schismaticis, et excommunicatis collata valere, si rite conferantur, iis exceptis in quibus conferendis, praeter ordinis characterem, potestas iurisdictionis desideratur. 5° denique Sacramentorum ministros, dum Sacramenta conficiunt et conferunt, debere humano modo operari, hoc est animo deliberato conficiendi Sacramentum, aut saltem cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, quemadmodum Concilium Tridentinum definivit. Haec autem intentio multiplex esse potest, nempe vel actualis, vel virtualis, vel habitualis, vel interpretativa. Actualis est praesens animi deliberatio, seu voluntas faciendi opus, quod facimus, veluti si sacerdos cum praesenti voluntate baptizandi conferat baptismum. Virtualis est praevia voluntas faciendi operis, quae nec longo tempore nec alienis aut contrariis actibus revocata, vel inter-

rupta fuit, unde permanet adhuc tamquam in sua virtute, in certis quibusdam actionibus, quae ad opus efficiendum referuntur, quamvis dum opus ipsum conficitur mens alio divagetur; veluti si sacerdos domi suae decernat missam celebrare, ecclesiam inde petat, sacris vestibus induatur, et ad altare accedat, sed tempore consecrationis ad id, quod agit, non advertat. Habitualis est intentio mere praeterita, quae nimirum aliquando exstitit, et nondum retractata fuit, sed tamen contrariis actibus interpositis vel temporis lapsu deserta omnino est; veluti si quis non ex virtute praeviae voluntatis, sed habitu et consuetudine quadam vel inconsiderate et inconsulto formam Sacramenti super debita et praesenti materia proferat; cuiusmodi voluntas esse potest etiam in ebrio et amente. Interpretativa tandem est, quando quis voluntatem ex. g. conficiendi Sacramentum, neque tunc habet, neque habuit unquam, sed ita est animo comparatus, ut eam haberet, si de Sacramento conficiendo cogitaret. Est aliud quoque interpretativae voluntatis genus, quando nempe aliorum voluntatem ex factis aut aliis rationibus prudenter interpretamur, quam voluntatem perspicuitatis gratia praesumptam appellabimus; ita infantes, dum baptizantur, censentur suae saluti velle consulere, item qui in amentiam inciderit, aut subita infirmitate obmutuerit, dum usque ad mortem in Ecclesia permanserit, « credibilius est eum, si posset, velle se potius fuisse dicturum ea Sacramenta percipere, sine quibus iam credidit se non oportere de corpore exire » uti loquitur s. Augustinus lib. De adulterinis coniugiis, cap. 26.

Iam vero in conferendis et conficiendis Sacramentis licet intentio actualis sit omnium optima et praestantissima, virtualis certe sufficit, non tamen habitualis, neque interpretativa, quemadmodum cum unanimi Theologorum consensu docet s. Thomas, part. 3, quaest. 64, a. 8 ad 3. Verum quod eos spectat, qui Sacramenta suscipiunt, res diverso iure censenda est. Namque in re sacramentali valde distat Sacramentorum minister a subiecto, ab eo scilicet, cui Sacramenta administrantur. Siquidem in ministro, ut valide conficiat, et administret, omnino aut actualis aut virtualis intentio postulatur; sed in subiecto ad validam Sacramenti susceptionem satis est intentio habitualis, vel interpretativa; cuius differentiae ea ratio est, quod in ministris sacramentorum confectio est semper actus humanus non item in suscipientibus, si Sacramentum Poenitentiae et Matrimonii excipias, dum actus poenitentis sunt illius Sacramenti quasi materia, Matrimonio autem expressa contrahentium voluntas, seu consensus praeire debet. Sed tamen ut adulti non solum valide, sed etiam licite, seu cum fructu Sacramenta suscipiant, (potest quippe suscipi Sacramentum quin gratia Sacramenti recipiatur) necesse est, ut gratiae ipsius susceptionem intendant, docente Tridentino, sess. VI, cap. 7: « Iustificationem esse renovationem interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiae et donorum; » et Canones iubent, ut adultorum voluntas exploretur, antequam Baptismate initientur. Praeterea ad fructuosam susceptionem opus est, ut adulti obicem non opponant, videlicet, ut infusioni vel augmento gratiae rite recteque sese disponant; quae quidem

dispositiones a Theologis potissimum illustrantur. Verum quod infantes et perpetuo amentes spectat, nulla in eis intentio nullave dispositio postulatur, aut saltem praesumpta voluntas sufficit; quod perspicuum est ex traditione et praxi Ecclesiae; quae Sacramentum Baptismi eisdem administrat.

Sed iam pauca dicamus de effectibus Sacramentorum, qui praecipue duo sunt, gratia et character. Sacramenta omnia, quemadmodum supra diximus, continent gratiam quam significant, eamque non ponentibus obicem semper conferunt. Non tamen aequalem gratiam sacramenta specie distincta largiuntur, nam unum Sacramentum altero est dignius, idque in Eucharistia manifestum est, quae realiter in se continet fontem omnis gratiae. Neque etiam eadem gratia in omnibus Sacramentis infunditur, siquidem Baptismus et Poenitentia primam gratiam seu iustificationem ipsam conferunt, qua de re Sacramenta mortuorum dicuntur, quia primario instituta sunt pro iis, qui per peccatum sive originale, sive actuale privati gratia et spiritualiter mortui existunt. Caetera vero Sacramenta iustificationem augent et perficiunt; ideoque *Sacramenta vivorum audiunt*, quod pro iis instituta sunt, qui spiritualiter per gratiam vivunt. Gratiam vero istam non conferunt Sacramenta *ex opere operantis*, hoc est ratione boni operis, quod peragitur ab homine, puta ratione fidei, pietatis, aut meriti suscipientis, sed *ex opere operato*, hoc est virtute operis sacramentalis, seu ipsius Sacramenti, quod rite homini applicatur. Nec propterea dicendum est etiam non dispositos sanctificari; nam dispositio suscipientis, quamvis non sit causa efficiens gratiae, aut tam-

quam principium a quo Sacramenta virtutem hauriant, est tamen conditio, quae subiectum recipiendae gratiae aptum facit, seu removet obicem gratiae, ut Sacramenta effectum suum operentur. Quin attenta dispositione suscipientis, idem specie Sacramentum aequalem gratiam aequaliter dispositis confert ex opere operato, uberiorem magis dispositis, quemadmodum docet s. Thomas part. 3, q. 69, art. 8; et Tridentinum sess. VI, can. 7, ubi postquam tradidit baptizatis conferri gratiam iuxta mensuram, quam partitur Spiritus Sanctus, addit: « Et secundum propriam cuiusque dispositionem et cooperationem. »

Ipsis etiam Sacramentis praeter gratiam sanctificantem, vel eius gratiae incrementum alligavit Deus gratiam sacramentalem, ius videlicet in gratuita et liberali eiusdem Dei promissione fundatum ad gratias actuales, ut aiunt, obtinendas, quibus habiles et idonei diversis et specialibus cuiusque Sacramenti finibus assequendis redderemur. Ita gratia sacramentalis in Baptismo est ius ad gratias actuales et auxilia, quibus egemus ad spiritualem regenerationem et sanctificationem custodiendam, in ordine ad cultum divinum rite obeundum; in Matrimonio ad fidem coniugalem servandam, et ferenda onera Matrimonii.

Alter Sacramentorum effectus est character, quem tria tantum Sacramenta, Baptismus, Confirmatio et Ordo in anima suscipientis imprimunt, quae est catholicae Ecclesiae doctrina a Tridentino proposita, sess. VII, can. 9. Character autem a s. Thoma, part. 3, q. 63, art. 4 et 5 est. « Signum spirituale et indelebile, quo anima insignitur ad suscipiendum vel aliis tradendum ea, quae sunt

divini cultus. » Itaque putandum non est eiusmodi signum ad merum ornamentum dari inersque in anima iacere et otiosum; siquidem per characterem Baptismi homo recipit signum filiationis Dei fitque aptus aliis Sacramentis suscipiendis, unde Baptismus ianua Sacramentorum nominatur, cum nondum baptizatis reliqua Sacramenta nec licite possint, nec valide administrari; per characterem Confirmationis recipit signum militiae christianae et fit potens instaurandae pugnae contra hostes fidei, et demum per characterem Ordinis recipit signum ministerii spiritualis et potestatem ipsius Ordinis; quae quidem potestas in Sacerdote ad confectionem corporis et sanguinis Christi, et remissionem peccatorum refertur, aliis vero inferiorum Ordinum ministris datur aliqua potestas circa sanctissimum Eucharistiae Sacramentum, non plena tamen et perfecta, sed ea maior vel minor, quo quisque ministerio suo magis minusve ad Altaris Sacramentum accedit; summa autem Ordinis potestas suscipitur in Episcopatu, qui summus et perfectissimus est gradus et ultimum Ordinis complementum. Porro Sacramenta Baptismi, Confirmationis, et Ordinis, eo quod characterem imprimunt, qui nec auferri valet nec deleri, et producunt effectum perpetuum, sine gravi sacrilegio iterari non possunt; sed caetera Sacramenta, quia habent effectum non perpetuum possunt iterari sine iniuria, ut effectus deperditus iterato recuperetur, « quemadmodum ratiocinatur s. Thomas in supplemento, part. 3, q. 33, a. 1.

Haec satis de Sacramentis in genere dicta sunt. Nunc de Sacramentis in specie et breviter quidem de prioribus quinque. Ordiar a Baptismo.

Sacrum regenerationis lavacrum « unde, teste S. Cypriano, omnis fidei origo incipit, et ad aeternae vitae spem salutaris ingressio » primum inter reliqua sacramenta locum tenet, non solum ordine, verum etiam necessitate. « Nisi enim quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto non potest introire Regnum Dei » uti Christus aperte edixit Ioannis III, 5. Quare Synodus Tridentina sess. VI, cap. 7 merito baptismum nuncupavit « Sacramentum fidei, sine quo nulli unquam contigit iustificatio. »

Quamquam vero tanta sit baptismi necessitas, ut sine eo nemo possit vitam aeternam consequi, quamobrem scholae dicunt baptismum *medii necessitate* ad salutem requiri; dantur tamen extraordinarii casus, in quibus invisibili Spiritus Sancti gratia non susceptus in aqua baptismus suppleatur, veluti si quis non baptizatus martyrium pro Christo patiatur, vel in discrimine vitae positus, ubi baptismi copia non est, de peccatis doleat et baptismum desideret. Et hinc Theologi triplicem Baptismum distinguunt, scilicet *fluminis* seu aquae, *flaminis* seu desiderii, et *sanguinis* seu martyrii; non tamen tria sunt Baptismi Sacramenta, sed unum dumtaxat, cum in uno baptismo fluminis ratio Sacramenti reperiatur; et baptismus flaminis ac baptismus sanguinis eo nomine appellantur, quia non secus ac Baptismi lavacrum hominem a peccatorum sordibus abluunt, illumque iustificant.

Iamvero Baptismus fluminis, de quo hic loquimur, imprimis peccata omnia, sive originis vitio, sive nostra culpa contracta, omnesque peccatorum poenas remittit, eas nempe, quae dimissa culpa, peccatis in altera vita deberentur. Itaque

post baptismum remanent mors, infirmitates, concupiscentia aliaque huius vitae mala, quae originale peccatum in humanum genus effudit « ut scilicet intelliganius, ait Augustinus Enchiridii cap. 66, totum, quod salutaribus agitur Sacramentis, magis ad fidem venturorum bonorum, quam ad retentionem vel adeptionem praesentium pertinere. » Praeter remissionem peccatorum, divina etiam virtus et gratia in animam baptizati diffunditur, qua iustus et filius Dei efficitur et ad omnia christianae pietatis officia habilis redditur, ut possit haereditatem capere salutis, ad quam per baptismum vocatus est. Peculiari quoque nota seu indelebili charactere anima baptizati obsignatur, quem *characterem dominicum* et characterem regium Augustinus appellat. Porro christiani per Baptismum in novam vitam regenerati membra Ecclesiae sunt eiusque leges servare tenentur: atque hinc inobedientes et rei criminum pro qualitate culpae et inobedientiae canonicis poenis ab ipsa Ecclesia summo iure coërcentur.

Materia baptismi est aqua; Christus enim per aquam omnes baptizari iussit, et apostoli in aqua baptizarunt. Aquae vero nomine naturalis et elementaris aqua intelligitur; illicite tamen extra necessitatis casum in solemni Baptismi administratione alia adhiberetur aqua, quam quae solemni ritu, aut sabbato sancto aut in pervigilio Pentecostes benedicta fuit et in baptismali fonte asservatur. Ubi fons baptismalis, attentis adiunctis, haberi nequit, nec aqua benedicta asservari absque gravi incommodo potest, in regionibus infidelium missionarios uti legitime posse aqua naturali, S. C. Inquisitionis rescripsit 6 Apr. 1745, et Febr. 1806.

Quin imo in dictis regionibus, non solum imminens mortis periculum, sed quaelibet alia gravis ac rationabilis causa per se potens est, ut solemnitates omittantur, vel ut tantum aliquae adhibeantur, ita tamen, ut deinde, dum opportuna occasio adfuerit, eaedem vel omnes, vel quae omissae sunt in Ecclesia vel Oratorio suppleantur. S. C. de Prop. Fide 21 Ian. 1789. Formam autem huius Sacramenti administrandi Christus Dominus Apostolis tradidit illis verbis Matth. XXVIII, 19: « Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. »

Rituale Romanum de baptismo adultorum monet, « decere huiusmodi baptismum ex apostolico instituto, in Sabbato sancto vel Pentecostes solemniter celebrari. » Praemittenda porro est sufficiens instructio circa praecipua fidei mysteria, adeoque non sunt admittendi ad baptismatis aquas adulti, ut ait S. C. Propagandae Fidei an. 1760 « ni bene docti fuerint obligationes, quibus unusquisque fidelis ligatur, et mediante longa experientia in statu cathecumeni, dederint clara signa verae et vivae fidei et constantiae, qua praediti esse debent, ita ut sint parati confiteri christianam religionem sub quocumque tormentorum et vitae periculo. » Huc spectat resolutio S. C. de Propaganda Fide ad dubia proposita a Vicario provinciali in Fo-Kian in Sinis, nempe ad 1^m « An mulier fidelis viro infideli coniugio copulata, de qua spes probabilis affulget, quod sub iugo infidelis sui christiane victura sit, nulla tamen spes affulgeat, quod proles ex ea suscepta in christiana fide libere educetur, propter viri infidelis oppositionem, ad Sacramentum Baptismi admitti possit,

absque eo quod praecedat divortium saltem quoad torum? » Reposuit « attentis circumstantiis posse, dummodo promittat se fore curaturam omnibus modis educationem prolis in religione christiana.» Ad 2^m « Utrum dicta mulier infidelis saltem admitti possit ad Baptismum, cum ei praeclusa sit spes omnis prolis ulterius habendae, absque eo quod praecedat divortium, ad minus quoad thorum? » respondet « affirmative iuxta modum prout supra. » Haec de baptismo adultorum dicta sint Adultus vero, generatim loquendo, censetur in hac re, qui septennium complevit, ut decrevit eadem S. C. 3 Martii 1703: De Infantium Baptismate Caeremoniale Episcoporum lib. 2, cap. 27 praecipit, ut infantes etiam qui per octo dies ante vigilias Paschae et Pentecostes in lucem eduntur, nonnisi eodem sabbato Paschae vel Pentecostes baptizentur, dummodo periculum mortis non immineat. Numquam vero infantium baptismus ultra diem nonum a nativitate differendus est ob maxima pericula, quibus eorum vita obnoxia est. De loco autem administrandi baptismi habenda prae oculis est Clementina unic. de baptismo, qua prohibetur « ne quis in aulis vel cameris, aut aliis privatis domibus (nisi regum vel principum, quibus valeat in hoc casu deferri, aut talis necessitas emerserit, propter quam nequeat ad Ecclesiam absque periculo propter hoc accessus haberi), sed dumtaxat in Ecclesiis, in quibus sunt ad hoc fontes deputati audeat baptizare. »

Princeps baptismi minister est Episcopus, sed ex praesenti disciplina, Parochi iure proprio baptizant, Presbyteri vero et Diaconi, si Episcopi aut Parochi venia intercesserit. In casu vero ne-

cessitatis, quilibet etiam laicus, imo ipsi iudaei, pagani et haeretici, si debitum ritum servent, et intendant facere quod facit Ecclesia, valide et licite omnino baptizant: verum extra necessitatis casum valide quidem, sed illicite. At in ipso casu necessitatis ordo servandus est, ut nempe clericus superioris gradus praeferatur clerico inferiori, clericus laico, mas feminae, christianus iudaeo et pagano: praeterea, nemo eorum potest solemniter, hoc est caeremoniis Ecclesiae adhibitis baptizare, caeremoniaeque omissae, cum primum poterunt, suppleri debent.

Suscipiendo baptismo apti sunt omnes homines nati et viventes, sive masculi sive feminae, sive infantes sive adulti, sive ratione compotes sive amentes: non omnes tamen licite baptizantur. Namque infidelium filii, invitis parentibus, baptizari non debent; ipsis quippe parentibus iniuria fieret, si ab eis filii separentur, ut baptismo abluantur et in fide instituantur; contra autem fides in discrimen adduceretur, si post baptismum parentibus relinquantur. Baptismus tamen semper valet, cum ad Sacramenti validitatem consensus seu voluntas parentum nullo pacto requiratur. At si filii infidelium certo praevideantur statim morituri, si immaniter a parentibus proiecti aut ab avo paterno, vel ab eo, sub cuius potestate constituti sunt, baptismo offerantur, si demum iam adulti aut saltem ratione praediti baptismum petant, tum valide, tum licite baptizantur, qua de re notatu digna sunt quae in Congregatione S. Officii coram Pio VI habita 1779 statuta sunt. Haec autem sunt huiusmodi: «1° non licere, nisi in articulo mortis, seu moraliter certo imminentis mortis periculo, infan-

tes infidelium, invitis seu insciis parentibus, baptizare. 2° non licere extra idem periculum, seu articulum, (siquidem in decretis articulus et periculum promiscue accipitur) infantes a parentibus infidelibus ultro etiam oblatos baptizare, si post baptismum in parentum infidelium potestate relinquendi sunt. 3° in ipso quoque mortis articulo baptizandos esse quidem filios infantes infidelium, sic tamen, ut vitetur scandalum, nec proinde maius quoddam infidelium odium, in christianam religionem, atque in christianos saevitia concitetur; proindeque in omni eventu, divinam sane opem implorent sancti ministri, ne umquam aut istorum decretorum oblivio eos capiat, aut fas esse sibi putent privatum suum iudicium eisdem anteferre. Ad dubia vero, an liceat baptizare huiusmodi infantes cum saeviente peste, de centum pueris, ut plerumque accidit, nonaginta pereant, aut cum populares morbi pessimae indolis, multo maximam partem absumunt puerorum, antequam rationis usum attingant? responsum fuit, constitutiones SS. Pontificum et S. Congregationis decreta, dum filios infidelium, invitis parentibus, baptizari vetant, praeter quam in articulo mortis loquuntur de praesenti periculo, quod hominem baptizandum determinate attingit, quodque interdum per synonimam vocem nomine articuli mortis exprimitur, ut in eis, quos mali labes actu inficit, aut qui quocumque modo in praesens vitae discrimen adducuntur, non autem loquuntur de communi et vaganti periculo, quod sanis etiam hominibus in iis locis impendet, qui populari morbo affliguntur, in quo nec vocabulum, nec notio articuli mortis ullo modo convenit. » Insu-

per legendae sunt tres epistolae Benedicti XIV, quarum prima data est ad Archiepiscopum Tarsensem in Urbe Vicesgerentem, altera encyclica ad Primatem, Archiepiscopos et Episcopos Poloniae, et tertia ad Petrum Hieronymum Gulielmi Romanae Inquisitionis assessorem ; quae epistolae mox impressae sunt in Bullario eiusdem Pontificis tom. 2, num. 28, et tom. 3, num. 49 et 54.

Praeter baptismi ministrum adhibentur etiam patrini qui baptizandos offerunt eosque a sacro fonte suscipiunt, seseque baptizatorum fidei sponsores et fideiussores constituunt. Antiquitus et praesertim in Occidente parentes ipsi filios suos baptismo offerebant, ac pro iisdem profitebantur ac fidem spondebant. Sed modo vetiti sunt parentes filios suos de baptismo suscipere. Praecipuum autem patrinorum officium in spirituali baptizatorum cura situm est, et tenentur vi susceptionis, eos in catholica fide, et bonis moribus instituere, si parentes naturales id facere neglexerint, vel nequiverint. A qua spirituali cura susceptores etiam, *compatres*, *patres spirituales* et *patrini* dicti sunt. Hinc ab ea spirituali tutela administranda omnino prohibentur, qui eamdem gerere aut fideliter nolint aut sedulo aut accurate non possint. Huiusmodi sunt iudaei, infideles, haeretici, publice excommunicati aut interdicti et notorie flagitiosi, qui Sacramento Poenitentiae et Eucharistiae in Paschate non susceperint et de hoc crimine publice notati sint, impuberes, nondum Sacramento Confirmationis initiati, quive fidei rudimenta ignorant. Tum ex SS. Canonum sanctione ad id muneris admittendi non sunt Monaci vel regulares utriusque sexus et cuiusvis ordinis, neque

Clerici etiam saeculares, si aut ecclesiasticum beneficium obtineant, aut in sacris ordinibus constituti sint, nisi specialem a proprio Ordinario licentiam consequantur.

De Patrinis Tridentina Synodus sess. XXIV de ref. cap. 2, statuit : « ut unus tantum, sive vir sive mulier iuxta S. S. Canonum instituta, vel ad summum unus, et una baptizatum de baptismo suscipiant, inter quos ac baptizatum et illius patrem et matrem, necnon inter baptizantem et baptizatum, baptizatique patrem et matrem tantum spiritualis cognatio contrahatur» de qua re egimus in tract. de Matrim. Satis de Baptismo. Modo sermo erit de Confirmatione.

Homines sacramento Baptismi regenerantur ad vitam, sacramento Confirmationis roborantur ad pugnam. Itaque Confirmatio est novae legis sacramentum, quo praeter gratiae sanctificantis augmentum consequimur ius ad accipiendas a Deo gratias actuales, quibus adversus carnis, mundi et diaboli impetus robustiores simus, et ad confitendum Domini nostri Iesu Christi nomen confirmemur in fide. Hinc Confirmatio gratiam baptismi perficit, confirmans atque augens quod Deus pro nobis per Baptismum operari coepit, nosque ad Christianae perfectionis soliditatem adducit. Confirmationis etiam alii duo effectus sunt, character nempe et cognatio spiritualis, quae inter confirmantem et confirmatum eiusque patrem et matrem ac patrinum, quemadmodum de baptizante et baptizato eiusque patrinis et parentibus iam dicebamus.

Disputant theologi, num sola manuum impositio cum oratione, quam Episcopus fundit, an sola

unctio chrismatis cum illis verbis ab confirmante prolatis: « *Signo te signo Crucis, et confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti,* » an ritus uterque simul sint huius sacramenti materia et forma, in quo sententiarum discrimine necesse est utramque materiam et formam adhibere, ne sacramentum nullitatis periculo exponatur. Solum autem Episcopum esse ordinarium huius sacramenti ministrum, Tridentina Synodus definivit sess. VII de Conf. can. 3 his verbis: « Si quis dixerit sanctae Confirmationis ordinarium ministrum non esse solum Episcopum, sed quemvis simplicem Sacerdotem, anathema sit. » Verum extraordinarius minister esse potest simplex Sacerdos, cui gravissima, honestaque de causa, Romanus Pontifex specialem facultatem delegaverit. « Legitur aliquando, ut inquit Eugenius IV in Concilio Florentino, per apostolicae Sedis dispensationem ex rationabili et urgenti admodum causa simplicem Sacerdotem chrismate per Episcopum confecto, hoc sacramentum Confirmationis ministrasse. Hac de re late pertractat Benedictus XIV de Synodo dioec. l. 13, cap. 15. Cf. Instructionem S. Congr. de Propaganda Fide diei 21 Martii 1774, qua declaratur « simplici Sacerdoti administranti, extraordinaria facultate, Confirmationis sacramentum, non licere usum rochetti, mitrae, baculi pastoralis, annuli, vel crucis pectoralis. »

Nonnisi baptizati confirmari valide possunt. Olim quidem infantibus post collatum baptismum Confirmationis sacramentum administrabatur, quae consuetudo adhuc viget apud graecos. Sed latini a multis saeculis seorsum a baptismo con-

firmationem conferunt; et neminem septennio minorem sacro chrismate liniunt, nisi forte tam gravi morbo laboret, ut ex eo moriturus praevideatur.

Quod autem patrinos spectat in hoc sacramento adhibendos, in primis observandum est, ut non plures sed unus tantum adhibeatur, nec feminis mares, nec maribus feminae, sed suo quisque sexui illud officium praestari debet. Praeterea nisi necessitas cogat, non eumdem, sed diversum esse oportet Confirmationis patrinum a patrino baptismi, et demum a patrini munere arcentur ii omnes, qui ab eo praestando munere in baptismo arcendos esse superius animadvertimus. Progrediam nunc ad Eucharistiae Sacramentum.

Sacramentum Corporis et Sanguinis Christi sub speciebus panis et vini ad spiritualem animae refectionem institutum Eucharistia seu Gratiarum actio apud christianos appellari consuevit, quod ipse Christus in eius institutione gratias Deo Patri egit, semperque a fidelibus agendae sunt pro tanta divinae beneficentiae largitate: quippe Deus, ut verbis Augustini utamur, Tract. 48 in Ioannem: « Cum sit omnipotens plus dare non potuit, cum sit sapientissimus, plus dare nescivit, cum sit ditissimus plus dare non habuit. » Itaque caeteris sacramentis longe praestat Eucharistia, non solum enim commune illud habet cum reliquis sacramentis, quod sit rei sacrae signum et invisibilis gratiae visibilis forma ; verum etiam illud excellens et singulare in eo est, quod ipsum gratiarum omnium fontem et largitorem Iesum Christum contineat: unde *panis Angelorum*, *panis vitae*, *Corpus Domini et Sacramentum* per antono-

masiam vocata est. Item reliqua sacramenta in actionibus transeuntibus sita sunt, hoc autem sacramentum in re permanenti, adeo ut Christus in ea permaneat, donec species corrumpantur. Ex quo consequitur latriae cultum externum atque internum, qui vero Deo debetur, huic sacramento cum veneratione exhibendum esse. Et hinc merito Tridentina Synodus sess. XIII, can. 6 definivit : « Si quis dixerit in sancto Eucharistiae Sacramento Unigenitum Dei Filium non esse cultu latriae etiam externo adorandum, vel non publice ut adoretur, populo proponendum, et eius adoratores esse idololatras, anathema sit. »

Solus Sacerdos a Christo Domino institutus est minister Eucharistiae consecrandae, eaque, dum Missa peragitur, consecranda est; atque adeo ipsamet non Sacramenti modo, sed etiam sacrificii rationem habet. Tamquam Sacramentum coelestis et spiritualis animarum cibus est, et beatae immortalitatis semen; tamquam sacrificium Corpus et Sanguis Christi per Sacerdotem Deo offeruntur atque immolantur. Panis autem e tritico confectus sive azymus, sive fermentatus, et vinum ex vite apta ad Sacramentum materia sunt. Sed quisque Sacerdos tenetur Ecclesiae suae consuetudinem observare, scilicet Latinus in azymo, Graecus in fermentato consecrare. Exploratum est formam, qua panis consecratur, eam esse « *Hoc est Corpus meum*, » et qua vinum consecratur, eam pariter esse : « *Hic est calix Sanguinis mei.* » Caetera verba, quae in consecratione calicis facienda Sacerdos profert, utrum ad Sacramenti validitatem pertineant, Theologis disputandum relinquimus.

Baptizati omnes capaces sunt Eucharistiae suscipiendae. Olim dabatur infantibus post Baptismum et Confirmationem, nunc autem in Ecclesia Latina pueris non amplius administratur. At fideles rationis compotes ad percipiendum saepius in vita hoc Sacramentum divino praecepto adstringuntur. Cum vero pietate refrigescente ab hac coelesti mensa fideles diutius abstinerent, Lateranense Concilium praecepit, ut omnes utriusque sexus fideles, saltem semel in anno paschali scilicet tempore, ad sacrum Eucharistiae Sacramentum accederent, quod Decretum Tridentina Synodus confirmavit. Haec autem communio paschalis in propria parochia suscipienda est, et in ea parochia ubi quisque commoratur, si in propria percipere ob absentiam nequeat. Hinc Regulares quamquam ex summorum Pontificum privilegiis possunt in suis Ecclesiis, die Paschatis excepto, Eucharistiam distribuere, fideles tamen in eisdem Regularium Ecclesiis communione refecti, Ecclesiae praecepto non faciunt satis, ac omnino debent paschalem in propria Ecclesia parochiali communionem recipere.

Verum ex praecepto Ecclesiae, quo fideles iubentur ad hoc augustissimum Sacramentum accedere, cave inferas, omnibus ad illud accedentibus a Parochis administrari oportere. Sunt enim quidam cibi eucharistici participatione prorsus indigni, ab eaque excludendi, cum ipse Christus Apostolis praeceperit: « Nolite sanctum dare canibus. » Canum autem nomine catholica Ecclesia semper intellexit publicos et notorios peccatores, videlicet haereticos, schismaticos, excommunicatos, interdictos, manifeste infames, meretrices,

concubinarios, foeneratores, magos, sortilegos, blasphemos, aliosque huius generis homines, quorum notoria et publica est iniquitas, ignota vero poenitentia. His itaque omnibus deneganda est Eucharistia sive eam publice, sive in occulto petant. At longe alia res est, si de occultis peccatoribus sermo instituatur. Si enim occultus peccatór coram aliis fidelibus ad hoc Sacramentum percipiendum se offerat, illum repellere non licebit, ne publica afficiatur infamia, qua certe afficeretur, si publice eidem Eucharistia denegaretur. Verum, si occultus peccator Eucharistiam in occulto petat, tunc neganda ei foret Dominici Corporis participatio, excepto tamen casu, quo Sacerdos ex Sacramentali confessione occulti peccatoris statum cognovisset.

Praeterea cum summa reverentia huic augustissimo Sacramento debeatur, a sacra mensa arcentur amentes, et phrenetici, nisi lucida habeant intervalla, necnon semifatui et stolidi, energumeni, epileptici aliique aegroti, de quibus dubitari prudenter possit, an sint sui compotes, et an quid agant intelligant, vel si vomitionis aliudve indignitatis periculum adesse censeatur.

Quemadmodum administrandae Communionis paschalis, ita etiam ordinarius Viatici minister est Parochus. Itaque in Clement. I. de Privilegiis sic statuitur: « Religiosi, qui Clericis aut laicis Sacramentum Unctionis extremae vel Eucharistiae ministrare, non habita super his parochialis Presbyteri licentia speciali, praesumpserint, excommunicationis incurrant sententiam ipso facto per Sedem Apostolicam dumtaxat absolvendi. Religiosis tamen illis, quibus est ab Apostolica Sede con-

cessum, ut familiaribus suis domesticis, aut pauperibus in hospitalibus suis degentibus Sacramenta possint ecclesiastica ministrare, nullum ex praemissis volumus quoad hoc praeiudicium generari.» Progredimur ad Sacramentum Poenitentiae.

Christus abundans in misericordia, Sacramentum Poenitentiae, quod esset altera post naufragium tabula, instituit, in quo scilicet fideles contriti, confitentes et satisfacere volentes a peccatis post Baptismum commissis ministerio Sacerdotum absolverentur. Sane potestatem dimittendi peccata Christus Apostolis suis fecit illis verbis Io. XX, 22-23: « Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt. » Ex quibus verbis tria potissimum consequuntur: 1° scilicet, nullum esse peccatum, cuius dimittendi potestate Ecclesia donata non sit; eam etenim potestatem sine ulla exceptione Christus demandavit. 2° Sacerdotes, dum ea utuntur potestate, non nudum exercere ministerium, quo a Deo remissa esse peccata declarent, sed verum exercere actum iudicialem, quo mandata sibi potestate a peccatis absolvunt; vera enim potestas remittendi peccata illis verbis continetur. 3° Solis Apostolis eorumque in Sacerdotio successoribus eamdem potestatem competere, ipsos quippe solos Christus allocutus est, dum Spiritum Sanctum et potestatem remittendi peccata communicavit.

Quamquam vero potestas ligandi et solvendi a peccatis sacerdotio adhaereat, eam tamen potestatem valide non exercent Sacerdotes, nisi etiam potestate iurisdictionis aucti sint. In sacro enim tribunali iudicis officio funguntur et sententiam

ferunt. Cum autem natura et ratio iudicii exposcat, ut sententia in subditos tantum feratur, manifestum est nullius momenti esse absolutionem ab eo prolatam, qui in poenitentem neque ordinariam neque delegatam iurisdictionem habeat. Porro iurisdictionem ordinariam in orbem universum tenet Romanus Pontifex, Episcopi et locorum Ordinarii in suis dioecesibus et territoriis, Poenitentiarii in Cathedralibus, Parochi in suis parochiis, Praelati autem regulares in suos Religiosos. Delegatam iurisdictionem ii habent, qui non iure proprio, sed ex concessione Pontificis aut Episcopi vel alterius Praelati quasi episcopali iurisdictione pollentis, excipiendarum confessionum vicariam potestatem acceperunt. Ordinariam inter et delegatam potestatem praecipua discrimina haec sunt; et in primis delegata iurisdictio non exspirat morte delegantis, sed perpetua censetur, nisi aliter fuerit ab ipso delegante constitutum. Integrum quippe est deleganti eam potestatem tempore, loco, personis et qualitate peccatorum circumscribere. Ordinaria vero potestas durat quamdiu quis permanet in officio, cuius ratione eam obtinet. Deinde potestas delegata extra territorium delegantis explicari nequit, ordinaria autem ubique locorum valide explicari potest in suos subditos; atque hinc fit, ut Parochus parochianos suos extra parochiae et dioecesis fines a peccatis valide absolvat.

Porro, sive ordinaria, sive delegata sit potestas, non confestim ad omnia peccata extenditur, cum, docente Tridentino sess. XIV, cap. 7 de Poenit., S. Pontifex atque Episcopi aliqua graviora crimina iure excipiant, sibique reservent, quae infe-

riores Sacerdotes nequeunt sine speciali facultate dimittere. Huiusmodi enim difficultate absolutionis peccata videntur cohiberi ; et deinde in gravioribus morbis peritiores medicos oportet adhibere. Cum itaque reservationum scopus sit salus animarum, idem Concilium Tridentinum, ne quis hac occasione pereat, antiquae Ecclesiae praxi inhaerens declaravit, atque constituit, ut in articulo mortis quilibet Sacerdos quemlibet poenitentem a quibusvis peccatis et censuris absolvere possit. In expendendo autem hoc decreto non est concors Canonistarum sententia. Sunt enim, qui dicto decreto omnibus Sacerdotibus, quicumque illi sint, sive degradati, sive excommunicati, sive schismatici vel haeretici, eam facultatem absolvendi in articulo mortis, alio Sacerdote deficiente, datam esse arbitrantur; alii contra sentiunt cum Fagnano in cap. NON EST VOBIS, de Sponsalibus et Matrimonio, cum Pontas, verbo ABSOLUTIO, aliisque gravioribus Doctoribus, quos consulere lector poterit. Satis de Sacramento Poenitentiae. Pauca modo de Sacramento Extremae Unctionis dicam.

Sacramentum Extremae Unctionis ab ipso Christo Matth. X, 8 insinuatum, Iacobus cap. V, vv. 14 catholicae suae Epistolae fidelibus commendavit ac promulgavit, ita scribens: « Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiae, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, et Oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus: et si in peccatis sit, remittentur ei. » Ex quibus Iacobi verbis in primis noscimus, quinam sint huius Sacramenti subiectum, scilicet infirmi graviter et periculose decumbentes: hinc ad mortem damnati, ad praelium praecincti, aliique ob

aliam ab infirmitate causam morti proximi ungendi non sunt. Praeterea ex eodem Iacobi textu constat Extremae Unctionis materiam esse oleum; olei autem nomine venit oleum proprie dictum quod ex olivis exprimitur: quod tamen solemni et peculiari benedictione consecrandum est. An autem ista olei benedictio ad Sacramenti naturam pertineat, dissentiunt Theologi. In ea sententiarum diversitate Concilium Mediolanense anno 1579 sapientissime iussit « ut si Parochus per errorem aliud oleum, quam quod infirmorum est, unquam adhibuerit, etiamsi chrismatis et cathecumenorum sit, erratum emendet; et oleum sacrum, quod proprie infirmorum est, adhibeat et Sacramenti formam iteret. » Formam sacrae Unctionis in precibus ad Deum fusis sitam esse Iacobus loco citato indicavit, dum super infirmos orandum edixit. Haec autem forma, qua Ecclesia latina utitur, a Tridentinis Patribus recitata est sess. XIV de Extrema Unctione cap. 1. Demum ex praefato Iacobi textu compertum est solos Presbyteros esse Extremae Unctionis ministros. Sed non quilibet Sacerdos Extremae Unctionis ordinarius minister est, sed tantum Parochus, et caeteri, quibus cura animarum iure proprio competit; et hinc in Clement. 1, de Privilegiis, superius relata, tamquam magni criminis rei, excommunicantur religiosi, qui Clericis aut laicis sine speciali Parochi licentia Extremam Unctionem ministraverint. Pauca de Ordine, post ea quae lib. 2 Inst. Can. cap. I, § 4 et integro cap. IX diximus, exponenda supersunt.

Definitum est a Tridentino sess. XXIII, cap. 3: « Cum Scripturae testimonio, apostolica tradi-

tione et Patrum unanimi consensu perspicuum sit, per sacram Ordinationem, quae verbis et signis exterioribus perficitur, gratiam conferri, dubitare nemo debet Ordinem esse vere et proprie unum ex septem sanctae Ecclesiae Sacramentis. » Hinc omnes Theologi inferunt, fide divina tenendum saltem Ordinationem sacerdotium esse verum et proprium Sacramentum, ad veritatem enim praedictae definitionis universalis, necesse est, ut ea ad minimum complectatur Ordinem praestantissimum, quale est Sacerdotium. Inter eosdem etiam communiter convenit, veram Sacramenti rationem participare Episcopatum et Diaconatum, quin imo de Episcopatu, etiamsi ab aliquibus non censeatur ordo diversus a Sacerdotio, cuius tamen, iuxta omnes est extensio, perfectio et complementum, id esse pariter de fide affirmat Petrus Soto, aut saltem non posse, sine periculo et gravis erroris nota hoc tempore negari asserunt Medina . . . . . et Vasquez. » Hactenus Benedictus XIV de Syn. Dioec. lib. 8, cap. 9. Vide quae diximus in nostris Inst. Canonicis l. II, cit. c. 1, § 4.

Sacra Ordinatio pluribus caeremoniis perficitur. Praecipuae in Ordinatione Sacerdotum sunt, eis manus imponere, preces super eos fundere, divinum Spiritum invocare, illorum manus oleo cathecumenorum inungere, ipsis demum calicem et patenam cum sacris symbolis consecrandis tradere. Diaconi quoque per manuum impositionem, recitationem precum et evangeliorum traditionem ordinantur. Subdiaconi demum, caeterique Clerici per traditionem instrumentorum, quae sunt cuiusque Ordinis propria, et per preces, quas Episcopus instrumenta porrigendo recitat, Ordini-

bus initiantur. Plurimi Canonistae atque Theologi defendunt Ordinum hierarchicorum Episcopatus, nempe, Presbyteratus et Diaconatus materiam essentialem in sola manuum impositione, formam item essentialem in sola adiecta oratione sitam esse, porrectionem vero instrumentorum cum verbis adnexis, caeterisque caeremoniis ritum esse accessorium et integrantem ab Ecclesia adiunctum ad maiorem dumtaxat significationem et expressionem collatae potestatis. Qua de re legendus est numquam satis laudatus Benedictus XIV de Syn. Dioec. lib. 8, c. 10.

Effectus Ordinis est potestas, gratia, et character. Nam iis qui rite ordinantur spiritualis confertur potestas, quae in Sacerdote ad confectionem Corporis et Sanguinis Christi, et remissionem peccatorum refertur : aliis vero inferiorum ordinum ministris datur aliqua potestas circa sanctissimum Eucharistiae Sacramentum, non plena quidem et perfecta, eaque maior vel minor, quo quisque ministerio suo magis minusque ad altaris Sacramentum accedit. Ipsis etiam, praeter gratiae sanctificantis incrementum, confertur gratia sacramentalis, ius videlicet ad gratias actuales, ut aiunt, obtinendas, quibus idonei habilesque ad recte munere suo fungendum, sacramentaque administranda reddantur. Denique in eorum anima imprimitur character spiritualis, quo ab aliis fidelibus distinguuntur, quique nec auferri valet, nec deleri. Unde fit, ut Sacramentum Ordinis sine gravi sacrilegio iterari non possit. Haec de Sacramentis in genere et in specie indicasse, pro nostro instituto sufficiat.

INDEX

Pag.

PROOEMIUM . . . . . » 3

CAPUT I.

DE SPONSALIBUS

§ 1. De nomine et natura sponsalium . » 5
§ 2. De forma seu modo contrahendi sponsalia » 6
§ 3. De necessaria in sponsalibus deliberatione . . . . . » 10
§ 4. De certa persona in sponsalibus designanda . . . . . » 13
§ 5. De animo se obligandi . . » 14
§ 6. De mutua promissione . . . » 18
§ 7. De externa manifestatione promissionis » 20
§ 8. De sponsalibus per epistolam aut procuratorem initis. . . . . » 24
§ 9. De conditionibus contractui sponsalium adiectis . . . . . » 26
§ 10. De pactis sponsalitiis . . » 28
§ 11. De arrhis sponsalitiis . . » 31
§ 12. De poena sponsalibus adiecta . » 33

Pag.

§ 13. De personis ad ineunda sponsalia idoneis » 35
§ 14. De sponsalibus filiorumfamilias . » 47
§ 15. De effectibus sponsalium . . » 52
§ 16. De sponsalium dissolutione ob mutuum consensum . . . . » 54
§ 17. De dissolutione ob lapsum temporis » 57
§ 18. De dissolutione ob alterius sponsi absentiam . . . . . » 58
§ 19. De dissolutione ob matrimonium cum alia initum . . . . . » 59
§ 20. De dissolutione ob posteriora sponsalia inita . . . . . » 61
§ 21. De dissolutione sponsalium ob professionem religiosam . . . . » 66
§ 22. De dissolutione ob impedimentum dirimens . . . . . » 67
§ 23. De dissolutione ob fornicationem . » 69
§ 24. De dissolutione ob mutationem animi, corporis, vel fortunarum . . . » 70
§ 25. De dissolutione per dispensationem » 72
§ 26. De auctoritate iudicis in sponsalium dissolutione . . . . . » *ibi*
§ 27. De bannis, seu denuntiationibus matrimonii . . . . . » 74

CAPUT II.

DE NATURA MATRIMONII

§ 28. De diversis matrimonii nominibus . » 84
§ 29. De definitione matrimonii . . » 85

Pag.

§ 30. De matrimonio quatenus Sacramentum » 87
§ 31. De discrimine matrimonium inter et alios contractus . . . . . » 93
§ 32. De materia et forma . . . » 95
§ 33. De ministro matrimonii . . » 96
§ 34. De consensu matrimoniali . . » 102
§ 35. De consensu simulato . . » 105
§ 36. De conditionibus matrimonio appositis » 109
§ 37. De modo, causa, et demonstratione » 118
§ 38. De matrimonio ad morganaticam . » 120
§ 39. De matrimonio conscientiae . . » 123

CAPUT III.

DE IMPEDIMENTIS MATRIMONII

§ 40. De impedimentis impedientibus . » 128
§ 41. De tempore sacrato . . . » 129
§ 42. De prohibitione Ecclesiae . . » 130
§ 43. De sponsalibus de futuro . . » 132
§ 44. De voto simplici . . . . » *ibi*
§ 45. De impedimentis dirimentibus . » 134
§ 46. De errore . . . . » 136
§ 47. De conditione . . . . » 142
§ 48. De voto . . . . . » 148
§ 49. De cognatione . . . . » 152
§ 50. De cognatione civili seu legali . » 159
§ 51. De cognatione spirituali . . » 167
§ 52. De crimine . . . . » 186
§ 53. De cultus disparitate . . . » 190

Pag.

§ 54. De matrimoniis mixtis . . » 194
§ 55. De vi . . . . . » 206
§ 56. De ordine . . . . . » 217
§ 57. De impedimento ligaminis . . » 220
§ 58. De publicae honestatis iustitia . » 223
§ 59. De affinitate . . . . . » 230
§ 60. De impotentia . . . . . » 239
§ 61. De clandestinitate . . . » 250
§ 62. De clandestinis haereticorum matrimoniis » 274
§ 63. De consensu parentum in matrimoniis liberorum . . . . » 299
§ 64. De raptu . . . . . » 307
§ 65. De potestate constituendi impedimenta matrimonium dirimentia . . » 317
§ 66. De impedimentorum relaxatione . » 341
§ 67. De causis dispensandi . . » 352
§ 68. De consensu dispensantis, et de notandis in supplici libello . . . » 356
§ 69. De matrimonii revalidatione . » 363
§ 70. De sanatione in radice . . » 377
§ 71. De dispensatione, impetratione, et exsecutione . . . . . » 381

CAPUT IV.

DE PROPRIETATIBUS MATRIMONII

§ 72. De unitate matrimonii . . » 387
§ 73. De polygamia successiva . . » 388
§ 74. De polygamia simultanea . . » 393

Pag.

§ 75. De indissolubilitate matrimonii . » 399
§ 76. De dissolutione matrimonii rati et consummati inter infideles . . . » 406
§ 77. De dissolutione matrimonii rati inter fideles . . . . . » 412
§ 78. De separatione tori et cohabitationis » 416
§ 79. De effectibus matrimonii . . » 422
§ 80. De necessitate et praecepto matrimonii » 423
§ 81. De lege continentiae sacris ministris imposita . . . . . » 425

APPENDIX

I. De formis et impedimentis civilibus matrimonii ex hodierno iure civili . » 431
II. De formulis supplicum precum . » 490
III. De Sacramentis in genere et in specie » 517

V. De Mandato Excell.mi et Ill.mi D. D. Archiep.
Th. Ioseph Ghiringhello.

ALIA OPERA

QUAE VENEUNT

APUD EUNDEM BIBLIOPOLAM

Alagona. S. Thomae Aquinatis Theologicae Summae compendium, in-32 . . . L. 2 50

Biblia sacra vulgatae editionis, Sixti V. Pont. Max. iussu recognita, et Clementis VIII. auctoritate edita. *Editio nitidissima, et approbata decreto S. Congregationis Indicis,* in-8 » 6 50

Breviarium Romanum, in-16 . . » 8 »

De Imitatione Christi, libri quatuor, nova editio accuratissime emendata, indiceque locupletata, in-32 . . . . . » » 80

Diertins. Exercitia spiritualia S. P. Ignatii Loyolae, cum sensu eorundem explanato, et Directorium; additis tribus appendicibus; vol. 2 in-12 . . . . . » 6 »

Hermeneutica Sacra seu Introductio in Libros sacros veteris et novi Foederis, auctore I H. Ianssens, *Editio emendatissima* in-8 » 3 25

Horae Diurnae. *Editio emendatissima anni 1866* . . . . . » 1 60

Introductio in Libros Sacros novi et veteris Testamenti, in-12 . . . . » 1 60

Liguori. Homo apostolicus instructus in sua vocatione ad audiendas confessiones. *Editio diligenter curata,* in-8 . . . . » 5 »

Novum Testamentum Domini Nostri Iesu Christi, in-32 . . . . . » 1 25

Perrone. Praelectiones theologicae, quas in Collegio romano habebat; *editio trigesimaprima*, 1865-66, 9 vol. in-8 . . . . . L. 30 »

— Praelectiones theologicae De virtutibus Fidei, Spei, et Caritatis, 1 vol. in-8, 1866 » 4 »

— De Virtute Religionis deque vitiis oppositis, nominatim vero de Mesmerismi, Somnambulismi ac Spiritismi recentiori superstitione, in-8, 1867 . . . . . » 4 »

— Praelectiones theologicae in Compendium redactae; *editio* XXXI, *ab auctore revisa et aucta*, 2 vol. in-8, 1866 . . . . . » 8 »

— Index analyticus Praelectionum, praecedente Synopsi historiae Theologiae, in-8 » 2 »

Psalterium Davidis, cum brevi paraphrasi ex Bellarmini Commentario deprompta, 2 vol. in-16 . . . . . » 4 »

Ritualis Romani brevis collectio ad Parochorum commodum, in-18 . . . . . » » 40

Vecchiotti. Institutiones canonicae ex operibus Io. Cardinalis SOGLIA excerptae, et ad usum Seminariorum accommodatae, 4 vol. in-16 » 8 »

— Tractatus theologicus *De Matrimonio,* ex Opere card. Io. SOGLIA excerptus, et ad usum Parochorum et Confessariorum accommodatus, additis appendicibus de impedimentis civilibus Matrimonii et de formulis supplicum precum, in-16 . . . . . » 5 »

Veith. Scriptura sacra contra Incredulos propugnata, *editio secunda Taurinensis*, 3 vol. in-8 . . . . . » 12 »

11184 | 596
Re

5638